



FIDES SCUTUM
M. Bruen.

VDB

Venema








HERMANNI VENEMA
INSTITUTIONES
HISTORIAE ECCLESIAE
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI
TOMUS V.

SEU

NOVI TESTAMENTI, AUT ECCLESIAE CHRISTIANAE
TERTIUS.

AB INITIO SEC. VII. AD XI. FINEM.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM et JOHANNEM LUCHTMANS,
LEOVARDIÆ,
Apud GERARDUM TRESLING.
MDCCLXXXI.



HERMANNI VENEMA

HISTORIAE ECCLESIAE

VETERIS et NOVI TESTAMENTI




LUGDUNI BATAVORUM,

Apud SAMUELEM et JOHANNEM LUCHTMANS,

LEOVARDIAE,

Apud GERARDUM TRESLING.



SECULUM SEPTIMUM.

SCRIPTORES.

§. I. STudia hoc et ſequent. ſec. in Oriente, et Occidente, haud parum ſunt obſcurata, et inminuta, partim per Barbarorum, in primis Saracenorum, irruptiones, partim per alias cauſas, hic non inveſtigandas. Refert quoque de Juſtiniano Procopius in hiſt. Arcana c. 26. et Zonaras l. XIV., ipſum, cum pecunia indigeret, ſtipendia liberalium artium magiſtris conſtituta ſuſtuliſſe, et ab eo tempore ruſticitatem invaluiſſe. Sed Joſ. Carafa in hiſtoria *gymnaſii Romani* obſervavit, conſtitutionem Inperatoris ad Philoſophos tantum gentiles ſpectaſſe, qui dein, omiſſis ſalariis, ſe in Perſiam contulerunt. Quicquid ſit, exiguo admodum numero fuerunt hoc ſeculo ſcriptores, pauciores noſtra digni adtentione, ſive Graeci ſive Latini: quos ſtrictim recenſebo, Gregorius II. Papa legatos ad Synodum oecumenicam VI. mittens, litteris ad Auguſtos dicit, *pro obedientia, quam debemus, non pro confidentia eorum ſcientiae, illos dirigimus. Nam apud homines in medio gentium poſitos, et de labore corporis quotidianum victum conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri ſcripturarum ſcientia?* In ſeculi initiis

fuit, ut pro more a Graecis incipiam, *Theophylactus Simocatta*, qui Mauricii Inperatoris gesta octo libris conscripsit sub finem Heraclii, et historiam ab a. 582, ad 602. pertexuit. Exstat inter scriptores Byzantinos, cum Fabrotti glossario, cujus epitomen exhibet Photius Bibl. cod. 65. et praemissus est historiae Dialogus, quo Historia et Philosophia colloquuntur, et de utriusque neglectu sub Phoca conqueruntur. Scripsit praeterea epistolas 85. et problemata physica. Ceterum genere fuit AEgyptius, et ex sophista, seu scholastico, Praefectus, et ἀντιγραφεὺς, sive Cancellarium, sive aliud munus, denotet, professione denique, ut ex multis locis constat, Christianus.

§. II. Celebrem quoque sese haud uno nomine praestitit *Sophronius*, Damascenus, de sophista Monachus Sabae, denique Patriarcha Hierosolymitanus, in locum Modesti a. 633., quando mox, Antistitum Palaestinae coacta Synodo, epistolam scripsit Synodicam a. 634. ad Honorium Papam, et Sergium CPolit., qua Monothelismum damnavit, duas in Christo confessus voluntates et operationes, quae in Synodo VI. Oecumenica est recitata, et apud Baronium in Annal. exstat. Fuit vero acerrimus Monothelismi adversarius et ultimus Hierosolymae Patriarcha, ante urbem a Saracenis captam: quare Nicephorus in Chron. in ipso terminat catalogum Patriarcharum Hierosolymae, licet ibi postea subinde fuerint adhuc Patriarchae. Denique unus fuit ex praecipuis instauratoribus *typici* Hierosolymitani, in usum Laurae, seu monasterii ejus urbis. Renovavit etiam *Menaea*, quae 12 codices Ecclesiae Graecae sunt, quibus Dei, Deiparae, et sanctorum laudes comprehenduntur, per singulos mensium dies, in divinis Graecorum officiis, in Templis cantari solitae. Haec Menaea cum, per barbarorum invasiones in primis, una cum rituali, fere interierant, restituta sunt a Saba et Sophronio, ac deinceps J. Damasceno. Scripta Sophronii, quae vel encomia sanctorum, vel alia ritualia, ac moralia, ut de adoratione crucis, continent, recensuit Fabricius Bibl. Gr. vol. 8. §. III.

§. III. Intimus ejus socius, simul praeceptor, presbyter quoque et Monachus, *Johannes Moschus*, nomen suum reddidit famosum, per librum, cui titulus λειμωνάριον *pratum spirituale*, Sophronio nuncupatum, cujus nomen aliquando etiam praefert, in monument. Gr. Cotelerii tom. II. obvium. Complectitur liber vitas, dicta, et miracula variorum Monachorum, plenus est visionum, praedictionum, et miraculorum, quae maximam partem ridicula sunt et absurda. Praestat itaque nobis parum utilitatis, nisi quod superstitio seculi hinc elucescat, et pauca, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, hinc exsculpi queant. Invehitur etiam passim in haeresin Severi Acephali. Narrat, inter alia rigidi zeli in haereticos indicia, §. XIV., Nestorianum aliquem, ab Abbate Cyriaco in laura Calamonis, ad Jordanem fluvium, frustra admonitum, ut ad Ecclesiam Catholicam accederet, cum alia non sit salutis via, nisi recte sentire, et credere, Mariam esse Deiparam, persuasum tandem fuisse viso viri terribilis, ipsi adstantis, et locum tenebrosum, foetidum, igne ferventem, monstrantis, in quo vidit *Nestorium, et Theodorum, Eutychen et Apollinarem, Evagrium et Didymum, Dioscorum et Severum, Arium et Origenem, aliosque nonnullos*, simul ipsi dicentis, *locus iste paratus est haereticis, iisque, qui inpie loquuntur de sancta Deipara, nec non iis, qui eorum dogmata sequuntur. — — — — si omnes virtutes homo operetur, nec recte sentiat, ad hunc locum mittetur.* etc. Utiliorem praestitit operam alius in laura Palaestinae Monachus, *Antiochus*, libro scripto, titulo *Pandectes Scripturae*, qui, in 130 capita distinctus, Systema qualecunque neutiquam spernendum, morale comprehendit in usum vitae monasticae, ex dictis Scripturae, et celebrium Ecclesiae doctorum, contextum: cui exomologesis ad Deum subjungitur, in qua conflagrationis Hierosolymae, a Persis destructae, meminit, quam in praefatione libri descripsit, sed *lignum crucis* ablatum in specie deplorat, quod mirifice extollit. Accidit illud a. 614., quo anno scripsit. Editus est liber Gr.

et Lat. a Frontone Ducaeo in auctario Bibl. Patr., et latine in Bibl. M. P. t. XII. Caput vero 130*mum*, in quo elenchus reperitur haeresium, quas detestatur, exhibet Fabricius l. cit vol. IV. Inter plura alia, in hoc libro notanda, illud adtentionem meretur 1. quod inter Clementis Romani epistolas, a Cl. Wetstenio editas ad calcem N. T., et hujus libri hom. 17. et 21. haud levis sit convenientia: ut legenti adparebit, in specie quod virginitatem professis, viris et foeminis, inperetur, ut manus pallio teneant involutas, cum se invicem tangunt. 2. Quod insomniis, licet in speciem videantur divinitus inmissa, non facile sit credendum, cum multa sint exempla eorum, qui per ea in errorem et interitum delapsi sint; quale suo tempore Monachi sub finem vitae ad Judaismum prolapsi refert. Vid. homil. 84.

§. IV. Inportuno contra Monothelitas zelo, indeque orta fatorum tristium copia, prae reliquis nomen suum nobilitavit *Maximus*, Abbas, etiam *confessor*, quia multa mala propter vehemens suum studium passus est, dictus; cujus vitam conscripsit discipulus ejus Anastasius, quae apud Combefisium, una cum collationibus mox memorandis, exstat, et in Oper. Sirmondi tom. III. Cum ab Heraclio Inperatore in aulam esset adscitus, *protosecretarius* factus, aulam dein deseruit, Monasticam amplexus vitam, et Abbas monasterii Chrysopolis, prope CPolin., electus, non, ut Heraclium, in haeresin Monothelitarum prolapsum, desereret, ut autor vitae ejus narrat, sed studio vitae Monasticae ductus, ut Combefisius, in *notis* ad eam vitam, recte observavit. Cum vero per omnes oberraret regiones, ut Episcopos et alios concitaret in Monothelitas, in Africam etiam, derelicta Asia, propter metum Persarum, Byzantium usque grassantium, profectus, a. 640., Episcopos Africanos voce et exemplo ad sacrum scilicet illud bellum incitasset, Roma quoque petita, a. 645. Martinum Papam eo compulisset, ut, Synodo coacta Laterana a. 649., Monothelismum damnaverit; inpetum ejus instituit reprimere Inperator Con-

stans;

ſtans: a quo tempore multa paſſus eſt mala, et varie exagitatus ac vexatus, per decem annos, ab a. 652. ad 662., donec ad Lazicos tranſlatus, in confiniis Alanorum, a. 662. ibi mortuus ſit in carcere, annos natus 82., unde nomen *confeſſoris* ei adhaeſit. Exilium autem ejus tribus eſt mutatum vicibus. Miſſus enim primum eſt Bizyan Thraciae, poſt primam ejus cum Principibus collationem in Secretario a. 655., dein poſt ſecundam cum Theodoſio, Epiſcopo Caeſareae, et duobus Conſulibus, a. 656. Perperin, itidem Thraciae, in cuſtodiam eſt abductus, et continuis vexationibus ſubjectus, denique ad regionem Lazorum in confiniis Alanorum deportatus, a. 662., et ibi mortuus eſt. Praetenderunt quidem perſecutioni varia crimina, ipſi inpacta, ut proditionis, et calumniae in Inperatorem, ac injuriae in Pyrhum, CPol. Patriarcham, ſed vera cauſſa eſt, quam memoravi. Varia condidit ſcripta, a Combefiſio edita, duobus in fol. voluminibus, quae, nonnullis moralibus et aſceticis exceptis, maximam verſantur partem circa incarnationem Chriſti, naturarum in ipſo duarum unitionem, et duas voluntates, de quibus tunc fuit diſputatum. Sed variae etiam occurrunt explanationes locorum Scripturae S., in quibus allegorias paſſim captat, miſſo ſenſu litterali. Praeter haec opera, a Combefiſio publicata, ſuperſunt alia: uti 1. computus paſchalis, ſeu brevis narratio Chriſtiani paſchatis, in *Uranologio* Petavii 2. Scholia in Dionyſii Areopagitae opera, in eorum editione Raderiana, et 3. Ambigua, ſeu difficilia, loca Gregorii Nazianzeni explanata. Quae ſec. IX. latine verſa ſunt a Joh. Erigena Scoto, et una cum Scoti libris, de *diviſione naturae*, prodierunt Oxon. Gr. et Lat. in Fol.

§. V. Duo floruerunt *Anaſtaſii*, ex quibus res Maximi praecipue ſunt petendae, ejus quoque diſcipuli, et itinerum, exiliorum, et adflictionum ſocii. Quorum alter eſt Anaſtaſius Monachus et Abbas, qui a. 655. hac de materia exaravit epiſtolam ad *commune Monachorum* ad Caralin conſti-

nia, frater Fulgentii Carthagin., et Leandri Hispalensis Episcopi. Duobus praesedit Conciliis, Hispalensi II. et Toletano IV., in quibus multi canones ad disciplinam, in Hispania collapsam, instaurandam sanciti sunt. Summum ejus, sed nimium, exstat elogium concilii Toletani VIII., quo Doctor egregius Ecclesiae Catholicae, novissimum decus et, in seculorum fine doctissimus, praedicatur: licet non plane inmerito, ut vel ex ejus scriptis constat, quae varia supersunt. Quorum praecipua sunt. 1. Originum, seu etymologiarum, libri 20., quibus Braulio, Episcopus Caesar-augustanus, ultimam inposuit manum. Exposuit his in libris scitu digna ex omnibus fere scientiis, et breve etiam Theologiae Systema dedit. 2. Duo Chronica, unum a. M. condito ad 5tum Heraclii, alterum Gothorum ab anno aer. Vulg. 176. ad mortem Sisibuti Regis a. 628. 3. Liber Prooemiorum de libris Canonicis, ex quo Occidentalium Canon librorum Vet. et Nov. Test. repeti potest. 4. Commentaria allegorica Vet. Test. 5. De scriptoribus Ecclesiasticis, de Ecclesiasticis officiis, regulae Monachorum, liber Glossarum etc. 6. Denique scripsit *sententiarum Theologicarum* tres libros, qui excerpta ex Gregorii M. moralibus continent, in certum ordinem, qui ad Systematicum proxime accedit, digesta. Alias etiam inscribitur de *summo bono*, a primis scilicet, quibus incipit, verbis, *summum bonum Deus est*. Opera Isidori varie sunt edita, sive haec illa, sive in unum collecta, ut novissime a Jacobo Braulio, Monacho S. Germani. Opusculum ejus de *conversis*, lectu dignum, exstat in Antiq. Lection. Canisii, tom. II. Sed adtribuitur quoque Ipsi Missa Mozarabum, seu Mixtarabum, ut adpellari solent, in usum Ecclesiarum Hispanicarum. Arabes enim Hispani dicti sunt *mostarabae* h. e. advenae, adscititii; quo titulo insigniri solebant apud Arabes, qui ab Ismaele genus ducebant, nec genuini habebantur Arabes, sed advenae, secundum Pocockium. Nomen vero proprie est *Mustarabes*, formatum analogia Arabica ex praefixo conjugationis Xmae, quo

quo Arabicae genti *adſcripti* notantur, ſeu facti per legem. Arabes, jurium gentilium participes, quaſi dicas, *inarabatos*. Miſſa autem ipſa eſt antiquior, ut ſupra ſuo loco ad ſec. praeced. obſervavi, ab Iſidoro vero reviſa et aucta.

§. VIII. Eodem etiam tempore floruit *Hildefonſus*, primum Abbas monaſterii Agattienſis, dein Epiſcopus Toletanus, ab a. 659. ad a. 669., cujus vitam, et viſiones, ſatis ſingulares, et ſuperſtitioſas, enarravit, praeter alios, Mariana Hiſt. Hiſp. l. VI. Vid. etiam Mabillon. ſec. II. Benedictin. ubi vita ejus, a Juliano, et Zexilane, Epiſcopis ſcripta, reperitur. Cum ejus tempore Helvidii errores contra perpetuam Mariae virginitatem reſuſcitarentur, celebrem ſe ſtudio in Mariam reddidit, nonnullis etiam pro ejus virginitate, et in ejus laudem, ſcriptis, quae ſuperſunt. Sed praeter taedioſas declamationes parum continent ſolidi. Accepiſſe tamen in praemium fertur pallium, a Maria de coelo adlatum, quae ipſi dixit, *accipe hoc Munus, quod Tibi de theſauro Filii mei adtuli.* Continuavit quoque Iſidori, praeceptoris ſui, librum de viris Illuſtribus. Epiſtolas vero ejus duas ad Cyricium Barcilonenſem edidit Dacherius in Spicilegio, alios duos libros morales Baluzius Miſcell. tom. VI. Sed ſermones, in praecipuis Mariae feſtis pronunciati, recentiorem ſpirant autorem: utique ejus non ſunt, licet nomen praeferant. Alius fuit circa medium ſeculi Toletanus Epiſcopus, *Eugenius*, cujus opuſcula edidit Sirmondus Oper. tom. III., haud magni pretii. Sed longe celebrior fuit *Julianus*, et ipſe Toletanus Epiſcopus ab a. 680. ad 690. ex traduce quidem Judaeorum, ſed ex parentibus Chriſtianis genitus, ut refert Rodericus Toletanus: elogium vero ejus dedit Felix Toletanus in adpendice Hildefonſi de Viris Illuſtr. Variis praefuit conciliis Toletanis, hoc tempore habitis, et in poſtremo Toletano XV*to* libri ſui de *tribus ſubſtantiis* vindicias egit contra Papam Benedictum, qui illum minus orthodoxum judicaverat, quem acerbe perſtrinxit, tanquam ignorantem et ſtupidum. Erant autem inter

ea, quae Papa notaverat, haec duo notabiliora, 1. quod Julianus, de Deo loquens, dixerat, *voluntas genuit voluntatem, sicut et sapientia sapientiam*, 2. in Christo, Dei Filio, *tres* dixerat esse *substantias*. Quae in conciliis Toletanis XV. et XVI. orthodoxe sunt explicita et adprobata, etiam ab ipso Papa Sergio, substantiae voce de essentia intellecta. Ad *prius* dictum declararunt Patres, aeternam voluntatem Dei esse tribus personis communem, adeoque, sicut dici potest, sapientiam a sapientia esse genitam, ita etiam, voluntatem a voluntate: ad *posterius* vero, tres in Christo dici posse substantias, respectu corporis, animae, et divinitatis, ut et duas, si corpus et anima habeatur una natura et substantia. Scripsit, inter alia, libros tres contra Judaeos, quorum magna erat in Hispania copia, a. 686. In quibus, quod notatu dignum est, Christum sexta mundi aetate venturum demonstraturus, tempora ante Messiam in has quinque divisit aetates, a Mundo condito ad Diluvium, inde ad Abrahamum, inde ad Davidem, inde ad exilium Babylonicum, et inde ad Messiam. Sed et ita instituit Isidorus Hispalensis Origin. l. V. fin., et diu ante eos Augustinus quaest. in Judaeos §. 26. et in Johann. tract. IX. §. 6. Praeterea librum *Prognosticorum* futuri seculi conscripsit, ubi de morte, statu animarum, ultimo Judicio, et Resurrectione, disserit, in specie adfirmat purgatorium. Qui liber legi meretur ab eo, qui Veterum opiniones de illis rebus, et curiosis quaestionibus, cognoscere cupit. Sunt autem Veterum, in primis Augustini, Gregorii M., et Juliani Pomerii compilationes. 3. Historia Wambae, Gothorum Regis, contra Paulum, ducem Narbonensem, ab ipso composita, exstat inter scriptores Francicos Du Chesne. Liber vero *ἀντικειμένων*, seu de adparentibus Script. S. *contradictionibus*, ejus non est, nec cujus sit constat. Forte autorem habuit Bertharium, Abbatem Casinensem, teste Leone Ostiense. Ceterum inter opiniones, notatu dignas, Juliani fuit, Adamum habuisse in natura, posse non mori, et mori. Sed

praecepto

praecepto obedientem, futurum inmortalem, ut ultra mori non possit; praevaricatorem vero factum, sic mortalem fore, ut mortem vitare non possit: addit, posteros ejusdem fore sortis, ita ut, *quod poenaliter praecessit in peccantibus primis hominibus, etiam naturaliter sequeretur in ceteris hominibus*. Vid. Prognost. l. I. c. 2 et 3.

§. IX. Hujus etiam seculi censetur *Marculfus*, Monachus, licet, Meldensem fuisse Episcopum, circa aetatem Caroli M., disputet Launoius, Gallus, qui libros scripsit ad Landericum, Episcopum, ut putatur, Paris. a. 660. Exstant hujus viri utilissimi libri *de formulis publicorum et privatorum negotiorum*, quos primus edidit Bignonius, dein Baluzius tom. II. *Capitularium*. Unde multa, ad regimen et disciplinam Eccles., aliaque civilia, facientia, repeti possunt: inter multa alia, ex. gr., Episcopos fuisse a Rege nominatos, et a Metropolitanis ordinatos in Gallia, absque ut Papis Romanis aliquid ibi fuerit juris. Longe celebrior exstitit in Anglia *Theodorus*, origine Graecus, Tarsi Ciliciae natus, et a Vitaliano Papa ordinatus Episcopus *Doruvernensis*, sive Cantuariensis, a. 668. teste Beda hist. l. IV. c. 1., nactus etiam a Papa jurisdictionem in omnes Anglo-Saxonum Ecclesias, quam primus exercuit, cum Augustinus, quia receps erat Ecclesia, non potuerit. Supersunt hanc in rem Litterae Papae apud Malmesburiensem l. I. Fuit quoque et tunc magnae existimationis, et postea etiam celeberrimus. Testatur autem Beda l. V. c. 8. *tantum profectus spirituales tempore Praesulatus ejus Ecclesias Anglorum, quantum nunquam antea potuere, cepisse*. Hujus viri opera ritus Romani ubique per Angliam recepti sunt, antiquus quoque paschatis celebrandi mos commutatus est cum Romano. Synodum habuit Herefordiae a. 673., in qua canones Ecclesiae Romanae, ab Anglis custodiendi, decreti sunt, ibique codicem canonum antiquorum protulit, ibi adprobatum, in specie decem capitula, inde excerpta, apud Bedam l. IV. c. 1. obvia. Altera vero in Synodo Hethfeldae, in agro Cantia-

no, a. 680., quinque Oecumenica concilia sunt admissa, et Monothelismus damnatus est. Beda l. IV. c. 17. Primus quoque est inter Occidentales, qui librum scripsit *poenitentialem*, ex quo summaria capita 78 exhibet Spelman. concil. Angl. tom. I. Ipsum autem opus nondum est in lucem protractum. Quod enim Petitus sub hoc titulo edidit Parisiis, exiguam tantum ejus partem comprehendit, nec eam puram; sed interpolatam, reliqua vero farraginem rituum, ex diversis canonibus conflatam, constituunt, ut recte advertit Dupinius in Bibl., qui 14 illos titulos Theodori ex eo libro recensuit, et recte observat, in illis occurrere nonnulla, ab illo tempore aliena, etiam Theodoro contraria, adeo ut iis fidendum non sit. Praeterea 120 Theodori capitula, longe puriora, in lucem produxit Dacherius in spicilegio, tom. I. Sunt autem quantivis pretii, ad hujus et seq. seculorum disciplinam cognoscendam. Solet vero hic vir haberi praecipuus corruptae disciplinae promotor, nullum enim tam atrox est crimen, quod paucorum annorum poenitentia non potuerit ablui. Sed inter ejus canones 35*tus* habet, quod notari meretur, *licere soli Deo confiteri in casu necessitatis*. etc. Conferenda sunt, quae Petitus in *dissertat.*, editioni ejus subjunctis, ad ejus defensionem in medium adtulit. Ceterum primum hoc est in Occidente publicatum *poenitentiale*, et ad ejus normam illud Romanum, aliaque similia in Occidente conformata sunt. Provocatum etiam passim ad illud est in Synodis, et omnibus commendatum.

§. X. Adjungatur ei, verbo memorandus, *Adhelmus*, primum Monachus et Abbas Balbunensis, sive Malmesburiensis, dein primus, apud Saxones Occidentales in Anglia, Episcopus Scherburnensis, seu Sarisburiensis, egregius auceps antiquarum vocum dictus Salmasio ad Spartianum, Bedae vero, Hist. V: 19. *Vir doctissimus. sermone nitidus in scripturarum, tam liberalium quam Ecclesiasticarum. eruditione mirandus*, diei paschatis cum Romanis celebrandi strenuus

contra

contra Britannos quartadecimanos defensor, scripto etiam libro, qui interiit. Exstat Althelmi Abbatis epist. inter Bonifacianas 44., qua Paschatis, secundum definitionem Nicaenam, celebrationem urget contra *Quartadecimanos* in Anglia, nec non tonsuram Petri clericalem, contra illos, qui Simonis Magi, ut putabatur, tonsuram praeferebant. Unitatem cum Ecclesia Romana, ibidem adserit, ad salutem esse necessariam in fide et ritibus. *Frustra*, inter alia dicit, *de fide Catholica gloriatur, qui dogma et regulam S. Petri non sectatur. Fundamentum quippe Ecclesiae, et firmamentum fidei, principaliter in Christo, et sequenter in Petro collocatum, nequaquam, ingruentibus tempestatum turbinibus, nutabundum vacillabit* etc. Supersunt, inter alia, libri de laude Virginum, et octo principalibus vitiis, in Antiq. Lection. Canisii vol. I. indeque in Bibl. M. P. vol. XIII., sed vix lectu digni, sive stili, sive materiae, ratio habeatur, nisi quis historiolis ad virginitatis inmensam laudem delectetur. Quo etiam, quod singulare est, pertinet, quod suicidium, periclitante virginitate, crediderit permissum, cap. XV. Ceterum elogium ejus historicum exstat apud Mabillon. sec. III. Benedictin. p. I. In fine seculi, quod verbo adtingendum est, mortuus est *Adamnanus*, Abbas Huensis monasterii, in confiniis Hiberniae, celebris libro de *Locis Sanctis*, dictante Arculfo Gallo, qui cum Paulo Eremita in illa loca erat profectus. Qui libri, a Beda Hist. l. V: 16. laudati, et excerpti, emendatius recusi exstant, cum itinerario Bernardi Monachi in Actis Benedictin Mabillonii sec, III.

DOCTRINA ET FIDES.

§. XI. In doctrinae praecipuis capitibus nihil hoc seculo est innovatum. Trinitatem, Incarnationem, ejusque modum et effecta, scilicet remissionem peccatorum ob Christi passiones, et vitam aeternam, aliaque similia, eodem, quo super. sec., modo tenuerunt. Legendae sunt confessiones,

quae variis in conciliis Toletanis, uti IV, VI, VIII, XI et XVI. reperiuntur, nec non epistola Agathonis Papae, in concilio Oecumenico VI*to*. Catalogus quoque haeresium, ab Antiocho Monacho contextus, et Isidoro Hispal. Origin. l. VIII: 5. et in Chronico: cujus scripta, praeter Juliani Toletani, egregium hac in caussa praebent usum. Exstat egregia fidei regula apud Isidorum offic. Eccles. II: 23., et de triplici causa et fine mortis Christi ibid. I: 29. Thalassii monachi, cum Maximo Abbate arcte conjuncti, cujus quatuor *hecatondades* veritatum moralium non spernendae exstant in Bibl. M. P. tom. XII. confessio Trinitatis reperitur circa fin. III et IV. *hecatond.*, qua, inter alia, dicit, *principium unum omnium Patrem scimus, et principium Filii, et Spiritus sancti, ut genitorem et fontem coaeternum coaeternorum, et simul immensorum, et indefinitorum, et unius essentiae, et incircumscriptorum — — — — Filius et Spiritus non carent principio causali, carent autem principio temporali* etc. Caput. XVII. concilii Lateranensis sub Martino Papa condemnatos eos pronunciat, *qui secundum sanctos Patres non confitentur proprie et vere omnia, quae tradita et praedicata sunt sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae, perindeque a sanctis Patribus, et venerandis universalibus quinque conciliis, usque ad unum apicem, verbo et mente.* Canon Scripturae recensetur apud Leontium *de sectis* act. 2. idem, qui apud Protestantes, exclusis libris Apocryphis, excepto libro Baruchi, quem tanquam Jeremiae citat. Libros Maccabaeorum pro Canonicis quoque non habuit Pseudo-Augustinus, qui hoc seculo videtur vixisse de *mirabilibus Scripturae*, ad calcem Augustini oper. tom. III. Sed Isidorus Origin. l. VI: 1. et de Offic. Eccles. I: 11. inter canonem Hebraeorum et Christianorum distinguit, et, hunc eos libros pro divinis agnoscere, tradit: sic et in lib. de *Numero* adcensentur canoni, qui Protestantibus sunt apocryphi, imo additur, eos esse a Judaeis canone ejectos in odium Christianorum: praeterea *secundo* loco ponuntur opuscula Sanctorum, quorum catalogus texitur. De autori-

bus

bus denique 2. Petri, Jacobi, 2 et 3. Johannis, adhuc dubitari dicit Origin., et de offic. Eccleſ. loc. cit. ſicut et concilium Toletanum IV. de Apocalypſi Johannis habet, *plurimos quidem eſſe. qui ejus autoritatem non recipiunt, eumque librum in Eccleſia praedicare contemnunt*, ſed decernit, eum, qui deinceps non receperit, aut a Paſcha ad Pentecoſten Miſſarum tempore non praedicaverit in Eccleſia, eſſe excommunicandum. Doctrina de *Purgatorio* mirum in modum invaluit in Eccleſiis Latinis, et per ſimilia viſa, unde orta eſt, fuit confirmata. Qualis fuit ex. gr. viſio Furſaei, Monachi Benedictini, circa medium ſeculi, qua vidiſſe fertur ignes ſubterraneos, et animas ignibus toſtas, apud Bedam Hiſt. III: 19. nec non Drithelmi Nordanhumbrenſis, a mortuis reſuſcitati a. 656., et mira de purgatorio narrantis, ibid. V: 13.

CULTUS.

§. XII. Praeter Angelorum directam invocationem, qua ab ipſis omnia bona petuntur, quae in primis apud Sophronium in *ſermone de Angelorum excellentia* occurrit, et ſine ulla menſura extollitur, ut et apud Hildefonſum Toletanum in libro de *virginitate* S. Mariae cap. 11. fin. ſummopere viguit Mariae, Sanctorum, reliquiarum, et crucis cultus, et imaginum quoque uſus jam invaluit. Maria, inter alia magnifica elogia, in actis Martini Papae, in *collectaneis* Anaſtaſii, adpellatur *glorioſiſſima* et *excellentiſſima omnium creaturarum*, et *prae omnibus ſanctis colenda*, et *adoranda*: anathemate etiam in eos pronunciato, qui aliter ſentirent ep. XIV. etc. Heraclius litteras ad CPolitanos de interitu Choſroae, Regis Perſarum, infenſiſſimi Graecorum hoſtis, in Magna Eccleſia CPol. ex ambone lectas, his verbis concludit. *Fiduciam ponimus in Domino noſtro Jeſu Chriſto, bono et omnipotente Deo, et Domina noſtra Dei genitrice*,

trice, fore ut res nostras omnes secundum eorum clementiam curent. Exstant etiam in Chronico Paschali ad ann. Heraclii 18*vum.* Qui Chronici autor, paulo ante, CPolis liberationem ab hostibus adtribuit Deo, *per acceptissimam intemeratae matris, et verae Dominae nostrae, Dei genitricis, et semper Virginis, Mariae intercessionem.* Nec tamen preces ad Mariam fundit, sed addit in clausula, *vos bene valete, et continuas orationes ad Deum fundite* etc. Vid. etiam Hildefonsus l. cit. cap. 1. et 12., ubi ad Mariam preces directe fundit, et eam mire extollit. Germani CPol. et Hildefonsi sermones, *de laudibus Mariae*, cum recentioris sint aetatis, supra hoc etiam seculum, licet satis superstitiosum, summo gradu superstitiosi, nec sine stupore legendi, mitto: de Germano ad sec. sequens dicam. Sancti jam coeperunt in Missa compellari, eorum intercessio et auxilium fuit inploratum; ut ex Liturgiis et ordine Romano patet. Episcopi quoque in concilio Cabillonensi invocarunt Vincentii Martyris intercessionem. Eugenius Toletanus intercessionibus Sanctorum multum tribuit in opusculis, et preces ad eos dirigendas vult. Inter capitula Theodori Cantuariensis est, *reliquias sanctorum venerandas esse, accensis candelis per singulas noctes, et facto incenso.* Isidorus Offic. Eccles. l. I: 34. ait, festa in honorem martyrum celebrari, vel *ad exatandam imitationem*, vel *ut meritis eorum consociemur, atque orationibus adjuvemur.* Sic Romae Pantheon, Templum omnium Deorum, sub Augusto exstructum, hoc seculo est Mariae Virgini, et *omnibus sanctis* consecratum a Bonifacio Papa, qui illud a Phoca Imperatore petiit et inpetravit, teste Anastasio. Hodie adpellatur S. *Maria rotunda*, ob aedificii formam. De reliquiis et meritis Oswaldi, Regis et Martyris, multa habet superstitiosa Beda Hist. l. III: 6, 13. et de miraculosis sanationibus per reliquias Aemiliani vid. Eugenius de Basilica eius apud Sirmondum l. cit. Theodefridus, qui hujus dicitur seculi, sed mihi aliunde ignotus, duobus in sermonibus de *sanctorum reliquiis et veneratione sanctorum*, in

in Bibl. M. P. tom. XII. nullum hac parte tenuit modum. Sanctorum reliquias, tanquam singularis Dei gratiae, Ecclesiae concessae, signa, Provinciarum, et civitatum, tutissima praesidia, miraculorum patratione illustres, mirum in modum extollit. *Pulvis iste licet dissolutus sit et exiguus*, inter alia multa encomia dicit, *hujus tamen aeris dominatur potestatibus, honoratur digne a cunctis mortalibus, pusillis et majoribus, quia, ut calor inseparabiliter insitus est in natura ignis, sic sanctitas est sita in illis*. Sanctos ibid. adserit *exemplo Mosis esse inter nos, et Deum Mediatores positos, ut qui, per nostra despicimur merita cum Pharisaeo, per illorum justificationem justificemur cum Publicano* etc. Deinde, *tanto devotius eorum laudem celebremus in terris, quanto majoris meriti eos credimus esse in coelis. Quid apud Deum eorum possint animae, actus examinatorum corporum ostendunt quotidie. Si quid forte natura negat, vel improvisus casus in humanis debilitat, ad eorum sepulchra clementia divina restaurat. Coecitatem illuminant, gressus consolidant, linguas reparant, aures reserunt, daemonibus imperant, carceres aperiunt, vincula resolvunt, elisos erigunt* etc. *Haec operantur*, subjungit, *per corpora Spiritus, qui jam divinis adsistunt obtutibus*. Plura proferre piget. Sed Isidorus l. cit. distinctius exponit, qua ratione sancti honorentur, non adorando, tanquam Deos, nec ipsis offerendo, quod soli Deo competit, quamvis in memoriis martyrum constituantur altaria, adeoque latriae cultum soli Deo convenire statuit, sanctis tantum honorationem, tanquam Dei amicis, et quorum precibus juvamur, fere quemadmodum sancti in hac vita coluntur, licet mortui devotius, et fidentius. Cum autem ad latriam pertineat *sacrificium*, illud non sanctis, sed soli Deo, in Ecclesia offerri; adeo ut qui aliter instituunt reprehendantur. Julianus quoque Toletanus, cujus supra memini, cum in opusculis se minus certum declaret, num sancti nostra sciant, eorumque preces pro vivis esse tantum *desideria* statuat, precibus ad sanctos haud multum videtur tribuisse. Sic et Antiochus, supra memoratus, mo-

nachus Palaestinus nusquam aut instituit ipse, aut commendavit has preces. Julianus tamen Prognost. l. II. c. 29. agnoscit, posse mortuos aliquid ab iis audire, qui hinc ad eos moriendo pergunt, posse etiam ab Angelis, qui rebus, quae hic aguntur, praesto sunt, denique posse, spiritu Dei revelante. Quae omnia restringit ad illa, quae ipsorum scire interest. Autor vitae Clodoaldi Confessoris §. 2. in Actis Benedictin. Mabillon. sec. I., sanctum mortuum, dicit, *nostrarum non oblivisci miseriarum, cum semper claro intueatur lumine omnia videntem, et aequo jure disponentem, ac moderantem.* etc. Ex quo colligere licet, theoriam fuisse praxi meliorem, et Doctorum opiniones ab iis Vulgi diversas.

§. XIII. Nec minor fuit *crucis* veneratio, quam antea, quae de adoratione aliquid traxit. Vid. Sophronii oratio *in adorationem venerandae, ac vivificae, crucis.* Crux in Ecclesia Constantiniana *adoratur* et *osculatur*, inquit Regino l. I. Oswaldus, rex Nordanhumbrorum, in *homiliis Anglicanis* ex Beda, *erecta cruce in honorem Dei, antequam ad praelium venerat, adlocutus est socios suos milites: nos ad crucem procidamus, et omnipotentem Deum invocemus.* Alia in homilia, *nos crucem*, inquit, *semper veneramur, propter honorem Christi*, et veneratio *in genuflexionibus* collocatur, *inclinationibus, thurificationibus, et cultu.* Vid. Usserius in *responso* ad Jesuitam Irlandum de *imaginibus.* Sergius Papa, *Deo ei revelante*, inquit Anastasius in ejus vita, *reperit in capsa argentea, in loco obscurissimo jacente, ineffabilem portionem salutaris ligni Dominicae crucis, quae ex die illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano, die exaltationis sanctae crucis, in Basilica Salvatoris, quae adpellatur Constantiniana, osculatur ac adoratur.* Crucis lignum vivificum, Hierosolymis a Persis sublatum, sed ab Heraclio Inperatore receptum, simul a profanis et pollutis manibus non attrectatum deprehensum, devote admodum, et cum gratiarum actione, Hierosolymae monstratum, ac adoratum, dein CPol. delatum, et litaniis a Sergio Patriarcha deductam, ac in Magna Dei Matris Ec-

clesia

clesia repositum, memorat Nicephorus CPol. in *Breviario histor. a.* 631. Attala, Abbas Bobiensis, egrediens ingrediensque cellulam, tactu crucis, quam ibi poni praeceperat, frontem muniebat, dixitque, *ave alma crux, quae mundi pretium portasti* etc., ut tradit autor vitae ejus apud Mabillon. Sec. II. Benedictin. Venit denique Augustinus, ut supra narravi ad sec. VItum, ad Anglos *cum cruce argentea pro vexillo, et imaginem salvatoris* in tabula depictam habens. Notabilia sunt Alcuini cap. de *feria sexta paraschevis*, sec. seq. scriptoris, verba: *quando hanc crucem adoramus, omne corpus nostrum haereat terrae, et Ipsum, quem adoramus, quasi pendentem in ea, mente cernamus, virtutemque, quam accepit a Filio Dei, ipsam adoramus. Prosternimur corpore ante crucem, mente ante Dominum: veneramur crucem, per quam redempti sumus, et illum deprecamur, qui redemit.* De efficacia vero signi crucis in fronte agit Isidorus de *vocatione Gentium* c. 25.

§. XIV. Quod autem ad *imagines* adtinet, Heraclius Imperator, sicut erga crucem, ita et erga imagines, sese superstitiosum praestitit, absque tamen ut eas legatur adorasse. Narrat tantum in *vita Heraclii* Theophanes, eum, fiducia in ea posita, jurasse *super imagine Christi.* Longe superstitiosiorem sese praebuit Sophronius Hierosolym. in *encomio* Cyri, dum lepidam narrat fabulam, de solitario a Diabolo vexato; qui, cum a Daemone audivisset, se a tormentis liberandum, si juraret, se *imaginem* virginis Mariae nunquam esse adoraturum, ab Abbate, quem consuluit, hoc tulit responsum, nullam ob causam omittendam esse Christi, et matris ejus, imaginis adorationem. Praeterea Johannes Anachoreta, haud procul Hierosolymis, imaginem Deiparae, Dominum Deum nostrum in ulnis gestantem, secum semper in spelunca habebat, et, iter ingressurus, Deo supplicans, dicebat ad Dominam, intendendo in imaginem ejus, *sancta Domina Deipara, candelae,* (quam secum ferebat) *tuae curam habe, ne exstinguatur.* Vid. Moschus in Prato p. 438. Notabilis denique est hanc in rem canon 82. concilii CPol.

III. ſeu *quiniſexti*, quo Chriſtum ſub forma *agni* vetatur pingi, et forma hominis praefertur, nulla adorationis facta mentione, ſed tantum *inſtructionis* per imagines. Vid. etiam Cedrenus in Compend. Hiſt. in Conſtantino Pogonato. Quem canonem rejecerunt Romano-Catholici, propter *agnos Dei*, ex cereo, ſeu nova cera benedicta, confici, et Sabbato *in albis* diſtribui, ſolitos. Cujus uſus mentio occurrit in Ordine Romano, qui Gelaſii nomen praefert. De cerei paſchalis benedictione, ſeu conſecratione, ejuſque particularum diſtributione, ac earum uſu, in agris etc. contra daemonum praeſtigias, et tonitrua etc., muniendis, nec non forma agni, in Eccleſia Romana inde facta, legendus eſt Ennodius, ſec. VI*ti* ſcriptor, in Oper. Sirmondi tom. I. et Sirmondus in not. Ceterum, praeter ſanctorum imagines, habuerunt quoque, non ſine ſuperſtitioſa veneratione, Inperatorum et Synodorum imagines, et picturas, dum eas Inperatorum multis adclamationibus, ſuffitu, et cereis exceperint. Vid. Spanhemius de *Imaginibus* Oper. tom. II.

§. XV. Cultus divini partes, et ritus, qua ratione ſeſe hoc ſeculo habuerint, ex ſequentibus monumentis hauriendum eſt; canonibus ſcilicet conciliorum Toletanorum, et Quiniſexti, Theodori Cantuarienſis in Anglia capitulis, et Iſidoro Hiſpalenſi de *Originibus*, in primis de *Officiis Eccleſiaſt.* Ex quibus manifeſtum eſt, rem religionis eodem fere in ſtatu manſiſſe, quo ſuperiore ſeculo fuit, tantum ad craſſam ſuperſtitionem magis magiſque inclinaſſe, et ad ſubjectionem Eccleſiae Romanae, unde multi, etiam novi, ritus ad reliquas defluxerunt Eccleſias Latinas. De quo paulo fuſius eſt agendum, poſtquam obſervavero, fundamenta *linguae ignotae*, in ſacrorum exercitio, jam hoc ſeculo fuiſſe jacta inter Latinos, non ſtudio, ſed quod officium Gregorianum ubique obtinere, et populus ab uſu linguae Latinae coeperit deflectere per incurſiones Barbarorum, eorumque cum Latinis in Gallia, Anglia, Germania, et Hiſpania commixtionibus. Unde, cum lingua Latina depravata fuerit, et dein non amplius intel-

lecta,

lecta, introducta progressu temporis est *ignota* lingua; maxime cum sequente sec. domus Carolingica, ritus Latinos cum lingua ubique valituros, sanxerit. De quo postea.

§. XVI. Recenseamus nunc aliquos ritus in Ecclesia Occidentali ortos, secundum ordinem temporis, quo inceperunt. 1. *Campanarum* usum a Sabiniano Papa, qui ab ann. 604. ad 607. sedit, fuisse introductum, tradunt quidem Polydorus Vergil. de *Inventoribus rerum* l. VI. et alii. Platina tantum dicit, ipsum, ut ferunt, instituisse, ut *horae in Ecclesiis distinguerentur:* sed, cum ejus non meminerit Anastasius, nec quo fundamento illud referant, pateat, res manet incerta. Illud constat, campanarum sonitu fideles ad Ecclesiam jam antea fuisse vocatos: de quo vid. Martene de *antiqua Ecclesiae disciplina* cap. II., ubi etiam alias convocandi rationes, antea usitatas, *tabulis ligneis*, *cornibus*, et *tubis* enarrat. Scriptores, qui de hisce σημαντηρίοις in Oriente inter Christianos egerunt, recensuit Fabricius Bibliogr. Antiqua c. 11., quibus addendus est Asseman. Bibl. Or. tom. II. p. 178. 2. Papam Deusdedit, *spiritualem cognationem*, quae matrimonium prohibet, instituisse, vulgo quidem existimatur, fide epistolae ad Gordianum Hispalensem, quae ejus nomen in Tomis Conciliorum praefert, sed, eam esse spuriam, evicit jam Pagi in *breviario* Pontificum. Imo num sec. VIIIvo talis cognatio locum habuerit, qua viduam quis ducere, sine maximo crimine, non potuerit, cujus filium in baptismo adoptivum susceperat, se ambigere dixit, et instrui petit, Bonifacius Germanorum Apostolus epist. 11. et 15. Addit, se tale quid nec in antiquis canonibus, nec in decretis Pontificum, reperisse. 3. Bonifacius IV. jus *asylorum* in Ecclesia ad quoscunque reos, etiam sicarios, raptores, et alios, extendit, ut ex Anastasio et aliis patet; aliquem vi ex Ecclesia abstrahi vetuit. 4. Honorio debentur *processiones* hebdomadariae, et ut singulis sabbatis a S. Apollinari ad S. Petrum iretur, circumeundo Templa, cum hymnis et canticis, seu litaniis, ut Anastasius refert. Censetur quoque sancto-

sanctorum invocationes addidisse Gregorii M. litaniis. 5. Consuetudo subscribendi calamo, in calice sanguine Domini tincto, loco atramenti, transiit a Graecis ad Latinos, usurpata a Theodoro Papa, in subscriptione damnationis Pyrrhi a. 648., ut narrat Theophanes ad a. 20. Heraclii, et ex Latinis Paulus Diaconus hist. l. XVIII. Obtinuit quoque ritus, quo in dedicationibus Ecclesiarum tres portiones, de corpore Domini detractae, altari fuerint inclusae cum calce, et malta, Vid. Martene de Eccles. rit. l. I. c. 5. Sanxit deinceps sec. IX. Synodus apud Celichyth, sub Kenulpho Rege Merciorum in Anglia, ut *eucharistia, quae ab Episcopo consecratur*, cum reliquiis aliis, condatur in *capsula*, *ac servetur* in Basilica, dum dedicatur.

§. XVII. 6. *Organorum* usum initium cepisse in Ecclesiis, sedente Vitaliano, tradit Platina, estque vulgata opinio, et verior. Vid. Bona rer. liturg. l. I. c. 25. et de organis ex Graecia in Galliam invectis ac Angliam, sec. 8. et seq., Mabillon., praef. ad sec. III. Benedictin. §. VI. et Muratorius Antiquit. Ital. Medii aevi Dissert. XXIV., ubi in specie docet, organorum usum apud Italos jam ante sec. IX. obtinuisse, contra Mabillonium in Annal. Benedictin. 7. Obtinuit quoque ejus tempore mos confitendi peccata apud Monachos in Monasteriis, ad quos Clerici veniebant et Laici, ut a peccatis purgati se ad communionem sacram praepararent, Martene l. cit. l. I. c. 6. Ceterum hic Papa, adjuvante Theodoro, Archiepiscopo Anglorum ab ipso creato, ritus mire promovit per Ecclesias, ut ex regula ejus Ecclesiastica, et supra de Theodoro dictis, satis elucescit. 8. Exstat quoque sub Theodato Papa exemplum peregrinationis ad limina Apostolorum Romae in Audoëno, Rhotomagense Episcopo, a. 672., ut Pagi ad Baron. observavit. 9. Agathone sedem papalem tenente, celebratae sunt ab ejus Legatis *Missae Latinae* in Ecclesia S. Sophiae CPol, coram Principe et Patriarcha, novo exemplo; teste Anastasio. Constituit quoque, ut si quis Romam peregrinandi votum

votum fecisset, et si illud praestare aut *causa aegritudinis*, *aut servitii Domino praestandi*, *aliusve impedimenti*, *aut necessitatis cujuscunque*, *nequeat*, ad Ecclesiam Medhamstede in Anglia venisset, eadem a Christo et Petro etc. remissione peccatorum gauderet, ac si Romam venisset: teste. Epistola ejus ad Regem Merciorum Aethelredum a. 680. apud Spelman. de conciliis Britann., et in tom. Conciliorum.

§. XVIII. 10. Sergius Papa statuit, ut habet liber Pontificalis, ut *tempore confractionis Dominici corporis*, a Clero et populo cantaretur, *agnus Dei*, *qui tollis peccata mundi*, *miserere nobis*, ultimis verbis ter repetitis. Postea, pro *miserere nobis*, dictum est *dona nobis pacem*. Fecit quoque *thymiaterium*, seu suffitorium, suspenditque ante tres Petri imagines aureas, in quo *incensum et odor suavitatis*, verba sunt libri Pontificalis, *festis diebus*, *dum missarum solennia celebrantur*, *omnipotenti Deo opulentius mittitur*. Denique inter festa, in quibus voluit Papa ut *litaniae* recitarentur, occurrit *dormitionis et adsumtionis* Mariae, apud Anastasium. Narrat vero Nicephorus H. E. XVII: 28. Mauricium Inperatorem praecepisse celebrationem ejus festi diei XV. Mens. August., cum antea die XVIII. Januar. celebraretur; jam ante sec. VItum in usu. Vid. Mabillon. Liturg. Gallic. l. II. Martene Ecclesiast. disciplina, et Florentinus ad Martyrologium Hieronymi. Sed festo *purificationis* Mariae in fin. seculi fuisse a Sergio additas *lucernas et candelas*, indeque nomen *Lichtmis* esse ortum, observavit Seldenus Synagog. l. III. c. 13. Meminit etiam ejus ritus autor *homiliarum sedecim* in Bibl. M. P. tom. XII., sub nomine Eligii Noviomensis Episcopi, hom. II., eumque derivat inscite a lustris Romanorum, qui, ut ipse ait, *lustro expleto*, *censuque soluto*, *sacrificium celebrabant*, *et cum cereis ac lampadibus urbem Romam illustrabant*, *ob honorem infernalium Deorum*, *et praecipue Februi*, *id est Plutonis*, *qui Dominus Inferni dicebatur*, *a quo et mensis Februarius nomen sortitur*, *cujus in parte extrema*, id est in Calendis, *agebatur*. De processio-

ne vero tunc fieri solita, cereis ardentibus in manibus etc. vid. Bernardus serm. 2do de *purificatione Mariae*, ubi etiam sensum mysticum rituum exponit. Denique 11. *lotionem pedum*, in ultima quadragesimae hebdomade, in *coena Domini*, fieri a sacerdotibus solitam, et in Ecclesiis nonnullis praetermissam, renovavit, et per Ecclesias Hispaniae, ac Galliae, sub censura, observandam statuit concilium Toletanum XVII. a. 694. De quo vid. Martene antiq. Eccles. disciplin. c. 22. Addatur obiter 12. lucernae et cerei in pervigiliis Paschae *benedictionem* solennem, multis in Ecclesiis omissam, fuisse a concilio Toletano. IV. praescriptam ratione benedictionis inde repetita, can. 8., *ut sacrae resurrectionis mysterium, quod tempore hujus votivae noctis advenit, in benedictione sanctificati luminis accipiamus.* Nec illud omittatur 13. multos viros religiosos rem sacram quotidie celebrasse. Vid. Mabillon. praef. sec. II. Benedict. §. IV.

§. XIX. Dictis subjunxisse non fuerit abs re alienum, Clericos studio in ritus Ecclesiasticos arsisse, adeo ut ad eorum observantiam jam fuerint coacti Christiani, nec pro liberis, aut indifferentibus, amplius habiti. Praecipuum quoque Paparum studium fuit circa Templa, eorumque ornatum, reliquias, undequaque conquisitas, et quaquaversum translatas, imagines, litanias, processiones, aliosque ritus superstitiosos, versatum. De quo vel unus sufficit testis Anastasius in vitis Paparum. Eminuerunt autem hac parte Honorius, Johannes IV., Theodorus, Vitalianus, Leo II., Benedictus II., et Sergius I. Quid? quod haeretici fuerint habiti, qui sese alicui ritui opponerent, ex. gr. qui *vigilias* nolebant observare, dicti propterea *Nyctages* h. e. *somnolenti*, apud Isidorum Offic. Eccles. l. I. c. 22. Libertas quoque, qua in Jejuniis hucusque usi erant, fuit sublata, cum interdictus sit usus et esus carnium 1. Clero, sicut concilium Toletanum IV. ordinavit, 2. dein, 20. annis post, etiam plebi in Toletano VIII. Denique, 3., sub fin. seculi, in concilio Trullano, esus carnium, ovorum, et casei promiscue,

miscae, et sine personarum discrimine, fuit prohibitus. Vid. Larroque *adversaria sacra*. Nec tamen omnes Ecclesiae aeque fuerunt rigidae, nec in omnibus ritibus consentiebant: de quo vid. Isidorus Hisp. Off. Eccles. I: 43. Ursit postremo Ecclesia Romana diem paschatis celebrandi usitatum, tanquam rem summi momenti, ingente zelo. De quo paucis restat agendum.

§. XX. Continuata est hoc seculo, et ingente fervore agitata, controversia de *die paschatis*, cum Scoti adhuc antiquum tenerent morem, XIV. Luna celebrandi paschatis, si dies esset Dominicus, sed Britanni, seu Angli, Romanam sequerentur consuetudinem, donec Scoti per Papas, eorumque fautores, ad ritum Romanum fuerint compulsi. De quo vid. Usserius Antiq. Britann. c. XVII. Orta inprimis est contentio a. 630., quo Synodus Leniensis habita est, ad petitionem Lasreani, Abbatis ejus monasterii, qui Romanam consuetudinem urgebat, sed causa cecidit. S. Fontani enim, Abbatis Munnu-Monasterii, in australi plaga Laginensium, ope, vetus ritus contra Romanos ibi est stabilitus: erat quoque a. 631. differentia *quatuor* hebdomadum in die paschatis inter Scotos ac Romanos, uti Usserius Antiq. Britann. p. 48. observavit. Dein a. 634., qui in australibus Hiberniae partibus degebant, Romam secuti sunt, compulsi ab Honorio, litteris ad eos scriptis, renitentibus adhuc Borealibus. Postea a. 640. Johannes IV. ad Scotos hac de re dedit litteras, quorum aliqui veterem adhuc retinebant morem, Beda H. II: 19. Exstat etiam in collect. concil. Harduini: in qua Pelagiana haeresis ibi *denuo reviviscens* damnatur. Denique quaestio in nervos erupit, simul terminata est, in Synodo Pharensi, a monasterio Streaneskalch, alias Sinus-fari, ubi est habita, sic adpellata, a. 664. Agitata ibi est controversia, summa cum contentione, inter Oswium, Northumbriae regem, et Colmannum, Lindisfarensem Episcopum, a parte Scotorum, et inter Alfridum, Oswii filium, ac Wilfridum, Presbyterum et Abbatem,

a parte Anglorum et Romanorum: disputarant autem secum Colmannus et Wilfridus, et, finito colloquio, sententia ab Oswio rege pronunciata est, in favorem Romanorum, his notabilibus verbis: *et ego vobis dico, quod hic Petrus* (Apostolus, ad quem provocabant Romani, in sententia sua urgenda, sicut Colmannus, quod notandum, ad Johannem, quemadmodum sec. II. fecerant Asiatici) *ostiarius ille est, cui ego contradicere nolo, sed, in quantum novi, vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis: ne forte, me adveniente, fores regni coelorum non sit, qui reserat, adverso illo, qui claves habere probatur.* En stupendam simplicitatem et superstitionem! Vid. Beda H. III: 25. Hyenses quoque Monachi ritum Romanum postea, a. 716., adoptarunt. Ceterum Wilfridus regulam Benedicti etiam in has regiones introduxit, et antiphonias. Vid. Mabillon. annal. Bened. a. 668.

§. XXI. Quod ad opiniones Ecclesiasticorum de praesentia Christi in eucharistia, et de Missa, adtinet, nulla hac parte accidit mutatio, sed in antiqua perseverarunt doctrina, quantum ex paucis monumentis, quae genuina sunt, colligere licet. Spuria enim non curamus, quibus etiam adnumerandae sunt homiliae, octava et decima quinta, Eligii, Noviomensis Episcopi, ut recte adfirmavit Albertinus de *Eucharistia* l. III. Prostant istae homiliae XVI. sub Eligii nomine in Biblioth. M. P. tom. XII., nec lectu indignae, cum propter pietatem, quam spirant, tum propter varios ritus poenitentiales, et eucharisticos, tunc adhuc usitatos, eorumque sensus mysticos, quorum fit mentio. De coena Domini in genere dicit, verum esse corpus et sanguinem Christi, sed in *mysterio*, ita ut post consecrationem maneat *similitudo panis et vini.* etc. Redolent vero autorem sec. IX., citat enim Alcuinum, et Haimonem Halberstad. Nobis unus suffecerit ex Latinis Isidorus Hispalensis, et ex Graecis Maximus Abbas. Isidori duo exstant notabilia hanc in rem loca, Offic. Eccles. l. I. c. 18. et Origin. VI: 19. Prior ita habet; *sed panis, quia confirmat corpus, ideo cor-*

pus

pus Christi nuncupatur, vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi transfertur. Haec autem duo sunt visibilia, sanctificata tamen, per spiritum sanctum, in sacramentum divini corporis transeunt. Cujus pericopae *prior* pars male ab Albertino, et aliis, ad hanc causam adplicatur, cum Isidorus non explicet, quare, post consecrationem, panis et vinum adpellentur corpus et sanguis, sed quare illa elementa ad hunc usum fuerint translata: ut ex ipso textu, ejusque verbis, manifestum est. *Posterior* vero pars clare adserit, elementa *sanctificari per spiritum S.*, et ita in *sacramentum divini corporis* transire, non in ipsam substantiam, sed ejus signum et efficaciam, a Spiritu S., cum iis unito, repetendam. Quod ex posteriore loco evidentius adparet, et certius. Adseritur utique ibi diserte, *sacramenta* dici Baptismum, et corpus ac sanguinem Christi, quia *sub tegumento corporalium rerum virtus Divina secretius salutem eorum sacramentorum operatur.* Addit mox, *spiritum latenter eorum sacramentorum operari effectum*, et rursus, *spiritum mystice ea vivificare.* Clarius adhuc, de *baptismo* agens, in haec verba loquitur: *quod autem per aquam baptismum datur, haec ratio est: voluit enim Dominus, ut res ea invisibilis per congruens, sed profecto contrectabile et visibile, inpenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur spiritus sanctus. Nam sicut aqua purgatur exterius corpus, ita latenter ejus mysterio per spiritum purificatur et animus. Cujus sanctificatio ita est. Invocato enim Deo descendit Spiritus S. de coelis, et medicatis aquis sanctificat eos de semet ipso, et accipiunt vim purgationis, et in eis, ut caro et anima delictis inquinata mundetur.* Eodem modo de eucharistia ibidem explicat mentem, ubi sacrificium exponit, *sacrificium*, inquiens, *dictum, quia prece mystica consecratur, in memoriam pro nobis Dominicae passionis: unde hoc, eo jubente, corpus Christi et sanguinem dicimus, quod, dum fit ex fructibus terrae, sanctificatur, et fit sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei* etc. Ex Maximo vero Abbate nihil aliud potest colligi,

quam, eum Transsubstantiationi aperte contradixisse, cum *Symbola* adpellet, et non *veritatem*, aut *rem ipsam*, in scholiis ad Dionysium Areopag. de *Hierarchia Eccles.* cap. 3.

§. XXII. Quoad sacramentorum *efficaciam*, in specie *missam*, ex dictis constat, eucharistiam fuisse habitam pro *sacrificio*, sed commemorativo, ut verba Isidori ostendunt, in *memoriam Dominicae passionis*, ita tamen, ut gratia spiritualis conferatur, ex opere operato, ut dicitur; sicut de baptismo et eucharistia ex locis citatis Isidori constat. Mortuis vero aeque ac vivis prodesse eucharistiam ibidem adserit. Sic et de Offic. Eccles. II: 27. dicit, *suffragia Ecclesiae prodesse defunctis, non ad meritum vitae aeternae, sed ad solutionem poenae, et hoc ad poenarum mitigationem, vel celeriorem liberationem.* Sic ibid. l. II. c. 24. *perfectis aetate baptismum vel ad purgationem originalis noxae, vel ad ablutionem actualis peccati, proficere credimus: parvulis autem, ut ab originali peccato abluantur.* Si vero sine baptismo moriantur, parvulos exclusos manere regno coelorum, adserit, et eo refert dictum Christi, Joh. III. *nisi quis renatus sit* etc. Quae et alibi repetit. Mitto superstitionis circa eucharistiam indicia in miraculis etc. per eam patratis. Qualibus fabellis plenissimum est Moschi *pratum spirituale.* Exemplum semianimis per sacramentum, vi in os infusum, suscitati exstat in vita Sulpicii Pii, Episcopi Bituricensis, apud Mabillon. sec. II. Benedictin. §. 34.

REGIMEN ET DISCIPLINA.

§. XXIII. Quales fuerint Clericorum ordines, et quae singulorum officia, cum ex Isidori Hispalensis libris, uti Origin. VII. 12. Offic. Eccles. II: 2. etc. ac Epistola ad Lufredum, facile repeti queat, nec aliquid occurrat, antea non usitatum, et enarratum, paucis absolvam observatis: 1. Episcoporum titulus, quo *superintendentes* adpellantur, apud Isidorum l. cit. sese jam offert, et postea factus est frequentior.

quentior. Originem videtur ab Hieronymo habere, qui in epist. illa notissima ad Evagrium nomen *ἐπισκόπου* *Episcopi* ita vertit, ut et Augustinus de Civit. Dei XIX: 19., qui etiam ad Ps. CXXVI. episcopum reddit *superintentorem.* Sic et Serm. 94. de *Scriptura*; *episcopus*, inquit, *inde adpellatus est, quod superintendit, quia intendendo curat.* Cassiodoro ad Ps. CVIII. adpellatur *superinspector*, et eo respicit Sidon. Apollin. l. VI. ep. 1. et IX. ep. 3., ubi Episcopus *Ecclesiae sacra superinspicere* dicitur. Plenam qui amat *Superintendentium* notitiam, adeat Zieglerum de *Superintendentibus.* 2. In Episcoporum consecratione datum fuisse *baculum* et *annulum* ex Isidoro l. cit. satis constat. *Annulus* autem dabatur propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum, *baculus* autem, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Moris, saltem sec. sequente, quoque fuit, ut nomen fuerit in ordinatione Episcoporum mutatum. Exempla prostant in Willebrordo, qui teste Beda hist. Angl. V. ordinatus accepit a Papa nomen *Clementils*, nec non in Winfrido, qui *Bonifacii* nomine insignitus est, ut Annales Fuldenses a. 717. tradunt. Quae nominis mutatio postea solis Papis Romanis adstricta est.

§. XXIV. 3. *Tonsura*, quae hoc seculo res magni momenti fuit habita, ut vel ex controversia, popter eam cum Ecclesiis Britannicis suscitata, patescit, *triplex* memoratur; prima *Pauli*, qua totum caput tonsum erat, instar rasi, secunda *Petri*, qua coronae in speciem erat rasum, ita ut, superius detonso capite, circuli corona fuerit inferius relicta, quam Clericis praescripsit concilium Toletanum IV., tertia *Simonis*-Magi, quae dimidiata erat corona, ab aure ad aurem, in frontis superficie. Prima species fuit Orientalibus in usu, secunda Occidentalibus, sed tertia repudiata, et pro signo coronae vitae, a Simoniacis, et praesentis vitae commoda spectantibus, non exspectandae, habita. Tonsuram Petri describit Isidorus Off. Eccles. II: 4., vi-

detque in ea sacerdotii ac regni symbolum. Alii vero ad Christi coronam spineam referunt, ut Ceolfridus Abbas in *admonitione* sua ad Naitonum, Pictorum Regem, cujus ope factum est, teste Beda H. V: 22., ut apud Pictos coeperint omnes tonderi *in coronam ministri altaris ac Monachi, quasi novo se Apostolatui beatissimi Apostolorum Principis Petri subdidissent*. Alias adhuc tonsurae in coronam rationes dedit Aldhelmus, apud Usserium in Antiq. Britann. p. 478., ubi plura profert de tonsura Clericali et Monachali. Vid. etiam Amalarius, Metensis Diaconus, sec. IX. scriptor, de *officiis Eccles.* l. II. c. 5., qui ingenue fatetur, autorem hujusmodi tonsurae sibi ignotum esse: legisse quidem se dicit, in epistola cujusdam viri, esse Petrum, sed *quia non tantae autoritatis est*, inquit, *ut ex illo firmare valeamus nostram sententiam, malumus cum silentio praeterire.* In sequente tamen l. IV. c. 39. tradit, se, autoritate Bedae, fuisse convictum de Petro primo autore, cujus verba ibi profert. Denique Scotis usitata erat tonsura *Johannis*, qua anteriorem capitis partem capillis nudabant, ab aure ad aurem, posteriore intonsa: cujus figura exstat in Mommolini Episcopi effigie apud Mabillon. in Annal. Benedict. ann. 675.

§. XXV. 4. Respectu *coelibatus* Clericorum, Isidorus Offic. Eccles. II: 2. vult, ut Clerici *castimoniam inviolati corporis perpetuo conservare studeant*, *aut*, quod adverti velim, *certe unius matrimonii vinculo foederentur.* Vid. et cap. 5. In Occidentali ceteroquin Ecclesia stabilitus erat coelibatus, secus ac in Orientali. Consuetudo enim Ecclesiae Romanae ipsis verbis repudiatur a concilio CPol. III., alias Quini-Sexto, can. 13*mo*, et Clericis, nominatim hypodiaconis, diaconis, et presbyteris permittitur conjugium, modo uxores habuerint ante ordines susceptos, et tempore officii ab earum usu abstineant. Episcopis vero vetitus erat cum illis commercium, et Episcopi uxor vel ad monasterium damnabatur, vel ad diaconatus dignitatem evehebatur: ut canon 48. ejusdem Synodi habet. Vitiza quoque Rex Hispaniae,

paniae, scandala, ex coelibatu Clericorum oriri solita, ad animum referens, injunxit, vel permisit, ipsis, initio sec. sequentis, ut Rodericus Toletanus l. III. refert contra Paparum decreta, uxores et concubinas.

§. XXVI. *Sabinianus, cujus patria ignoratur*, inquit Platina, *obscuro loco natus, obscurior moribus:* sed Anastasius, eum *natione Tuscum, de civitate Ulera, vel Volaterra*, fuisse, tradit, ut Papas Romanos, pro more, recenseam, et, si quid memorabile habeant, enarrem, praecipue electionis et autoritatis respectu, cum de ritibus, ab iis institutis, supra egerim, Gregorio M. successit diaconus, absque ut Presbyteri gradum consecutus sit, quod per *saltum* ordinari dicitur. Vid. Mabillon in *comment. praevio* ad *ordinem Romanum*. Qui mos ad Gregorii VII. fere tempus duravit, quando est abrogatus, ita ut diaconi, si Episcopi essent electi, ante fuerint ordinati Presbyteri, quam Episcopi consecrarentur. Vid. Martene de antiq. *Ecclesiae ritibus*. Ceterum praestitit sese Gregorio M. adversarium, et *parum absuit*, ait Platina, *quin libri ejus comburerentur, adeo in Gregorium ira et invidia exarserat homo malevolus.* Longe celebrior factus est ejus successor *Bonifacius* III., in primis inter Protestantes, per titulum *Episcopi Oecumenici* adsumtum, ut putatur, qui propterea ab ipso Antichristianismi initia repetunt. Verba Anastasii haec sunt: *hic obtinuit apud Phocam principem, ut sedes Apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est Ecclesia Romana; quia Ecclesia CPolitana primam sese omnium Ecclesiarum scribebat.* Quae verba ex Paulo Diacono de *gestis* Longobard. l. IV. c. 37., et Beda de *sex aetatibus mundi*, seculi sequentis scriptoribus, sunt desumta; unde reliqui receperunt. Freculfi vero in Chron. verba sunt: *quo* (Bonifacio) *rogante, statuit Phocas, sedem Romanam, et Apostolicae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum, esse caput.* Ratio constituti repeti solet ab odio Phocae in Cyriacum, Patriarcham CPol., Mauricio, ejusque domui, addictum. Sed ea ratio se tueri nequit, cum Cyria-

cus jam fuerit mortuus, quo tempore Bonifacius est electus, et hoc decretum emanavit, ut duo Pagi, in *breviario* et ad *Baron.*, jam observarunt. Additur, Phocam sibi devincire voluisse Papam, quia de Italiae defectione sibi metuebat: sed et hoc parvi momenti est, cum per Exarchos Italiae facile reprimi potuerint Papae, si quid molirentur; ne dicam, nullum ejusmodi metus exstare vestigium. Nihil itaque superest, quam ut amicitiae inter Phocam et Bonifacium illud acceptum referatur: quae ratio aeque incerta est, nec tam singulari constituto producendo sufficit. Sed, praeterquam quod nulla occasio, nulla ratio, ejus tradi queat, nemo Graecorum ejus meminit, nemo etiam Latinorum ante sequens seculum. Est itaque et manet haec res incerta.

§. XXVII. Quod si tale quid acciderit, Romanae sedis suprema auctoritas multum de firmitate sua perderet, cum ejus fundamentum non foret divinum, sed humanum, nec antiquum, sed recentius, insuper a Rege, qui pessime audit, positum, nisi quis cum P. Marca *concord. sacerd. et Inper.* l. III. c. 12. regerat, jura antiqua, a Christo data, stabiliri tantum ab Inperatore, contra praesumtiones Graecorum; sicut in Constantini M. ficta illa donatione etiam habetur. Sed propterea Antichristianismi initium inde derivari non potest, nec debet 1. Caput esse Ecclesiarum nihil aliud denotat, ac Episcopum esse Oecumenicum; in quo Antichristi character constitui nequit,, quippe in tyrannide Ecclesiastica, ac persecutione, situs: ut alibi in orationibus de Antichristo, et Methodo Prophetica, demonstravi. Episcopis Romanis itaque aliud censeri nequit fuisse concessum, ac quod Patriarchae CPolitani in Oriente habebant in Patriarchas Orientis: qui eo sensu Episcopi adpellati sunt Oecumenici. De quo ad seculum praecedens disserui. Nec 2. aliquid juris aut privilegii fuit Episcopis CPol. per hoc constitutum ereptum, cum ad ejus exemplum Romana Ecclesia tantum constituatur Caput. Dicitur enim, eam caput fore Ecclesiarum omnium, *quia Ecclesia CPol.*

se

se primam scribebat omnium Ecclesiarum. Retinuerunt quoque CPolitani titulum Episcopi Oecumenici, uti ex exemplis satis constat, quorum aliqua jam produxit Basnagius hist. Eccles. l. VI. c. 4. Quid? quod canon 36. Synodi Quini-Sextae Episcopos Romanos et CPol. aequaverit. De quo postea. 3. Papa praeterea per hoc constitutum re ipsa non est factus Episcopus Oecumenicus, aut ab Orientalibus agnitus, nec Papae usquam leguntur ad illud provocasse. Hadrianus sec. VIII. in Epist. ad Constantinum et Irenem, in actis Syn. Nicaenae. II., adhuc suo tempore conquestus est, Episcopum CPol. adpellari Universalem, absque ut decreti Phocae meminerit.

§. XXVIII. Missis Bonifacio IV., et Deusdedit, ac Bonifacio V., qui nihil memorabile ad nostrum scopum suppeditant, nisi quod Deusdedit ex *Subdiacono* factus sit Papa, quod postea sec. VIII. in Synodo Romana a. 769. vetitum est, Bonifacius V. pallium miserit Justo Rofensi, Cantuariensi Episcopo, concessis etiam ei ordinationibus Episcoporum, *Honorius*, qui ab a. 625. ad 638. sedit, peculiarem meretur animadversionem, quia inter Pontificios et Protestantes non tantum, sed et ipsos Catholico-Romanos, Paparum infallibilitatis patronos vel adversarios, nobilis de Ipso agitatur controversia, fueritne Monothelita, et vere in Synodo, ac ab universa Ecclesia damnatus inter haereticos, nec ne? De qua ex Reformatis legendus Forbesius Instruct. Histor. Theolog. lib. V., et Catholico-Romanis Natalis Alexander diss. II. ad sec. VII., ac P. Marca apud Baluzium in ejus vita, praemissa libro ejus de *concordia Sacerdotii et Imper.* Ex mea opinione, quam paucis exposuisse suffecerit, 1. pro re indubia habendum est, Honorium fuisse cum Monothelitis damnatum, et anathemate ictum, nomine quoque ejus e tabulis Ecclesiae eraso, et libris combustis. Quippe quae omnia ex Actis Synod. VI. et VII., Epistolis Leonis Papae, et Hadriani, aliisque monumentis, constant, et a Forbesio, Natali Alexandro, utroque

Pagi ad Baron., et in breviario in Agathone, evidenter satis demonstrata sunt, et vindicata contra Baronium et Binium, qui intolerando ausu illa monumenta dixerunt esse interpolata, vel spuria. Singulare tamen est, quod in Synodo Laterana sub Martino nulla Honorii fiat mentio inter haeresiarchas, ibi nominatim expressos, sive Honorio, uti Imperatoribus, pepercerit, sive ipsum inter praecipuos autores non referendum censuerit. 2. Certum et illud est, Honorium ejusmodi phrases et sententias in litteris suis ad Sergium, Episcopum CPol., quae Synod. VI. act. 12. et 13. exstant, protulisse, quae in Monothelitis proscriptae sunt: uti, *unam* esse in Christo *voluntatem*, nec *duas voluntates* ac *operationes* sine offensione statui posse, adeoque rectius ab illis phrasibus *unius* et *duarum* voluntatum abstineri. Quae, tanquam Monothelitis vel propria vel faventia, sunt ab Ecclesia hujus temporis traducta. Sed illud 3. disputari potest, num eo sensu haec intellexerit Honorius, quem Catholici adtribuerunt Monothelitis, adeoque num tanquam Monothelita fuerit damnatus? Contendunt illud quidem Reformati, sed contra disputant Catholico-Romani, modo citati, qui volunt, Honorium esse damnatum ob nimiam facilitatem et indulgentiam, qua Monothelitas non repressit, sed grassari sivit, quatenus silendum ea de re esse, et phrases incommodas *unius* et *duarum* voluntatum vitandas esse, contenderit: praeterea Sergio, pro Monothelita habito, accesserit, et Sophronio, acerrimo Monothelitarum hosti, silentium inposuerit. Equidem inficias non iverim, antiqua illa monumenta passim illud tantum in Honorio carpere, quod haeresin non represserit, sed foverit, eique sic cursum dederit per hanc suam moderationem: uti clare liquet ex Leonis Papae epistola, edicto Inperatoris Constantini Pogonati, quod act. 18va Synodi VI. exstat, ipsa denique professione fidei, a Papis Romanis post Synodum VItam edi solita, quae in *libro diurno* Romanorum Pontificum reperitur: ubi vid. Garnerius in adpendice ad not. c. 1.

Accedit, duabus in epistolis Honorii ad Sergium claram occurrere duarum in Christo naturarum confessionem, et Eutychen aeque ac Nestorium repudiari, adeoque re ipsa nullam stabiliri haeresin.

§. XXIX. Sed quo sensu tunc *unam* in Christo voluntatem professus est Honorius? et quare phrases *duarum et unius* voluntatis vitendas vult? Ad *prius* quaesitum respondere solent Papae patroni, phrasin *unius* voluntatis ad solam humanitatem esse restringendam, perque eam tantum inpugnari doctrinam de corruptione, et vitio, naturae nostrae, unde est, quod duae sint in nobis voluntates, una carnis, altera mentis et spiritus. Provocant vero, ut hanc explicationem firment, ad Epistolam Johannis IV. ad Constantinum, nec non Maximi Abbatis ad Marinum presbyterum, et Petrum Illustrem, quae in Collectaneis Anastasii supersunt, Quibus Maximi disputatio cum Pyrrho in Operibus Maximi p. II. p. 181. est addenda. Sed, ne dicam, epistolam Johannis in dubium vocari, at minus solido fundamento, cum Maximus Abbas l. cit. ejus meminerit, licet, hac apologia non obstante, Honorium fuisse damnatum mirum sit, nisi id unice ob tolerantiam ejus, et patrocinium haeresi praestitum, quis factum velit, quare, hac epistola suo loco relicta, expositio mihi a mente Honorii videtur aliena, utique ei per omnia non consentanea: ut recte advertit *Forbesius* l. cit. c. 25. Quid itaque? phrasin *unius in Christo* voluntatis mihi intellexisse videtur Honorius de tota persona, ex Divina et humana natura composita, sed non eo sensu, acsi, unum tantum volendi principium proximum esse in Christo, statuerit, quod ab ipso, qui duarum naturarum inconfusam unionem recte tenuit, abhorret, sed, ut contrarias in Christo voluntates removeret, cum mox inpeccabilitatis Christi subjungat demonstrationem. *Una* ergo ipsi dicitur voluntas, opposite non ad duas voluntates naturales, sed ad duas contrarias, adeoque *una* consensu et volitione, ac personae respectu, et non *una* natura. Quae

vera ejus videtur fuisse sententia: ut totus epistolae contextus evincit. Quam ex parte tantum recte percepit, et explicuit, Johannes IV. et Maximus Abbas.

§. XXX. Sed quid Honorium movit ad utramque vitandam phrasin? prudentia, putem, et moderationis ac pacis studium, ut Severianos Ecclesiae adsociaret, et infaustas disputationes de una vel duabus voluntatibus uno ictu concideret, vel terminaret. *Duas* enim voluntates confiteri videbatur sapere Nestorianismum, et duas introducere personas, nec non diversas adferre volitiones. *Unius* autem professio videbatur ad Eutychianismum ducere, et naturas duas confundere; unde, sicut Deus dicitur passus, ita rectius statui censuit, unam voluntatem divina egisse et humana, seu unam personam volentem. Cum itaque Orthodoxi propter duas naturas postea *duas* stabiliverunt voluntates; ita Honorius, propter unitatem personae, *unam* voluit voluntatem, sive, quod Ipsi idem est, unum eundemque Dominum Jesum Christum divina et humana esse operatum, vid. etiam verba Honorii in epistola act. 13. Synodi VI., quemadmodum postea *ἔκθεσις expositio* fidei Heraclii, et *typus* Constantis, definiverunt. Quod itaque Spanhemius in Hist. Eccles. dixit de *ecthesi* et *typo*, adplicaverim ad Honorii epist. *praestitisset forte benignius esse interpretatos, quam statim in anathemata erumpere.* Interea cum Honorius una cum haereticis fuerit damnatus, et a Synodis Oecumenicis, et a Papis sequentibus, idem hinc recte petitur argumentum contra Paparum Infallibilitatem, hoc seculo non agnitam.

§. XXXI. Successor ejus *Severinus* a. 640. hoc solum nomine clarus fuit, quod, ab Honorii laudabili moderatione discedens, primus Paparum damnaverit Ecthesin Sergii et Heraclii, Synodo in eam rem coacta: unde graves illi orti sunt motus, ut postea narrabo. Promiserant quidem Legati, qui CPolin electionis Papae confirmationis inpetrandae causa venerant, se novum Papam ad Ecthesi subscribendum compulsuros esse, qua conditione facta erat confirmatio,

at ex epist. Maximi ad Thalassum in Collectaneis Anastasii patet, sed Papa id non praestitit. Eadem tenuit vestigia successor ejus *Johannes* IV., qui eandem ecthesin in Synodo damnavit, teste Theophane. Scriptis praeterea litteris ad Pyrrhum CPol. praesulem, et dein ad Constantinum, Heraclii successorem, rem eo adduxit, ut suam esse ecthesin negaverit Heraclius, et Sergio tribuerit, dein Constans, qui Constantino successit, eam combusserit, ut ex Constantis litteris ad Papam apud Eutychium in Annal. Alexandr. liquet. Cum vero Episcopi aegre ferrent, Ecclesias, Monachis concessas, per Presbyteros, a Monachis electos, regi, secundum Monachos pronunciavit, quibus eam praerogativam confirmavit, teste epistola ejus ad Isaacum, Syracusanum Episcopum. Ceterum in privilegio, Luxoviensi monasterio concesso, dicit, *ad universa loca, ad fines terrae et oceani, potestatem Beati Petri se extendere*, apud Mabillon. Annal. Benedict. a. 641. Successit ipsi *Theodorus*, a. 642. quem Cyprii episcopi, in epistola Synodali, ad Ipsum a 643. data, quae *Secretario* II. concilii Lateranensis exstat, adpellant *Patrem Patrum, et universalem Papam*. Imo Patres Africani in Synodica, a. 646., ibidem obvia, fatentur, *secundum antiquas regulas nihil tractandum esse, nisi prius ad sedem Romanam esset translatum, ut inde sumerent reliquae Ecclesiae, velut de natali suo fonte, praedicationis exordium.* *Ipso* praeterea sedente, publicatus est, nomine Constantis Inperatoris, *typus*, a Paulo, CPol. Episcopo compositus, in eandem mentem, ac *Ecthesis*. Quo facto, Paulum quidem deposuit, licet extra Synodum, sub finem vitae a. 649. Sed typum reliquit intactum: ut ex Anastasio, et libello Abbatum ac Monachorum Graecorum, oblato Synodo Lateranensi, et Secretario I. recitato, constat.

§. XXXII. Ulterius hac in causa processit successor ejus *Martinus*, qui typum non tantum contra Inperatoris instantias recusavit adsumere, sed et, celeberrima Synodo Lateranensi a. 649. coacta, monothelismum, cum ejus autori-

bus ac fautoribus, damnavit, ac quoque canonibus, cum totidem anathematismis, contra hanc haeresin, sancitis. Cujus Synodi, quae quinque *Secretariis* h. e. consultationibus, sessionibus, a loco, ubi Synodus habita est, sic dictis, absoluta est, acta quaquaversum sunt missa, in Africam, Asiam et Galliam. De quo postea. Quae Papae facinora, ipsi pessime cesserunt. Jussu enim Constantis, in cujus indignationem inciderat, violenter est per Exarchum Italiae ab Ecclesia abstractus, et in insulam Naxon abductus, a. 653. Unde CPolin deductus, et in carcerem conjectus est a. 654. Ubi cum 63 dies mansisset, coram Judicibus se sistere debuit, et contumeliose tractatus, mox, vinculis in cervicem conjectis, in carcerem cum homicidis detrusus est, et gladio fuisset punitus, nisi Paulus, CPol. praesul, sortem ejus misertus, Inperatoris animum paululum mitigasset. Accusatus vero fuit initae cum Olympio, nuper Exarcha, conspirationis contra Inperatorem. Interea novus a Clero Romano electus est Papa Eugenius a. 654., quem postea adprobavit Martinus, a. 655. Ipse vero Chersonam Ponti deportatus, aerumnis et inedia confectus, diem obiit supremum a. 655., ac pro Martyre habitus et cultus est. Vid., praeter Anastasium in ejus vita, *collectanea* Anastasii, a Sirmondo edita: unde, quae narravi, petita sunt. *Eugenius* vero nihil a nobis memorandum egit, nisi quod Synodicam Petri, CPol. Patriarchae, quae Orthodoxiae speciem praeferebat, coactus fuerit, per Clerum et populum, repudiare. Ex quo non tantum colligere licet, eum a probanda Synodica non fuisse alienum, sed et ex eo, quod Apocrisiarii ejus, CPolin missi cum Synodica Papae, adsensum ibi praebuerint Petro, absque ut a Papa fuerint reprehensi. Ceterum, Petrus *tres* traditur in Christo statuisse *voluntates*, unam substantialem, et duas naturales: forte quia inter personalem et duarum naturarum voluntates distinxit, ut controversiae ea ratione finem inponeret.

§. XXXIII. *Vitalianus* Papa, licet a Monotheletis alienus,

ab

ab Inperatore anathemate feriendo, deceſſorum ſuorum ſecutus exemplum, abſtinuit, cum pravus iſte mos nondum invaluerit. Nomen ejus, quod notari meretur, diptychis Eccleſiae quidem eſt a Johanne CPolitano inſertum, quod poſt Honorium nulli Papae ad hoc uſque tempus contigerat, ſed ſub Theodoro CPolitano rurſus expunctum eſt: ut ex act. 8*va* Synodi Oecumenicae VI*tae* colligitur. Sedente quoque hoc Papa, Maurus, Epiſcopus Ravennatenſis, ſeſe dominio ſedis Papalis ſubduxit, et *autocephaliae* jus ab Imperatore Conſtante obtinuit, indignante licet Papa, et Maurum excommunicante, ſed a Mauro propterea etiam excommunicato. Vid. Agnellus Ravennas in Vitis Epiſcoporum Ravennat. inter ſcriptores Italiae Muratorii tom. III. Obſervat praeterea Agnellus, illud jus fuiſſe a Papa in principio adprobatum, cui, neſcio an ſatis ſolide, contradicit Blanchinus. Interea brevi poſt rediit Theodorus, Epiſcopus Ravennat. ad obedientiam et ſubjectionem Papae ſub Agathone, ut Idem refert Hiſtoricus, qui Theodorum atris depingit coloribus. *Adeodatus*, qui Ipſi a. 672. ſucceſſit, illud tantum geſſit memorabile, quod ingens fuerit Monachorum fautor, ut ejus diploma, quo privilegium Monaſterio S. Martini in Gallia confirmat, evincit. Launoius quidem illud pro ſpurio habet, ſed ab aliis eſt vindicatum. Nec in *Dono*, ejus ſucceſſore a. 677. aliquid ſeſe notandum offert, niſi quod Monachos Neſtorianos Syros, quos in Monaſterio, Boethiano dicto, invenerat, in varia Monaſteria inde diviſerit ad poenitentiam agendam. Refert quoque Anaſtaſius, Eccleſiam Ravennatum, *quae ſe ab Eccleſia Romana ſegregaverat*, *cauſa autocephaliae*, *denuo ſe priſtinae ſedi Apoſtolicae ſubjugaſſe* ſub Dono, Theodorum vero Archiepiſcopum ſemet *poſt multorum annorum curricula ſedi Apoſtolicae praeſentaſſe* ſub Agathone.

§. XXXIV. Celebrioris nominis Papa fuit *Agatho*, a. 678. ſub quo Synodus Oecumenica V*ta* eſt celebrata, poſtea deſcribenda, et a quo Romana paulo ante eſt habita a. 679.

in qua Monothelismus secunda vice fuit Romae damnatus, et Legati ad Synodum Oecumenicam decreti sunt. Simul praecepit Papa, ut in Italia, Gallia, et Anglia agerentur concilia, in quibus eadem haeresis fuit jugulata. Impetravit praeterea ab Imperatore Constantino liberationem Ecclesiae Romanae a pensitatione pecuniae, quam pro confirmatione electi Papae ante ordinationem solvere debebat, ex decreto Gothorum; ademto etiam Exarchis jure confirmandi, et ad Imperatores translato; quod tamen Exarchis mox est restitutum; ut in Benedicto II. monebo. Peculiarem meretur animadversionem Epistola, nomine Synodi Romanae scripta, ut et ipsius Agathonis in act. 4*ta* Synodi Oecumenicae VI*tae*. Occurrit enim ibi luculenta fidei confessio, et Papa sese *famulum* Imperatoris fatetur, dicunt quoque, *se illa credere, quae per traditionem Apostolicam accepimus, cujus autoritatem per omnia sequimur*, et hanc regulam suae fidei petunt a Synodo confirmari, ut veritas *clarius* et *certius eniteat*, utque vim apud omnes obtineat, a Synodo et Imperatore confirmata. Sed Apostolicam Ecclesiam Romanam declarat Papa in epistola sua nunquam, Petro adjuvante, a *via veritatis in qualibet erroris parte esse deflexam*, quo refert Christi promissum Petro factum, *ego pro Te oravi, ne deficiat fides tua.* Quae verba quidem quid hucusque contigit demonstrant, sed infallibilitatem sedis Romanae, minus Paparum, non arguunt. Citatur quidem a nonnullis dictum Papae, Ecclesiam Romanam errare non posse, sed ejus nullum occurrit in Epistolis ejus vestigium. Ipsa quoque illa verba, quae citavi, desiderantur in Graeca versione apud Cotelerium in monum. Gr. tom. II. p. 83., ubi legitur, *quo adnuente ope, ipsa ejus Apostolica Ecclesia et Universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt doctrinam.* etc. Cum vero Christi servatoris, qui Petrum constituit pastorem universalem, praecesserit mentio, possent verba, *quo adnuente* etc. non ad Petrum, sed Christum, referri. Adtribuitur quoque ipsi superbum aliquod effatum, supre-

supremam in Ecclesia spirans autoritatem; *sic omnes sanctiones Apostolicae sedis accipiendae sunt, tanquam ipsius divina voce Petri firmatae*, sed sine solido fundamento; cum nemo, ante Gratianum dist. 19. cap. *sic omnes*, mentionem ejus fecerit: spirant quoque epistolae ejus passim longe submissiorem animum. Attamen in epist. II. ad Aethelredum, regem Merciorum, et Theodorum Cantuariensem, ac Abbates, in tomis conciliorum, praecepta dedit, *ex parte Dei*, et *sancti Petri*, *omniumque sanctorum*, et his verbis conclusit; *quicunque breve illud, et praeceptum, perinpleverit, et hoc ipso apud Deum omnipotentem in regno coelorum perpetuo versabitur: qui vero hoc infregerit, ex eo ipso cum Juda traditore, et caterva daemonum, apud inferos, nisi resipiscat, decoquetur. Amen?* Dictis addatur, nullum non tantum supremae auctoritatis Papalis signum reperiri in Synodo VI., sed haud pauca contraria. Utique Papa eam non convocavit, nec per legatos praesedit, nec solus titulum Oecumenici tulit, cum Inperator in litteris Papas quidem adpellet universales Romanos, sed et Patriarcham universalem CPolitanum. Quid? quod in Synodo sit decretum, ut utriusque sedis Episcopi *pari dignitate fruantur.* De quo suo loco.

§. XXXV. *Leo* II., successor ejus, a. 682., à tribus Episcopis, teste Anastasio, ordinatus, unde patet antiquum adhuc durasse morem, mox in initio, actis Synodi VI. ad eum delatis, confirmavit Synodum, *tanquam quae Apostolicam regulam, et probabilem Patrum doctrinam, secuta sit*; teste epistola ejus ad Inperatorem. Misit quoque ejus acta in Hispaniam, additis ad Regem et Episcopos litteris, quibus ea voluit Synodaliter confirmari. Quae et eo nomine sunt notabiles, quod Honorius in iis damnetur, tanquam *qui negligendo confovit haeresin, et regulam traditionis maculari consensit.* De quo supra egi. Obtinuit praeterea ab Inperatore, ut Episcopus Ravennatensis ordinetur Romae, cum Episcopi illi, Exarchi gratia freti, sese sedi Romanae aliquandiu subduxissent. Denique, ut alia minora mittam, consti-

solvendi potestatem referuntur, sed tertia quid sibi velit, incertius est; utique variae de eo exstant conjecturae apud Mabillon. Annal. Benedict. a. 679. Fuit tamen eorum autoritas multis adhuc limitibus coarctata, et a suprema potestate longius distans. 1. Nihil utique sese offert, quod infallibilitatem, aut supremam spirat autoritatem, aut ab ipsis sibi vindicatam, aut ab aliis datam, seu agnitam. De titulo Episcopi Oecumenici disserui in superioribus. 2. Nihil quoque egerunt sine Synodis, nihil, nisi regulis et traditionibus, quibus se adstrictos fassi sunt, convenienter. Martinus etiam ex. gr. ep. IX. ad Pantalionem diserte dicit, *canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores et custodes Canonum sumus, non transgressores.* 3. Inperatoribus quoque sese agnoverunt subjectos, sibique ab illis anathemate percutiendis sedulo caverunt, licet Monothelismo patrocinati subinde fuerint, et Papas male tractarint, ut in Martino singulare est exemplum. Synodos quoque non ipsi, sed Inperatores convocarunt Oecumenicas: ut mox patebit. 4. Ecclesiae Hispanicae res suas, quoad doctrinam et ritus, sine Paparum autoritate adhuc gubernarunt: testibus Synodis hoc seculo frequenter habitis in Hispania. Reges vero ibi supremam in rebus Ecclesiae exercuerunt potestatem, et Synodi ab ipsis convocatae ac confirmatae sunt. Toletano autem Praesuli jura primatus, et ordinationum, in Ecclesiis Hispanicis competebant, nulla Paparum facta mentione. Confer. Toletani XII. a. 681. acta 5. Notatu digna verba Columbani Abbatis, autoritati supremae adversa, supra jam recitata, non possum quin repetam. Exstant in epist. ad Bonifacium IV., apud Mabillon. annal. Benedict. l. XI. *Tamdiu potestas inter vos erit,* sic inter alia inquit, *quamdiu recta ratio — — — — si forte superciliosum nescio quid, aut majoris prae ceteris autoritatis, ac in divinis rebus potestatis, vobis vindicatis, noveritis, minorem fore potestatem vestram apud Deum etc.* Hic ipse tamen Papam adpellat *omnium totius Europae Ecclesiarum caput.* 6. Denique, ali-

am

am non agnoverunt Paparum autoritatem Orientales, nisi quatenus est primus Patriarcha, non quatenus caput universale, proprie dictum. Imo tempore Monothelitarum apertum fuit inter Ecclesias Romanas et CPolitanam Schisma: nec ritibus ac institutis Ecclesiae Romanae sese submiserunt, quin damnarunt coelibatum Clericorum in Synodo. Restiterunt quoque provocationibus ad sedem Romanam, ut ex historia Lappae, urbis Episcopi, a Paulo Archiepiscopo Cretensi depositi, et ad Papam Vitalianum confugientis, inter alia, liquet. Vid. Epist. Vitaliani.

DISCIPLINA.

§. XXXVIII. Circa disciplinam Ecclesiasticam paucis defungar observatis. Ante omnia notari meretur, invaluisse haereticidium jam hoc seculo. Cujus memorabile exemplum in praestigiatore Christiano Paulino, ejusque filio, violenta morte adfectis, jussu Mauricii Inperatoris, ad Patriarchae instigationem, refert Theophylactus Simocatta Hist. l. I. 11. Tradit vero Historicus, Mauricium, ad fontes capite puniendos tardiorem, *cum eos resipiscentia, quam supplicio, sanari aequius arbitraretur*, a Patriarcha ad id fuisse compulsum, qui, ut Autor ait, *Apostolica libertate ad rogum postulavit, qui a fide defecissent*, prolatis verbis Apostoli ad Hebr. VI. Spiritum persecutionis etiam exposuit concilium Toletanum VI. can. 3*tio*, quo rex vetatur capessere regnum, antequam juraverit, *nullum, non Catholicum, permittere in suo regno degere*. Quod si non praestiterit, declaratur *anathema*, Vid. etiam Toletan. XVI. contra Judaeos c. XXXVIII. Licet *publica* adhuc obtinuerit *confessio*, auriculari nondum introducta, attamen 1. in monasteriis ea jam confirmata fuit lex, ut Monachi omnia sua peccata, magna parva, Abbati, vel Confessori, patefaciant; unde postea in ipsam Ecclesiam irrepsit. Antonius jam suo tempore hoc consilium injunxit ascetis suis, ut singuli suas scribant cogitationes,

et alii cum aliis communicent, eo scopo, ut sibi eo magis a peccatis caveant, Vid. Athanasius in vita Antonii. Inter regulas quoque Basilii M. fusius tractatas occurrit 26ta in Oper. Basilii t. II., qua omnibus praecipitur, omnia cordis arcana putefacere Praeposito, ut quod laudabile est stabiliatur, quod reprobum congruente remedio sanetur. Idem in Dorothei libro, qui inscribitur *doctrinae*, reperitur, ubi, tanquam ingens crimen, reprehenditur in Monacho, quod negligat ἐξαγγέλλειν *enunciare*, addit autor, sibi aliquando id officii fuisse datum, ut ascetarum ἐξαγγελίας *audiret*. Praecipit quoque Isidorus Hispalens., regulae Monachorum cap. 13. ut Monachus, *nocturna illusione pollutus*, *publicare hoc Patri monasterii non moretur*, *et occulto poenitentiam agat*. Vid. et Joh. Climax in *Climace* gr. 4*to*. 2. Sed confessionem coram sacerdote memorat quoque Gregorius M., seu qui alius est autor l. VI. ad 1. Reg Oper. tom. III. p. II. additque, *humiliter confitentibus apostolica autoritate dimitti peccata a sacerdote*. Circa poenitentiam et absolutionem invaluit jam, ut ad Monachos se contulerint Christiani, peccata confessi, et absolutionem petentes. Quam Monachorum potestatem confirmavit Bonifacius IV. in Synodo Romana; et a Vitaliani Papae tempore iste mos in Anglia maxime in usu esse coepit, ut ex Egberti Archiepiscopi Eboracensis *dialogo* patet, nec non in Gallia, teste Synodo Parisiensi a. 624. De Oriente frequentes sunt Balsamonis querelae, ut ad concil. Carthag. c. 6. et alibi. Orta etiam jam est distinctio inter poenitentiam *publicam*, ac *privatam*, ita ut *illa* in publicis criminibus tantum habuerit locum, *haec* vero occultis adplicata sit, nec ante usum Eucharistiae, nec statis temporibus, sed tunc, si quis occultum delictum mortale commisisset, idque ad peccatorum remissionem, a Deo consequendam, et non tantum, ut olim, ad reconciliationem cum Ecclesia. 3. Multum de puritate et severitate sua remisit Disciplina, et peccatis latam aperuit portam, dum cujusvis generis crimina, etiam atrociora, leviore poenitentia

nitentia expiari posse, fuerit statutum, et creditum. Quam in rem consulenda sunt Theodori Cantuariensis capitula; quorum in ejus vita memini, ex. gr. homicida laici poeniteat tres annos, ut et adulter etc. Canon tamen 9nus concilii Remensis a. 630. apud Flodoard. l. II. *hist. Ecclesiae Remensis* habet, cum homicida spontaneo non esse communicandum penitus, attamen, si poenitentiam egerit, *in exitu ei communionis viaticum non esse denegandum.* Si autem hunc illumve ritum, saepe superstitiosum, aliquis non observaret, graviori subjiciebatur poenitentiae. Denique 4. *disciplina arcani*, in reticentia mysteriorum, et dimissione catechumenorum, sita, obsolevit hoc seculo in Occidente, sed mansit adhuc in Oriente. De quo vid. Tentzelius in libro de hac materia.

SYNODI.

§. XXXIX. Duae Synodi Oecumenicae sunt celebratae, CPolitana VI. et *Quini-Sexta*, quarum historia tradenda est. Prior, cujus notitia petenda est ex Germano CPolit. de *Synodis Oecumenicis* apud Moine Var. S. p. I. et Anonymo de Synodis Oecumenicis ibid., Constantinopoli in Trullo celebrata, inde CPolitana III., vel Trullana, adpellata est. Ceterum τρȣ̃λλος—ον—α est locus in Palatio, seu sacellum cameratum, ubi secretarium Principis est, a fornice, vel arcu, nomine tracto. Vid. Cangius in *CPol. Christiana* l. IIII. Incepit autem a. 680. mens. Nov. et finita est a. 681. mens. Sept., quo tempore Inperator fuit Constantinus Pogonatus, Papa Agatho, et Patriarcha CPol. Georgius. Convocata est non a Papa, sed Inperatore; ut sacrae divales, ad Papam et Patriarcham directae, et in Synodo recitatae, clare evincunt, ipse Papa in responsoriis fatetur, nec non tota Synodus, ne alios memorem autores. Vid. Launoius p. VI. ep. 6. Praeses Synodi non fuit Papa per Legatos, sed Inperator, qui etiam act. I. *praesedisse*

dicitur, cujus sinistrum latus clauserunt Legati Papae, et dextrum Georgius CPolitanus, ac reliqui Patriarchae. Legatis autem id honoris datum est, ut primi subscripserint, pro ordine inter Patriarchas recepto. Inperator autem praesedit, tanquam supremus moderator, Patriarchae vero tanquam primi Ecclesiastici moderatores. Ex quo facile patet, dici posse in Diurno Romano, praesedisse Agathonem per Legatos, et apud alios historicos Georgium CPol., ac Macarium Antiochenum; praeterea, praeter Inperatorem, idem fuisse Patriarchis privilegium, honore tantum et ordine Primum fuisse Papam, cui sinister locus ad latus Inperatoris non obest, quippe subinde honoratior, ut ex Synodo Nicaena I., aliisque, constat. Reliquorum membrorum numerus non idem initur, vulgo vero 289 Episcopos adfuisse, traditur.

§. XL. Tribus primis sessionibus, ut Synodi actiones, quae octodecim fuerunt, enarrem, lecta sunt et adprobata Synodorum Oecumenicarum, Ephesinae, Chalcedonensis, et quintae, acta, et postremae acta, deprehensa falsata in Litteris Mennae ad Vigilium, et hujus libellis ad Inperatorem, simul purgata sunt. Sequentibus sessionibus 1. lectae sunt Epistolae Agathonis Papae, et Synodi Romanae, in quibus *duae* voluntates et operationes Christi multis testimoniis Script. S., et Patrum, demonstrantur. Unde 2. ad duorum codicum Macarii Antiocheni, praecipui Monothelismi patroni, quibus loca Patrum pro *una* voluntate citata sunt, lectionem est perrectum. Examine dein 3. instituto, et collatione cum authenticis Patrum codicibus facta, repertum est, testimonia illa fuisse detruncata, et male adplicita; e contra, quae a Legatis Papae ex codice recitata sunt, esse vera. Secuta est 4. damnatio Macarii, cum Monacho ejus Stephano, non obstante sana ejus confessione fidei ab ipso oblata, quia duas voluntates et operationes recusabat agnoscere, absque ut a sententia potuerit abstrahi. Georgius vero CPol., cum aliis Orientis Episcopis, fidem orthodoxam pro-

fessus

fessus est: quando, publicis Synodi clamoribus, Macario, ut pessimo haeretico, novo Dioscoro, novo Apollinari, Georgio, ut Patriarchae orthodoxo, pro Veterum more, adclamatum est. Excepit 5. lectio libellorum fidei, ab Episcopis Orientis oblatorum, dein aliorum scriptorum, pro et contra, ut Sophronii Hierosolymitani, epist. Synodicae ad Sergium contra Monothelismum, Macarii vero et Stephani pro ipso, praeterea Sergii, et Honorii Papae, in ejus favorem, et capitulorum concilii Alexandrini. Omnibus illis pro Monothelismo damnatis, et combustis, lata quoque est sententia condemnatoria in ipsos autores, et fautores, nominatim in Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, et Theodorum Pharanitam, denique in ipsum Honorium. 6. Damnatus dein est Polychronius, discipulus Macarii, tanquam haereticus et inpostor. Promiserat enim coram Synodo, se miraculo probaturum esse Monothelismum, mortuum suscitando per chartam, ipsi, cum hac inscriptione, inpositam, *qui non confitetur unam voluntatem, et unam Dei-virilem operationem, non est Christianus:* sed fefellit eventus. 7. Post cum proscriptus est Constantinus, Apameensis Presbyter, qui, Monothelismum cum Orthodoxa fide conciliari posse, defendebat, statuendo, duas operationes, et unam voluntatem, humana voluntate tempore mortis abolita. Quod ut rectius intelligatur, observandum est, eum statuisse, unam in Christo voluntatem *personae Dei verbi*, et alteram *naturalem* humanae naturae usque ad crucem, quando abolita est cum sanguine et carne, quia ab eo tempore Christus non necesse habuit *edere, bibere, dormire, aut ambulare*: ut ipse inquit. Ex quo liquet, quid per naturalem voluntatem intellexerit, eam ad actiones corporeas naturales restringendo. Denique 8. post repetita anathemata in personas memoratas, edita est cum omnium subscriptionibus fidei confessio, acta quoque Synodi ab Inperatore confirmata sunt, sicut et postea a filio ejus Justiniano, sub poena depositionis Clericorum, proscriptionis nobilium, et dignitate illustrium, exilii reliquorum civium.

 §. XLI.

§. XLI. Petita mox est a Papa actorum confirmatio, Synodica ad Ipsum missa relatione, qua Synodus declarat, se veram doctrinam cum Papa, qui litteras eum in finem ad Synodum miserat, clare praedicasse, sed *orare paternam ejus sanctitatem, ut iterum confirmet.* Quod licet Papa cum reliquis Patriarchis habuerit commune, nec confirmationis vox Papis fuerit propria, Ipse enim Leo ab Hispanis petiit, *Synodalium institutorum confirmationem*, ut Toletana Synodus XIV., quae definitiones Synodi CP. III. confirmavit, testatur: Papa tamen Leo II., qui Synodum confirmavit, sibi majus quid adrogavit, cum sua non tantum, sed et beati Petri autoritate robur addiderit Synodo: dicit enim, se *beati Petri autoritate confirmare, sicut super solidam Petram, qui Christus est.* Ipsa quoque Synodus in *sermone adclamatorio* ad Inperatorem dixit, *Petrum* per *Agathonem esse locutum;* et in epist. ad Papam declarat, se decreta ipsi, tanquam *primae sedis Antistiti universalis Ecclesiae, stanti super firmam fidei petram, mittere.* etc. Interea Papa majorem non habuit in Synodo autoritatem, ac reliqui Patriarchae, nec ejus litterae pro norma sunt habitae, sed pro summaria tantum verae fidei expositione, et demonstratione, ex Script. S. et Patribus, quam adoptavit et confirmavit Synodus, plane quemadmodum *tomus Leonis* in Synodo Chalcedonensi fuit consideratus; et Paparum autoritas ejusdem adhuc fuit naturae, ac super. seculo. Litterae Synodales ad Papam habent, *se sancto spiritu illustratos*, et *Papae doctrina instructos*, haeresin damnasse.

§. XLII. De *causa* inpellente Synodi, ejusque *effectu*, cum postea in historia Monothelismi sit agendum, ad alteram Synodum Oecumenicam, *Quini-Sextam* dictam, pergo. Synodi Oecumenicae praecedentes, *Quinta* et *Sexta*, cum fidem tantum firmassent, nullosque condidissent disciplinae et morum canones, adeoque defectu aliquo viderentur laborare, haec coacta fuit Synodus, ut, in superiorum supplementum, canones cuderet Ecclesiasticos, quare non tam Oe-

cumenica

cumenica VIIma, quam *Quini-Sexta*, saepe etiam simpliciter *Sexta*, solet adpellari, alias etiam, a loco, CPolitana IVta, et eximie *Trullana*. Dederunt quoque ipsi Patres rationem convocatae Synodi, quam memoravi, in sua ad Inperatorem adlocutione. Habita vero est, non a. 686., ut Tarasius CPol. Episcopus sec. sequente dixit, nec a. 707., ut Theophanes, sed a. 690. vel 692., ut ex canone 3tio, et episcopatu Sergii Papae, in cujus tempus incidit, aliisque monumentis, probarunt duo Pagi, ad Baron., et in Breviario. Synodum indixit Inperator Justinianus, ut satis constat. Ipsi quoque Patres se ejus jussu esse congregatos l. cit. testantur diserte. Adfuerunt numero 240, secundum autorem *libelli Synodici*, vel 217, secundum Blastarem et Balsamonem, licet 211 tantum legantur subscripsisse. Inter principes vel moderatores Synodi, praeter Patriarchas, Paulum CPol., et Petrum Alexandrinum, etc. fuerunt quoque Legati Papae, ut diserte testatur Anastasius in vita Sergii Papae, sed qui, tanquam Papae Apocrisiarii, et Responsales, aderant CPoli, ad hanc Synodum non specialiter missi, aut legati. Utique Basilius, Cretae Metropolitanus, se in Synodo inscripsit *legatum totius Synodi Ecclesiae Romanae*. Conditi autem sunt 102 canones, testibus autoribus, et ipsis, qui supersunt, canonibus; inter quos multi sunt omni animadversione digni, ut *primus*, quo doctrina superioribus conciliis firmata adsumitur, et *secundus*, quo omnes canones conciliorum et Patrum recipiuntur, quorum collectio est in Pandectis Beveregii. Nonnulli quoque in ritus Ecclesiae Romanae inpingunt, eosque rejiciunt, ut de jejunio sabbati vetito, de 85 canonibus, sic dictis, Apostolicis adprobatis, de conjugio Presbyterorum et minorum Clericorum licito, de aequalitate sedium Romanae et CPolitanae, de Christo forma agni non pingendo, de abstinentia a sanguine et suffocato severe hic injuncta. Exstant in Pandectis Beveregii cum scholiis. Ceterum, ut illud subjungam, in hoc concilio adprobatus est et confirmatus co-

dex *canonum* Ecclesiae Orientalis, cujus partes canon secundus recenset. Quibus si canones 102 hic sanciti addantur, nec non Nicaenae II. Synodi sec. VIII., codex Orientalis a Nicaena I. ad Nicaenam II. pertingens, completus est. Sunt autem in hoc Codice primum receptae, et canonibus exaequatae, sententiae Patrum, ad exemplum Latinorum, qui epistolas decretales Paparum canonizarunt, quod primus fecit, sec. VI., Cresconius, ut suo loco observavi.

§. XLIII. Superest quaestio, sitne haec Synodus Oecumenica, nec ne? breviter attingenda. Vid. quae in Praefatione, operibus Theodori Studitae praemissa, oper. Sirmondi tom. V. habentur. Negant sedis Romanae patroni, Baronius, Binius, alii, qui Synodo dicam scribunt, hanc praecipue ob rationem, quod legati Papae non subscripserint, et a Sergio Papa sit rejecta: quod posterius, teste Anastasio, verum est; sed non prius, cum legati interfuerint, eodem teste, et Basilius, Romanae Ecclesiae legatus, subsignaverit. Praeterea Johannes VII., a. 705. Papa electus, eam non quidem adsumsit, sed nec repudiare ausus est, et Hadrianus I., in epist. ad Tarasium, Synodum VII. cum his canonibus adprobavit, addens tantum, se suscipere regulas, quae *jure, et divinitus, ab ipsis promulgatae sunt*. Synodus vero VII., pro oecumenica haberi solita, calculo suo confirmavit hanc Synodum. Sergii vero inprobatio Synodo Oecumenicae non officit, nec efficere potest, ut Oecumenica esse desinat, sed tantum, ut universalem non habeat autoritatem, Oecumenicae alias consonam, Papa sese huic effectui opponente: adeo ut natura, et vero suo conspectu, fuerit Oecumenica, sed non eventu, a Papa repudiata. Adsunt utique omnes Synodi Oecumenicae characteres; cum totius inperii Episcopi fuerint invitati, omnes Patriarchae, etiam Papae legati, et Episcopi ingente numero adfuerint praesentes, Inperatoris quoque autoritate sit convocata, et confirmata, denique ipsa Synodus sese pro Oecumenica haberi ac recipi voluerit.

§. XLIV.

§. XLIV. Reliqua concilia, hoc ſeculo celebrata, bene multa, ſive nationalia et generalia, ut in Hiſpania, et Gallia, et Anglia, ſive provincialia, et particularia, quae, paucis exceptis, in cauſſa Monotheliſmi etc. verſata ſunt, maximam partem circa Clericalem, et Monachalem, diſciplinam, coelibatum, Monachatum, et ceremonias, et paſſim pro hypotheſi habent, multa vitia, ut ſimoniae, avaritiae, ambitionis, ſcortationis etc. irrepſiſſe in Clericos et Monachos, cum recenſere nimis longum ſit, et a noſtro inſtituto alienum, pedem promoveo ad quartam Eccleſiae partem eſſentialem, ſeu ad

VITAM ET MORES,

initio a vita monaſtica, pro more, ſumto, quae ingens hoc ſeculo cepit incrementum, cum quod multa fuerint in Occidente erecta monaſteria, tum Regum, aliorumque, liberalitate inſigniter donata et ditata, tum incredibilis fuerit omnis generis hominum ad ea confluxus, tum denique quod nonnulla fuerint in ſcholas et gymnaſia erecta. Quae ſecundum ſeriem temporum, pro ut inciderint, ſummatim et ſtrictim enarrabo.

§. XLV. Cantuarienſis Eccleſia, totius Angliae metropolis, a. 602. ab Auguſtino monacho exſtructa eſt, et ſpeciem praetulit monaſterii, omnibus miniſtris Monachis, ſed ita, ut Epiſcopus, cum Clericis Monachis, ſeorſim habuerit diverſorium a grege Monachorum, qui ſub iiſdem tectis officia exercebant ſub Abbate. Quo in ſtatu haec Eccleſia manſit ad Reformationem ſec. XVI. uſque: uti demonſtravit Mabillon. in Annal. Benedictin. Ad quod exemplum pleraeque in Anglia Eccleſiae poſſeſſae ſunt et rectae a Monachis. Conditum quoque eſt, haud procul a Metropoli, S. Petri monaſterium, eo etiam nomine celeberrimum, quod Auguſtini, et reliquorum Epiſcoporum Cantuarienſium per longum tempus, et Regum Cantii, corpora ibi fuerint condita,

dita, quodque ex eo inprimis reliqua insulae monasteria vivendi formam et exempla acceperint. Viguisse autem ibi, et alibi in Anglia, Benedicti regulam, Idem ibid. probavit. Haud diu post, a. 605., Saxonibus Orientalibus conversis, exstructa est in Occidentali Londoniae parte Ecclesia, inde adpellata *Westmonasterium*, multis nominibus postea celeberrima facta.

§. XLVI. Tempore Waldeberti, Luxoviensis Abbatis a. 624., agmina Monachorum, et sacrarum puellarum examina, ut autor vitae Salabergae, qui hujus est aetatis, testatur, per Galliarum provincias, non solum in agris, vicis, ac castellis, sed et eremi vastitate, pullularunt, secundum regulas Benedicti et Columbani, quae ab hoc tempore passim fuerunt in monasteriis virorum conjunctae, cum antea vix pauca illis in locis reperirentur. Haud diu post a. 628., famigeratissimum illud monasterium Dionysii exstructum est, non quidem Parisiis, sed in agro Parisiaco, omnibus totius Galliae, forte et Europae praecellens, ope et sumtibus Dagoberti, Regis Galliarum. Exstiterat quidem antea Basilica S. Dionysii, super ejus, et martyrii sociorum, corporibus aedificata, et a Genovefa, celebratissima, et miraculis plurimis, si credere fas sit, clara virgine, nata a. 423. et denata a. 503. Parisiis degente, et pro eorum patrona habita, cujus vita, ab autore fere aequali conscripta, exstat in adpendice ad *Bedae et Fredegarii concordiam* Chiffletii, instaurata: habuit quoque monasterium adjunctum, nec caruit celebritate, sed a Dagoberto nova, in honorem hujus Francorum Apostoli, et patroni, exstructa est Basilica, longe amplior et augustior, ac magnificentior, cui Rex ingentem villarum, praediorum, censuum et possessionum, copiam concessit, ut et ornamenta prorsus regalia. Nec minore fere magnificentia construi jussit Monachorum aedes, et Xenodochium. In hac vero Basilica Reges Francorum, initio a Dagoberto sumto, sepeliri solent, Reginae etiam coronantur, et ornamenta Regiae inaugurationis adservantur: Abbas

bas quoque ejus principem tenuit supra reliquos Abbates locum in Cleri Parisiensis consessu, et Senatu Parisiensi. Aliis missis, ne prolixior sim, Weissenburgense, Latinis Album castrum, et Graecis Leucopolis dictum, quoque monasterium in Alsatia, sub Dagoberto seniore conditum, nobilissimum est per Monachorum eruditionem et litteras, et quod inde Abbates ac Episcopi sint desumti. Plura etiam circa Viennam Galliae coenobia hoc tempore originem habuerunt. Vid. Gregorius Turon. de *glor. Mart.* Praecipuus vel institutor, vel promotor, monasteriorum apud Cadurcos fuit eorum Episcopus Desiderius, cujus quaedam epistolae, et ad Ipsum, exstant in Antiq. Lect. Canisii vol. I., qui multa illis in regionibus condidit monasteria, circa a. 633. Treviris etiam exorta sunt per Episcopum Modoaldum a. 636., ut et Fossatense ad Matronam fluvium, haud longe a Lutetia Parisiorum, per Archidiaconum Ecclesiae Parisiensis; cujus primus Abbas fuit Babolenus, a. 638., cujus vita exstat in Dissert. Chiffletii de *annis Dagoberti*, subjuncta *Bedae et Fredegarii Concordiae*, ab eo editae, ab autore antiquo scripta, nec lectu indigna.

§. XLVII. Apud Hispanos celebris vitae monasticae propagator fuit Fructuosus. De quo vid. sec. II. Benedictin. Mabillon., ubi vita ejus recensetur, e regio Gothorum sanguine, qui Complutense exstruxit monasterium, in montibus Astoricensibus, non ab urbe Compluto, unde multum afuit, sed a martyribus Complutensibus, Justo et Pastore, quibus dicatum est, denominatum, cui multa contulit bona Rex Chindasvindus. Condidit Fructuosus, Monachorum numero crescente, et alia mox monasteria. Tantus enim ad eum fuit confluxus, non ex vulgo tantum, sed et optimatibus palatii, ut edicto Regis coerceri debuerit: quando virgines et viduae se ad eum coeperunt conferre, imo totae familiae, conjugati utriusque sexus cum liberis. Conscripsit etiam duplicem regulam, unam communem, alteram Monachorum, illam liberiorem, et pro conjugatis magis;

sed separatis sexuum locis, hanc districtiorem, pro Monachis stricte dictis. Respondet in multis Isidori Hispalensis regulae, quae, paucis exceptis, convenit per omnia Benedictinae, unde res et verba saepe transsumsit Fructuosus. Ceterum primus in Hispaniam introduxisse Monasticae vitae regulam et usum fertur, apud Ildefonsum Toletanum de *scriptoribus Ecclesiasticis*, Donatus, Monachus, ex Africa in Hispaniam migrans, *tam vivens*, inquit Autor, *virtutum exemplis nobilis*, *quam defunctus memoriae claritate sublimis.*

§. XLVIII. In Gallia Belgica praecipuus Monachatus promotor exstitit Amandus, postea Episcopus Trajectensis. De quo vid. Mabillon. in praefat. sec. II. Benedictin. §. II. et vita ejus in Actis Benedictin., sec. II. Celeberrimum in Belgio monasterium Sithiense autorem habuit Audomarum, Tervanensem Episcopum, Adroaldo locum et opes suppeditante a. 647. Sigebertus quoque, Rex Austrasiorum, sese conditis monasteriis praestitit celebrem. Vid. Sigebertus Gemblacensis in *ejus vita*. Insigne quoque incrementum in Belgio accepit Monachatus a Landalino Abbate a. 653. Sed in Anglia, ut in eam redeam, indies crevit, praecipue posteaquam Oswius Rex, cum Penda Rege Merciorum pugnaturus, filiam vitae monasticae adstrinxisset voto, et ad monasteria condenda promisisset possessiones, si victoriam reportaret; votorum compos factus. Unde initium est repetendum monasterii Streaneshalensis a. 655. et Medeshamstedensis, postea Petriburgi dicti, quod vicem praestit liminis Petri Romae, ita ut si quis peregrinationem ad limina Petri vovisset, suffecerit, modo Petriburgum adcessisset. Sed privilegium, ipsi ab Agathone datum, sicut a Spelmanno recitatur, interpolatum est, nec fide dignum.

§. XLIX. In Gallia deinde multum promovit vitam Monasticam Balthildes Regina, Clodovei uxor a. 656., quae Simoniam, in Gallia reviviscentem, exstinxisse quoque fertur, Judaeis etiam mancipia Christiana vendere prohibuit. Condidit, praeter alia, Calense monasterium, ad Matronam fluvium

vium in agro Parisiaco pro virginibus, in quod et Ipsa a. 665. secessit, et Corbejense, in pago Ambianense Belgicae secundae pro viris a. 657., sub regula Benedicti, cujus primus Abbas fuit Theodefridus, dein Episcopus Ambianensis, vid. sec. II. Benedictin. Mabillonii, probe ab altero ejus nominis in Saxonia ad Visurgin, sub Ludovico Pio demum exstructum, distinguendum. Apud Arvernos monasteria multiplicavit Praejectus Episcopus, qui, inter alia, Camelariense in loco Arvernorum suburbano exstruxit, in quo capsula est, quae Theclae, in Pauli Apostoli historia notae, reliquias continere censetur, teste plumbea lamina in ea reperta, apud Mabillon. Ann. Bened. a. 665. Praeterea conditum est in Alsatia Ebersheimense monasterium, olim Novientum dictum, cujus autor est Dux Atticus, pater Odiliae virginis, et celeberrimae Abbatissae Hoemburgensis parthenonii. Monasterium Brogariense, in Stampensi pago, originem suam debet, a. 670., Illustrissimae foeminae Chrotildi, ad *abstergenda facinora sua*, simul ad *aeterna gaudia promerenda*, ut litterae habent a Mabillon. l. VI. de *re diplomatica* publicatae. In Anglia Eliense monasterium condidit a. 622. Edilreda, Regis Anglorum Orientalium filia. Deinde multis exstruendis manus admovere coepit ab a. 676. Dagobertus II., Austrasiorum Rex. Exorta etiam sunt in Anglia Glastoniense, postea ab Ina Rege magnificentius exstructum, adeo ut ejus autor potuerit haberi, a. 689., praeterea Abendoniense, et, ne alia memorem, Gloecestriense a. 680., ab Osrico, postea Rege Nordhumbrorum, in gratiam virginum; sed quod progressu temporis factum est virorum.

§. L. Silentio involutis aliis, quae ubique terrarum ingenti numero, et insano studio, vel exstructa, vel reparata, vel dotata sunt, quippe quae recensuisse longum foret, nec instituto congruum, nonnulla subjungam observata, ad vitam monasticam pertinentia. 1. Monasteriorum divitiae per pias donationes, legationes, et testamenta, ut et privi-

privilegiis, a Regibus et Episcopis concessa, immensum creverunt. Bertichramnus ex gr. Cenomanensis Episcopus, omnia sua bona, quae amplissima erant, testamento legavit ejus Ecclesiae monasterio: quod et fecit Romaricus Lusoviensi, Desiderius Autisiodorensis, et alii, qui monasteria erexerunt, ut modo narravi. Privilegia vero, a Papis et Episcopis dioecesanis data, monasteria potestati Episcoporum eripuerunt, et sui juris esse fecerunt, ita ut in Abbatis electionem, in bona, ac directionem, nihil habuerint potestatis, excepto, quod sacri ordines ab iis fuerint in monachos collati, et chrisma confectum sit. Quae privilegia ubique prostant, et magno numero. Nec apud Latinos, sed et Graecos, idem est factitatum. Sic ex. gr. Theodori Siccotae monasteriis concessae sunt inmunitates a Mauricio Inperatore, et Cyriaco Patriarcha CPol., ita ut nulli episcopatui sint subjecta, nisi Ecclesiae Apostolicae regiae. Vid. vita Theodori in Actis Sanctorum Mens. April. Testatur quoque Innocentius II. Papa l. I. ep. 39. *inperialia monasteria apud Graecos nulli Archiepiscoporum vel Episcoporum dominio fuisse subjecta.* Exempla denique exemtionum monasteriorum jam sec. VI. fuerunt varia in Ecclesia Africana, ut et Latina, tempore Gregorii M. Vid. not. ad ejus lib. I. ep. 12., cujus privilegium etiam reperitur l. III. ep. 41. Ex Gregorio Turon. quoque patet, in monasteria illa, quae sub Regis erant tutela, nullam habuisse potestatem Episcopos. Vid. Hist. l. IX. c. 40.

§. LI. 2. Illustres personae susceperunt quoque monachatum, sive sponte, sive nescientes. Exempla hoc sec. prostant Regum, Reginarum, ne de aliis dicam dignitatibus, ex. gr. in Judicaële, Britanniae Armoricae Rege a. 636., Sigeberto, Anglorum Orientalium Rege, a. 639. apud Bedam Hist. l. III. 18., ubi etiam refert, eum professionis suae adeo fuisse tenacem, ut a suis antea subditis, dum a Merciis invaderentur, invitus in castra abductus, et *opimo vallatus esset exercitu, non nisi virgam in manu habere voluerit*, absque ut

aliquid

aliquid ad se et exercitum defendendum contulerit: adeo ut ipse occisus sit ab hostibus, et exercitus totus caesus, aut dispersus. Quod singulare prorsus est pii zeli exemplum: Wamba Hispanorum Rex, cui cum lethaliter decumbenti, et mente moto, habitum confessionis et poenitentiae contulissent, convalescens monachum constanter egit; quia tales perpetuae et irrevocabili poenitentiae, licet ipsis nesciis factum fuisset, erant addicti. Vid. Mabillon. Annal. Benedict. a. 680., et in Praefat. secundae partis sec. IVti Benedictin. Quo invento Reges facile exauctorari, et in monasteria detrudi poterant ab aemulis regni, sicut Wambae contigerat, cui Ervigius potionem venenatam eo scopo dederat. Foeminarum nobilissimarum plurima exstant exempla. Missa Frideburga, Sigeberto Burgundionum Regi desponsata, sed a Gallo, Cellae in Helvetia exstructore, unde Abbatia *Sangallensis* orta est, liberata a Daemone, et tempore nuptiarum habitum monachalem sumente, quam historiolam ex Surio fuse refert Baronius, ea, inquam, missa, quia fabulam redolet, ut jam observavit Mabillon. Annal. Bened. a. 613., memorari merentur Pippini Senioris, alias Landensis Majoris domus, vidua et Filiae. Vidua ejus Itta, vel Iduberga, post mariti mortem elegit continentiae institutum, et, ad Amandi Trajectensis Episcopi petitionem, construxit Nivellae monasterium, in Episcopatu Trajectensi, cui praeposita est Filia ejus Gertrudis, quae paulo ante obitum regimen monialium tradidit nepti suae Wilfetrudi; obiit mater a. 651. et Filia a. 659. Altera vero Pippini et Idubergae filia Begga, primum nupta Ansigisili, filio Arnulphi, postea Metensis Episcopi, ex quo filium peperit Pippinum Juniorem, seu Heristallensem, cum vidua esset se suaque Deo devovit, et in vico Andana ad Mosam, inter Namurcum et Hoium, celeberrimum extruxit monasterium, seseque in illud condidit a. 693., mortua a. 694. Ceterum ab hac Begga fluxerint Begginae, vel Beguinae, nomen ipsa sacrata virgine apud Belgas, quod nonnulli

volunt,

volunt, non est hujus loci inquirere. De quo forte postea suo loco.

§. LII. 3. Denique observari et illud meretur, non tantum *advocatos*, seu defensores, monasteriorum fuisse hoc tempore institutos, ad eorum aviditatem, qui monasteriorum bonis inhiabant, reprimendam, sed et in palatiis Regum, ac castris, jam fuisse *oratoria*, quibus praeerant Abbates: unde in Abbates palatinos et castrenses orta est distinctio, quorum illi monasterio, in palatio Regis exstructo, praeerant, hi vero castra sequebantur, praepositi monachis vel Clericis, quorum erat Divina in castris officia, horis diurnis ac nocturnis, persolvere. Vid. Mabillon. annal. Bened. a. 624., et de advocatis a. 644. Postremo, quod 4. notandum, etiamsi monasteria ut plurimum adhuc fuerint bonarum artium et litterarum officinae, et studia aliquatenus per ea conservata, crevit tamen in illis magis magisque superstitio in ritibus, meritis vitae monasticae adscriptis, in visionibus, miraculis, reliquiarum studio. etc. Quorum plena sunt cuncta eorum monumenta, a Baronio, ipso etiam Mabillonio, passim curiose enarrata. Notatu sunt digna verba Aventini Annal. Bojor. l. III. quibus dicit, per Monachos fuisse inter Bojos et Suevos introductas *novas cerimonias*, *novam servitutem*, *atque onera*, *contra majorum instituta.* Infecit praeterea Monasteria haud levis morum corruptio. Isidorus Hispal. off. Eccles. IV: 15. diversa pravorum Monachorum genera recenset, ut Anachoretarum, Circumcellionum, et Sarrabaitarum, dein, in fin., grassantia Monachorum vitia in genere castigat, uti κενοδοξίαν vanae gloriae cupidinem, superbiam, avaritiam, invidiam, lites etc. Valerius, Abbas Hispanus, apud Mabillon. annal. Bened. a. 695. et in actis Benedictin. sec. II. p. 997. inter alia dicit, ne monasteria maneant deserta, tolli cum familiis subulcos, opiliones, parvulos, eosque invitos tonderi, simul, sicut antea, ita in Monasteriis male vixisse: *ita*, addit, *in sacratissimis locis paucissimos reperiri electos viros*, *qui de toto*

corde

cordis convertantur ad Dominum. Corruptissimi monasterii virginum exemplum praebet Coludense in Scotia, cujus cellae, ad orandum et legendum factae, conversae erant in comessationum, potationum, et fabularum diverticula, ut tradit Adamnanus, unus illorum, in viso apud Bedam Hist. IV: 25. Qui addit, illud propterea fuisse divinitus flammis absumtum. Multi quoque conciliorum canones, contra haec vitia cusi, idem evincunt. Denique, quod singulare est, introduci coeperunt monasteria mixta, ubi sine sexus discrimine, conjugati cum uxoribus, liberis et servis, domicilia convertebant in monasteria, rectore sibi praeposito nomine Abbatis, sed cuncta in speciem, ut hoc pacto a publicis curis et tributis liberarentur. Vid. Mabillon. Ann. Bened. a. 647.

§. LIII. Sed major inter Clericos grassata est corruptio, ut ex actis conciliorum, in primis Toletanorum et Bracarensium, patet, quae de eorum avaritia, ambitione, simonia, libidine, luxu, et vanitate clare testantur. Canon quoque 20mus Toletani III., sub Pelagio II. celebrati, habet: *cognovimus, Episcopos per parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desaevire.* Isidorus Hispal. Off. Eccles. II: 3., de Acephalis agens, inquit, *eorum sordida ac infami numerositate partem occiduam satis superque pollui.* Luculenter quoque de vitiosa indignorum Clericorum electione ibid. c. 5. testatur, dicens: *nunc vero saepe cernimus, plurimos ordinationem talibus* (ignorantibus) *facere, nec eliguntur, qui Ecclesiae prosint, sed quos ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, et, ut deteriora dicam, qui, ut ordinentur, muneribus inpetraverunt: taceo de reliquis.* Simoniam, licet saepe prohibitam, grassatam nihilominus esse, testatur Synodus Toletana XI. can. 9. Tanta denique inter Clericos Italiae regnavit ignorantia, ut Agatho Papa, se vix idoneum invenire potuisse, quem ad Synodum CPolitanam mittat, conquestus sit, in epist. in Synodo illa VI. act. 4ta recitata. De universali morum de-

pravitatem in Ecclesia testatur etiam Theofridus Abbas, cujus supra mentionem feci, *in sermone de veneratione sanctorum*, in principio: *virtus sanctae charitatis*, inquit, *quae fidei cultum olim in Patribus decoravit, nunc, senescente mundo, et accrescente peccato, in filiis decessit, et in tantum in singulis dilabitur, ut vix in paucis ejus vestigium recognoscatur*. Vid. etiam Fursei Abbatis vita apud Mabillon. sec. II. Benedictin.

§. LIV. Interea flagrarunt communiter incredibili rituum externorum studio, ita ut in illis summam collocarint religionis. Usi quoque sunt absurdis modis superstitiosis veritatem demonstrandi, et lites finiendi. Monachus Fintanus, alias Munnu, ut uno alterove exemplo defungar, inter Anglo-Saxones, acer admodum paschatis cum Romanis celebrandi adversarius, in Synodo Leniensi a. 630, cujus supra memini, haec media controversiae terminandae proposuit: *duo libri in ignem mittantur, liber veteris et novi ordinis, ut videamus, quis illorum de igne liberabitur, vel duo monachi, unus meus, alter tuus*, inquit Lasreano adversario suo, *in unam domum recludantur, et domus comburatur, et videbimus, quis ex his evadat intactus igne: aut eamus ad sepulchrum mortui justi monachi, et suscitemus eum, et indicet nobis, quo ordine debemus hoc anno pascha celebrare*. Quam eandem viam aperuit Augustinus, cum Britones ad ritus Romanos adducere non posset, *Oremus*, inquiens, *Deum, ut, e duabus traditionibus utra sequenda sit, aliquo coelesti signo nobis ostendat: aeger quivis obvius huc adducatur, et, si quis alterutrius partis ipsum sanaverit, hujus communioni omnes accedant*: quam conditionem, licet aegre, admiserunt Britones, Beda Hist. II. 2. De Polychronio Monothelismi demonstrationem miraculo promittente, supra monui. Haereticum aliquem Severianum, seu Eutychianum, fuisse ab Ephraemio, Antiochiae Patriarcha, conversum miraculo *superhumeralis* sui in ignem inmissi, et post tres horas inde incolumis extracti, narrat Joh. Moschus in *prato spirituali* §. XXVIII. Denique jurare solebant ad

ad lites sopiendas per reliquias sanctorum, hac, vel simili formula, *sic illum Deus adjuvet*, *vel illae reliquiae*. Vid. Mabillon. Ann. Bened. a. 659. et Glossarium Cangianum. Ceterum de variis modis veritatem et innocentiam probandi, nonnulla monui ad sec. VI., et autores citavi, qui eos illustrarunt; quibus addo Muratorium Antiq. Ital. medii aevi Dissert. XXXVIII., ubi exponit de probatione per eucharistiam, juramentum, aquam frigidam et calidam, panem et caseum benedictum, per ferrum candens, et transitum per ignem, et etiam per *duellum*, de quo fuse differit Diss. XXXIX.

HAERESES.

§. LV. Novae haereseos, vel Eutychianae ac Severianae nova sub forma, *Monothelismi* nomine insignitae, quae hoc seculo est orta, et ingentes concitavit motus, antequam enarrem historiam, ejus capita, vel dogmata, paulo accuratius exhibebo, in subsidium inprimis adhibitis ipsorum Monothelitarum scriptis, seu potius fragmentis, cum scripta exstent integra nulla. Sunt autem in actis Synodi Lateranensis, sub Martino Papa, nec non Synodi Oecumenicae VI., et in disputatione Maximi Abbatis cum Pyrrho, obvia, et praecipue sequentia. 1. Theodori Phranitis in actis Synodi VI. act. 13. 2. Cyri Alexandrini anathematismi, ibid. 3. Macarii Antiocheni fidei confessio, ibid. act. 8. 4. Sergii et Honorii epistolae ibid. act. 12 13. Quibus concinunt ἔκθεσις *ecthesis* Heraclii, et τύπος *typus* Constantis. Denique 5. Pyrrhi CPolitani, in disputatione Maximi cum ipso. Ex adversariis maxime consuli merentur *acta* Lateranens. et Cpolitani Synodorum, scripta Maximi Abbatis, et Johannis Damasceni, seculi sequentis scriptoris. Inter Recentiores, quorum catalogum contexuit Fabricius Bibl. Gr. vol. X., praecipuum merentur locum, Forbesius Instruct. Hist. Theol. l. V. Combefisius in historia Monothel., prae-

missi *novo auctario* tom. II. et Petavius Dogm. Theol. *de incarnatione* l. I. c. 20. et VIII. c. 3. etc. Ex quibus monumentis ab *altera* parte certo mihi constat, ipso Petavio agnoscente, Monothelitas non *unam* in Christo naturam, sed *duas* post unitionem *inconfusas* statuisse, adeoque superiores haereses, etiam Apollinarist., et Eutychianam, ut vulgo intelligi solebat, repudiasse; sed et ab *altera*, eos non *duas* in Christo admisisse *voluntates* et *operationes*, sed *unam* θέλησιν *voluntatem*, et *unam* ἐνέργειαν *operationem*: unde nomen *Monothelitarum*, etiam *Mononergetarum*, ipsis adhaesit. Sed qua ratione illud intellexerint, studiosius est investigandum. Quem in finem tres moveri possunt quaestiones, 1. num per θέλησιν et ἐνέργειαν, sive *voluntatem* et *operationem*, intellexerint unam eandemque rem, an diversas? 2. num ipsas volitionum et operationum *potentias*, et *facultates*, an *volitiones* et *actiones* tantum? 3. Quo sensu *unam* urserint *voluntatem* et *operationem* in Christo?

§. LVI. 1. Quod ad primam adtinet quaestionem, Gabriel Vasquezius disput. 73. ad tertiam partem Tomae cap. 1. Monothelitas censet per voluntatem et operationem unum idemque expressisse, *adfectum* scilicet *voluntatis efficacem*, a quo, tanquam a primo motore, pendent membrorum motus et actiones, adeoque eorum mentem fuisse, in Christo solum adfectum voluntatis divinae fuisse, cujus nutu membra inferiora ad suas actiones et opera moverentur. Cui se opposuit Petavius, l. VIII. c. 5., contendens, eos per θέλησιν *voluntatem* intellexisse nudam voluntatis inclinationem et electionem, quae in actum non exit, per ἐνέργειαν *operationem* vero exsecutionem rei destinatae per reliquas animi et corporis facultates, quae partim naturales in nobis sunt et necessariae, a voluntate non pendentes, ut esurire, sitire, dormire etc., partim voluntatis nutibus obsequuntur, ut loqui, ambulare etc. Sed tota haec Petavii disputatio illud tantum evincit, illos operationem nonnunquam a voluntate distinxisse, *illamque* ad membrorum et corporis adfectiones

affectiones et motus extendisse, adeoque ad operationem [illegible] misisse, quicquid Dominus vel locutus est vel egit, *mentem et sensum*, et *instrumenta sentiendi*, ut verba Theodori, Macarii, aliaque testimonia, demonstrant. Sed, eos per *energiam* aliud quid ac *voluntatis* adfectum efficacem, a quo membrorum motus dependent, intellexisse, inde colligi nequit. Videntur itaque ea modo confudisse, modo distinxisse, modo θέλησιν *thelesin* ad immanentem, et *energiam* ad transeuntem retulisse voluntatis actum, modo utrumque adpellasse *thelesin* et *energiam* promiscue. Quod ex *monumentis* citatis cuivis adtente legenti sponte adparebit.

§. LVII. 2. Sed et ex secunda quaestione clarius elucescet: num scilicet per voluntatem et operationem, quam unam, eamque divinam tantum, in Christo statuerunt, intellexerint illas δυνάμεις *potentias* et *facultates*, an *actiones* tantum, adeoque, num naturales volendi et operandi facultates naturae humanae Christi denegaverint, an, salvis illis, solam agendi motionem. Prius communiter inputatur Monothelitis, et a Petavio defenditur, sed posterius opinatur Vasquezius disput. 74. in 3. Tomae partem. Evicit quidem Petavius, quod verissimum est, veteres, ut Maximum, et J. Damascenum, ea ratione contra eos disputasse, sed eos, vel eorum mentem recte percepisse, vel per modum consequentiae illud inde non derivasse, ipsisque inputasse, minime probavit. Erat utique ex ipsis illorum scriptis id eruendum, si vere ita sensissent. Adpellat quidem Colluthus ex Theodosio in concilio Lateran. Secret. Vta. *unam operariam virtutem*, sed opposite non ad facultates agendi, verum *ad ipsa ea*, *quae perficiuntur*; ut ipsa verba habent, adeoque intelligere potuit primam virtutem, quae reliquas facultates dirigit, movet, et operari facit. Fuerunt quidem Aphtardocetae, vel ad eos prope accesserunt Monothelitae, qui naturales corporis adfectiones non naturaliter, sed sponte a Christo susceptas statuebant, ut ex Theodori excerptis, aliisque, patescit: sed, eos omnes mentis ac corporis facul-

tates Christo ademisse, et animum ac corpus essentialibus potentiis privum finxisse, a probabili longe mihi videtur alienum, cum, quod veram animam rationalem, et verum corpus vivum ac organicum, in Christo, ut omnes consentiunt, agnoverint, quacum opinione nullo modo consistit, nullas Christo homini adfuisse facultates naturales, nisi quis haereticos insanos fuisse velit, quod longe a vero abest, tum, quod divinam voluntatem et operationem non pro *unica*, sed *suprema* tantum, habuerint, eaque ratione dixerint *unam* voluntatem. Quod in tertia quaestione demonstrare uberius adgredior.

§. LVIII. Quaeritur enim 3. quo sensu unam voluntatem ac operationem Christo adscripserint, num οὐσιωδῶς *essentialiter*, an ὑποστατικῶς *personaliter*? sive, ut clarius exponam, num una numero in Christo, Deo et homine, tantum fuerit volendi et operandi facultas ac potentia, an plures quidem numero potentiae, sed una suprema et moderatrix, reliquae subordinatae et instrumentales, adeoque una tantum omnium facultatum actio et motio? Communis fert sententia, Monothelitas omnes absolute ademisse facultates naturales naturae Christi humanae, tam animae quam corporis respectu, adeoque eam consideraſſe tanquam instrumentum, omni movendi, sentiendi, et agendi principio orbum proprio, plane acsi esset anima, mente, et vita cassum, quod una et sola potentia divina animasset et egisset. Quam opinionem iis vindicare conatus est Petavius contra Vasquezium; cui adsensum non praebuerim. Videntur mihi Monothelitae unam voluntatem et operationem defendisse, salvis facultatibus naturalibus, et intellexisse partim de unitate hypostasios, seu personalitatis unius, a qua denominandae sunt voluntates et operationes, partim de unitate causae principalis et directricis, quam divinam dixerunt esse voluntatem, cui mentis non tantum actiones, sed et corporis operationes, statuerunt esse subjectas, tam naturales et necessarias, quam voluntarias. Adhaeserunt enim Aphtardocetis, ut ex Theodori

dori excerptis, et ex eo, quod functiones naturales a dispensatione et Oeconomia, ut constat, repetierint, manifestum est.

§. LIX. Argumenta, quibus opinio nostra est superstructa, sunt sequentia. 1. Viros, in summis positos dignitatibus, quales antesignani Monothelitarum fuerunt, quibus nunquam est insania objecta, eo venisse insaniae, ab omni abhorret probabili, ut veram animam *λογικὴν τε καὶ νοερὰν rationalem et intellectualem*, ut ubique, etiam in *ecthesi* Heraclii, nec non in articulis unionis Cyri Alexandrini ac Theodosianorum, in actis Synodi VI. act. 14., confessi sunt, sine facultatibus naturalibus cogitandi et volendi, verum corpus sine potentiis, ejus naturae propriis, Christo adtribuerint. 2. Cum Eutychianismo quidem censiti fuerunt adhaesisse, attamen sanius adhuc de unitione naturarum in Christo sensisse; utique *unius naturae* respectu existimandi sunt unam ursisse voluntatem. Unionem utique in Christo admiserunt *καθ' οὐσίαν secundum essentiam*, unam in Christo esse naturam incarnatam, salvis duabus naturis, crediderunt. Non itaque, nisi ejus unius naturae respectu, habendi sunt unam tenuisse voluntatem. Una autem natura ipsis fuit eadem ac una hypostasis. De quo in historia Eutychianismi fusius disputavi. 3. Momentum addit, quod pro fundamento posuerint *unam hypostasin*, et ab ea esse operationes derivandas, non a *natura*, dixerint. Unum contenderunt esse volentem, adeo ut, cum sit una persona, una etiam sit agnoscenda voluntas. Sic Theodorus in excerptis, sic Pyrrhus in disput. cum Maximo, sic Macarius in Synodo CP., et Honorius epist. ad Sergium ibid. act. 12., sic passim alii. Ergo, quia unus est Christus dicendus, ita et unus volens, et una voluntas: argumento, eos non *φυσικῶς*, sed *ὑποστατικῶς*, unam defendisse voluntatem. 4. Confirmat et illud ulterius, quod moderatiores et primarii Monothelitarum tutius esse duxerint, nec *unam*, nec *duas* dicere voluntates, ut ex Litteris Sergii et Honorii, nec non *ecthesi* et *typo*, aliisque monumentis,

constat. Quae profecto adcommodatio, si una numero facultas naturalis in Christo fuisset, nullo modo ferri poterat, cum *una* deberet absolute dici, nec vitari posset. 5. Accedit, eos *unam* dici noluisse, ne una introduceretur natura, *duas* vero, ne divisio naturarum Nestoriana, et contrarietas voluntatum, inveheretur. Quae duo extrema ut loco moverent, simpliciter dici contenderunt, *eundem Christum humana operari et divina.* Ex quo manifestum esse reor, eos non ex eo principio, quod naturae humanae facultates sustulerint, id ursisse, sed ut unio hypostatica sarta tecta maneret. Quod 6. clare satis significarunt, cum *μίαν θεανδρικὴν ἐνέργειαν unam Dei-virilem operationem* statui, et dici, debere dixerint, uti diserte Cyrus et Macarius, phrasi ex Dionysii Areopag. epist. IV. petita, ad quem etiam provocarunt: *una* itaque respectu *unius* personae, salvis utriusque naturae facultatibus; cum alias *Dei-virilis* non esset actio.

§. LX. Diserte 7. protestati sunt, se *duas* recusare operationes, cum, ne duos volentes et operantes introducant; tum, ne contrarietatem voluntatum admittere necesse haberent, ut saepe in citatis monumentis. Sic et Paulus, cujus verba recensita sunt in Synodo VII. act. 13. *unam voluntatem Domini intelligimus; ne adversitatem vel differentiam voluntatum in una eademque persona Domini nostri admittamus, aut eum sibi reluctantem dicamus, aut duos volentes introducamus* etc. Unde patet, discrimen magis fuisse methodi rem exprimendi, quam rei ipsius; in primis, quia ipsis illis in monumentis satis sane et orthodoxe de naturis Christi, earumque unione, loquuntur. Legantur modo Epistolae Sergii et Honorii, ut et confessio Macarii. Quid? quod, 8. se eam in mentem satis dilucide per expositiones, et similitudines, expresserint. Dixerunt, ex. gr. quae Christus egit et locutus est, *ἀρχοειδῶς, προηγουμένως*, per *μίαν ἡγουμενικὴν ἐνέργειαν originaliter, primordialiter, per principalem unam* operationem ea fecisse. Sic et a divina voluntate, tanquam fonte, dixerunt fluxisse operationem, praeterea animam et corpus

corpus fuiſſe *Organum* divinae naturae, ſed agendi virtute praeditum, quod tamen non agit, niſi quod divina vult natura. Quae locis citatis reperiuntur, ubi addit Theodorus, propterea *μίαν unam eſſe ἐνέργειαν ὅλυ ὡς ἑνὸς καὶ τῦ ἀυτῦ σωτῆρος operationem univerſi tanquam unius ejuſdemque ſervatoris.* Nihil etiam hanc in rem clarius eſt verbis Sergii, et exemplo hominis adlato, in epiſt. ad Honorium, act. 12. Synodi VIII. *Patres*, declarat, *adſerere*, quos ipſe ſequitur, *nunquam intelligente anima praeditam carnem Domini ſeparatim, ac proprio inpulſu, contra nutum uniti cum ipſa, ſecundum hypoſtaſin, Dei verbi τὴν φυσικὴν ἀυτῆς naturalem ſuam* (quam itaque admiſit Sergius) *peregiſſe motionem; ſed quando, qualem, quantamque Deus ipſe Verbum volebat: et, ut aperte dicam*, ſic pergit, *quemadmodum corpus noſtrum ab intelligente et rationali anima noſtra regitur, gubernatur, et ordinatur; ſic in Chriſto tota humana coagmentatio ab ejuſdem Verbi divinitate ſemper et in omnibus acta divinitus movebatur.* Concinit confeſſio Macarii in Synodo. Denique, 9. faſſi aliquando ſunt Monothelitae *duas* operationes, ob diverſitatem naturarum, ſed duas *unam*, propter unitionem: uti in Anaſtaſii collectaneis teſtatur Maximus; ſic et Pyrrhus in diſput. cum Maximo; cujus notabilia haec ſunt verba: *quemadmodum ex duabus naturis unum quiddam dicimus eſſe compoſitum, ita poteſt a nobis uſurpari ex duabus voluntatibus naturalibus una quaedam compoſita, ut et duas adſerentes voluntates propter naturalem in Chriſto differentiam naturarum, et unam conſtituentes propter ſummam unionem, de meris vocabulis inter ſe conflictari deſinant.* Quibus omnibus addi poterit, 10. ex eo, quod Neſtorianis idem fuerit a Veteribus adſcriptum, ſatis liquere, naturales facultates per eam hypotheſin non fuiſſe ſublatas in Chriſto. Agatho Papa in epiſt. Synod. haec citat Neſtorii verba: *inconfuſas cuſtodimus naturas, non ſecundum ſubſtantiam, ſed voluntate tantum copulatas, propter quod earum unam voluntatem, et operationem et dominationem ſtatuimus, dignitatis aequalitate oſtenſas.* Quod idem de Neſ-

torio teſtatur Maximus in diſput. cum Pyrrho. Vid. quoque verba Eliae Neſtoriani apud Aſſeman. Bibl. Orient. t. I. p. 547. et Barhebraei ibid. tom. II. p. 292.

§. LXI. Ex quibus diſputatis et capita Monotheliſmi, et inde natae inter eos ac Orthodoxos acerrimae contentiones, haud obſcure eluceſcunt. 1. Operationes Chriſti voluerunt Monothelitae ab *una* perſona, ſed Catholici a *duabus* naturis denominatas; unde illi *unam*, hi *duas*, dici debere contenderunt, adeoque illi *unam* Dei-virilem operationem, hi tantum et ſimpliciter, omiſſa voce *unam*, Dei-virilem, dicendam cenſuerunt, Vid. Synod. Lateran. ſub Martino Secretar. V. 2. Monothelitae omnes humanae naturae proprias volitiones et operationes abſolute ſubjecerunt naturae divinae, et ab ea derivarunt, ut eas ſuſtulerint, et pro malo inſtrumento habuerint. Catholici vero ſupremum volitionum et operationum principium agnoverunt quidem naturam divinam, ut notabilia eorum verba habent in confeſſione fidei Synodi VI*tae*, ſed ita, ut humanam naturam non pro puro inſtrumento, ſed et principio proprio operationum, habuerint. Quae erat de nomine et ſenſu vocis inſtrumenti, et organi, diſputatio. 3. Monothelitae videntur fuiſſe Aphtardocetae, quorum notitiam dedi ſec. VI. Sed 4. conſequentia utriusque partis praecipuum diſputationis caput conſtituerunt. Monothelitae objecerunt Catholicis volitionum in Chriſto diſcrepantiam, ex diverſis volendi et operandi principiis, ut putabant, oriundam; praeterea unitionem naturarum ab illis inminui, et eos ad Neſtorianiſmum vergere. Catholici vero ab altera parte, inputarunt adverſariis. α. Eutychianiſmum, et naturarum confuſionem, β. naturalium facultatum humanae naturae negationem, et eo modo contra eos diſputarunt, γ. imo animam rationalem eos Chriſto eripere, quae Apollinaria erat haereſis. Joh. Damaſcenus de haereſ. c. 99. tradit, eos duas quidem naturas, et unam hypoſtaſin, ſtatuere, ſed unam voluntatem, ac unam operationem, eaque ratione duplicem naturam tollere,

et Apollinaris dogma ſtabilire. Quae ſi recte ſint diſputata, quaeſtionem evincunt non fuiſſe tanti momenti, et a prudentioribus ac moderatioribus viris facile per commodam interpretationem componi potuiſſe. Quo verba Johannis CPolitani in epiſt. ad Papam Conſtantinum apud Combefiſium in *auctario* tom. II p. 261. tendunt. Imo haereſin Monothelitarum adpellavit *imaginariam* La Croze in hiſt. Chriſtian. Aethiopiae et Armeniae l. IV. p. 34.

§. LXII. Primam diſputationis occaſionem, ut hiſtoriam controverſiae ſummatim et brevibus enarrem, praebuit Heraclii Imperatoris laudabile ſtudium, haereticos cum Catholicis reconciliandi, indeque natum ejus colloquium, ſive unum cum Paulo monoculo, Severi ſectatore in Armenia a. 622, cujus meminit Sergius in epiſt. ad Honorium, ſive duplex et alterum cum Athanaſio Jacobitarum, Catholico in Syria, cujus mentionem facit Theophanes, qui, illud a. 621. habitum eſſe, tradit. Sed num vera narraverit Theophanes, vel colloquia cum Paulo et Athanaſio non confuderit, et loco Pauli Athanaſium poſuerit, quod contendit Pagi ad Baron., non adeo certum eſt, utique Theophanem contra Combefiſium, qui ejus narrationem putat eſſe fabuloſam, defendit Goarus. De quo quicquid ſit, illud ex Sergii epiſt., modo laudata, cui tutius fidimus, patet, Paulum primam dediſſe occaſionem *unius voluntatis* ſtatuendae, adeo ut, ſi ea admitteretur, Monophyſitae, haud gravate ſint ad Eccleſiam Catholicam acceſſuri. Injunxit itaque Inperator a. 626. Cyro, tunc Phaſidis in Lazica Epiſcopo, cui phraſis erat ſuſpecta, ut hac de reſcriberet ad Sergium, CPol. Epiſcopum: quo facto, Sergius, data ad Cyrum epiſtola, reſpondit, ferri poſſe phraſin, et a Patribus fuiſſe uſitatam. Nec tamen ab eo tempore in nervum erupit diſputatio: teſtatur enim Sergius in epiſt. ad Honorium, ſilentium ejus rei ab eo tempore, ſeu ab a. 626., fuiſſe uſque ad a. 636.; quo Cyrus, Alexandrinus jam Epiſcopus, Synodum habuit Alexandriae, qua unius voluntatis et operationis confeſſio

est stabilita, et unionis Monophysitarum cum Catholicis jacta sunt fundamenta; condita quoque sunt novem cum anathematismis capitula, quorum septimum *unam* θεανδρικὴν *Deivirilem* operationem complectitur. Exstant in Synodo VI. Missa quoque est epistola Synodica ad Sergium, qui calculum adjecit.

§. LXIII. Cum vero Sophronius Monachus, Alexandriae tunc versatus, septimo anathematismo vehementer contradiceret, de quo Sergius in epist. ad Honorium, et Maximus in ep. ad Petrum illustrem, testatur, ipseque, CPolin. ad Sergium tendens, frustra ab ipso capituli abolitionem petiisset, et, in Palaestinam redux, Episcopus factus esset Hierosolymitanus, zelo suo adeo indulsit, ut motuum, inde ortorum, occasionem vel causam praebuerit. Scripsit quidem Sergius ad Honorium Papam, unam voluntatem recte statui, sed pacis causa *unius* et *duarum* voces silentio premi esse satius, et ab Honorio eandem in mentem accepit responsum, quae litterae in act. Synodi VI. supersunt, scriptae a. 634. Sed Sophronius interea, Synodo habita Hierosolymae, *unam* voluntatem penitus damnavit, a. 634. et Synodicam misit ad Patriarchas. Unde motus sunt exorti. Superest et illa Synodica in actis Synodi VI. Consensit quidem in principio Sophronius in Oeconomiam silentii, Sergio et Honorio adprobatam, sed, cum Cyrum Alexandrinum ab una voluntate praedicanda et urgenda non cessare intellexisset, misit Stephanum, Dorensis Ecclesiae Metropolitam, ad Honorium, ut ipsi totum hoc negotium exponeret et commendaret, uti narratur in concilio Lateran. sub Martino; Ipse quoque Honorius ad Sergium et Cyrum, de silentii Oeconomia servanda litteras dedit, in actis Synodi. VI. obvias.

§. LXIV. Quo in rerum statu, cum vehementiores metuerentur motus, Sergius, ut Oeconomiae silentii major accederet autoritas, composuit ἔκθεσιν *ecthesin*, expositionem, eamque Heraclii nomine, cum ejus consensu, publicari fecit in

In qua fides Orthodoxa in reliquis capitibus stabilitur, omnia recipiuntur concilia superiora, et haeretici omnes rejiciuntur: de *una* vero et *duabus* voluntatibus silendum esse praecipitur, ac in eo acquiescendum, *unum eundemque Filium Christum operari divina et humana; omnemque Deo et homini congruam operationem ex uno eodemque incarnato Verbo indivise et inconfuse procedere.* Adpellata fuit in principio *Ecthesis* Heraclii, cum a. 638. est publicata, sed deinceps, cum male coepit audire, et Heraclius in epist. ad Papam non se, sed Sergium, esse autorem confessus est, *Sergii* dicta est. Vid. etiam collat. V. Maximi cum Principibus, in Collectan. Anastasii. Exstat autem in actis Lateran. Synodi sub Martino, et Oecumenicae VI. Motus tantum abest ut per salutarem hanc moderationem repressi, ut longe majores facti fuerint. Inter defensores ejus, qui ingente numero fuerunt, eminent Sergii successores in sede CPolit., Pyrrhus, Paulus, et Petrus, praeterea Cyrus Alexandrinus, et Macarius Antiochenus: sed longe plures eam damnarunt, quorum principes fuerunt Papae Romani; uti Severinus, qui primus id fecit, teste *libro diurno* Pontificum Romanorum, dein Johannes IV., qui, Synodo Romae coacta a. 641., monothelismum et ecthesin proscripsit, nulla tamen personarum facta mentione. Unde mox, ad Johannis petitionem, orta est ecthesios dilaceratio, et combustio, per Constantem, tunc Inperatorem a. 641.

§. LXV. Inter eos vero, qui Monothelismo magno nisu restiterunt, principem locum tenuit Maximus Abbas, de quo supra egi, cujus celebris fuit a. 645. disputatio cum Pyrrho, Patriarcha CPol., tunc exule in Africa, ubi congressus est habitus, qui in operibus Maximi exstat, et cujus accuratum, ex Theophane et Anastasio, conspectum dedit Baronius. Narratur autem Pyrrhus ad incitas redactus, et palinodiam cecinisse, sed postea ad eandem rediisse mentem. Reliqua, quae Maximus hac in caussa egit, quaeque subierit fata, in ejus vita narravi. Sed Paulus,

qui Pyrrho ejecto successit in sede CPolitana, licet in initio, missa Synodica ad Theodorum Papam, ei fidem suam adprobaverit, ut ex litteris Papae responsoriis in *collectionibus* Anastasii a. 643. patet, deinceps tamen Papae factus est suspectus per Maximum, et Ecclesiam Africanam universam, in eum, tanquam haereticum, declamantem, adeo ut acerbiores ad eum miserit litteras a. 646., quae non supersunt: ad quas cum Paulus respondisset, Monothelismum secundum ecthesin exponens, Papa de sententia depositionis in eum ferenda narratur cogitasse, quam enixe petebant Africani. Quare Paulus, ut sibi et suis consuleret, simul gravioribus turbis obicem poneret, composuit τυπον *typum*, ecthesi, pacis ergo, suppressa, quem jussu Constantis, et ejus nomine, publicavit a. 648. Exstat iste *Typus*, seu formula et confessio fidei, cum mandato silentii de una et duabus voluntatibus et operationibus, in *Secretario* IV. concilii Laterani, sub Martino. Ceterum eo in typo controversiae status exponitur, origo dissensionum enarratur, et ab utraque parte praecipitur abstinendum esse a vocibus controversis, et disputationibus. Sed, licet Inperatoris autoritate hoc utilissimum, et aptissimum, pacis remedium esset munitum, caruit tamen, ut passim pacis consiliis evenire solet, optato successu. Displicuit non tantum nonnullis quoque Monothelitis, sed in primis Orthodoxis, qui sese ei acriter opposuerunt, adeo tamen astute, ut ab Inperatore laedendo sibi caverint, et omne virus in Paulum evomuerint. Ipse Martinus Papa Constantem semper honestissime adpellavit, et laudavit, teste epistola ejus ad Constantem, licet typum expresse damnaverit, et Monothelismo succiderit nervos in Synodo Lateranense.

§. LXVI. Decessor ejus Theodorus Paulum quidem *depositionis ultione perculsit*, ut Anastasius loquitur, et ex libello Abbatum ac Monachorum Graecorum, oblato Synodo Lateranensi, manifestum est, sed *typum* non damnavit; quod primus Paparum fecit Martinus, celebri illa Synodo

Lateranensi

Lateranensi, habita a. 629., cui 105 interfuerunt Episcopi, quinque *secretariis*, seu consultationibus et sessionibus, absoluta. *Secretarii* nomen tulit camera, vice exedrae Templo adjuncta, in qua Ecclesiae ministeria recondebantur, et ministri Sacrorum vestes Ecclesiasticas induebant, ubi Synodi saepe sunt celebratae. Accepit haec Synodus magnam autoritatem, ita ut quinque Synodis Oecumenicis fuerit adjuncta in confessionibus fidei novorum Paparum; teste *libro diurno* Pontificum Romanorum. Damnati autem sunt in ea nominatim Monothelitae sub anathemate, et eorum scripta, speciatim *ecthesis*, quae *impiissima* dicitur, et *typus*, qui *scelerati* epitheto insignitur, sed *ecthesis* tanquam Sergii, et *typus* tanquam Pauli, honestissima sub mentione Heraclii, et Constantis. Eventus Synodi fuit aeque Martino ac Monothelitis funestus. Quantopere Papa fuerit a Constante vexatus, in ejus vita narravi; et quam fortem subierit Maximus Abbas in ejus etiam retuli historia. Sed Monothelitae ab eo tempore quoque succubuerunt, donec a Synodo Oecumenica VI. sub Constantino Pogonato penitus fuerint prostrati: ut ex Synodi historia, supra tradita, constat. Cessarunt quoque ab eo tempore motus, donec sec. VIII. per Philippicum Bardanem, Synodi VI. hostem, et Monothelismi patronum, ad breve tempus resuscitati sint, mox enim per Anastasium, successorem ejus, sopiti. Quo seculo etiam floruit Harmasius Alexandrinus, Monothelita: de quo vid. le Quin ad J. Damascenum tom. I. p. 528.

NESTORIANISMUS.

§. LXVII. Nestorianorum Catholicus, seu Patriarcha, in initio seculi fuit *Jesu-jabus*, Gadalensis, qui Gregorio successit a. 629., et sedit annos 29., usque ad a. 647. de quo vid. Asseman. Bibl. Orient. t. II. et III. Missus a Siroe, rege Persarum, ad Heraclium, Imperatorem Romanorum,

honorifica pacis cum Romanis faciendae legatione functus est. Quod vero a Barhebraeo narratur renunciasse eo tempore Nestorianismo, quem postea recepisset, illud ab aliis Nestorianorum scriptoribus factum traditur ab uno sociorum ejus, ut refert Tomas Maragensis, qui subjungit, ab alio ejus socio, scilicet Jesujabo Ninevita, furto inde fuisse ablatam arcam cum sacris Apostolorum reliquiis, et in Jacobi coenobium in Beth-abe, transportatam. Unde studium quoque Nestorianorum in reliquias elucescit. Sed, quod majoris est, hic Patriarcha diploma securitatis narratur a Muhammede inpetravisse; uti Nestoriani scriptores, etiam confirmante Barhebraeo, apud Asseman. Bibl. Or. tom. IV. testantur; qui addunt, simile diploma ipsum ab Omaro Chalipha accepisse, quo inmunitas a tributis concessa est. Prodiit quidem in lucem a Gabriele Sionita, Hinckelmanno, et aliis, pactio Muhammedis cum Christianis, qua pax ipsis est concessa, sed sitne genuina, non constat. Illud tamen ab Elmacino confirmatur, libertatem ac securitatem Christianis a Muhammede fuisse datam.

§. LXVIII. Successit ipsi in Patriarchatu *Maremes*, ex Monacho primus Episcopus Nineves, dein Metropolita Gandisaponensis, denique Patriarcha ab. a. 647. ad 650., sed de quo nil admodum memorabile narratur, nisi, quod parvi est momenti, ipsum sancivisse, ut sacerdotes vestem cingulo constringant. Longe celebrioris est nominis successor ejus *Jesujabus*, Adiabenus, primum Nineves Episcopus, dein Mosulensis Metropolita, tandem Patriarcha ab a. 650. ad a. 660., qui, quod singulare est, ipse se elegit, tanquam dignissimum, cum Catholici electio ipsi esset demandata. Restitit vero Jacobitis, et inpetravit, ne in urbe Mosulensi Ecclesiam aedificarent, judicibus ingente pecuniae summa corruptis; ut ipse narrat in epistola ad Gabrielem, Metropolitam Seleuciae, apud Assemannum l. cit., in qua ingens spirat in Jacobitas odium, et ea de re, tanquam praeclara, differit. Nec minore zelo flagravit in Catholicos, uti patet

ex

ex illis, quae ipse protulit, de Sahadunae, unius sociorum legationis Jesujabi Gadalensis, cujus modo memini, defectione ad Catholicismum. Ex quo Nestorianorum perversa quoque indoles se conspiciendam praebet. Singulare est, ipsum in una epistolarum adfirmare, Latinos, Graecosque, fidei Cyrilli Alexandrini publice renunciasse, ipso quoque nomine ejus e diptychis Ecclesiae eraso, ac ad fidem Nestorianam accessisse. Sed quod ex damnatione Monothelitarum, et duarum in Christo voluntatum adsertione, collegisse videtur. Ceterum, quod laudabilius est, studiis promovendis strenuam navavit operam, teste *Barhebraeo*; quo fini cum *scholam* quoque exstrueret in coenobio Beth-abensi, a Monachis, qui strepitum scholarum ferre recusabant, inpeditus est. Gravior ipsi fuit lis cum Episcopis Persarum, et Catarensium in insula Catara, seu Socatara, qui Catholico Seleuciae, seu Primati et Patriarchae Nestorianorum, negabant subjectionem, dictitantes, se Metropolitam magnum habere, qui Persides dicebatur Catholicus, a Patriarcha independentem. Quibus in ordinem redigendis frustraneam inpendit operam. Epistolae ejus ad Primatem Persarum, quas recenset Assemam, nonnulla continent hic observanda. 1. Christianos non tantum nulla ratione a Saracenis vexari, sed honorari potius, et benevole tractari. 2. De virtute Sacerdotali, ejusque caussa legitima, ordinatione, ac inpositione manuum, magnifice admodum verba fieri: *Fons Christianitatis*, inquit, *est virtus Sacerdotalis*; *virtus autem Sacerdotalis per canonicam et legitimam manus inpositionem traducitur* etc. idem itaque esse, *Christianismum abnegare et a sede Seleuciensi separari*. Unde genius seculi clare elucescit. Denique notari meretur, eum composuisse *officium divinum*, vulgo *breviarium* dictum, ritus sacros complexum, et Ecclesiis, sibi subjectis, praecepisse: Syri adpellant *tomum*, vel *codicem circuli*, praeterea ritus administrandi baptismum, ordinationes, et poenitentiam, cantus, hymnos etc.

§. LXIX. Successor ejus *Georgius*, Metropolita Adiabenus

henus ab ann. 660. ad 680., cujus gesta e Toma Maragense exhibet Asseman. tom. II., nihil nobis praebet memorandum, nisi quod, cum visitandae dioecesios ergo omnia perlustrasset loca, et ingentem pecuniae summam collegisset, in Amirae Saracenorum, quia pecuniam ei prodere recusabat, inciderit odium, adeo ut Christiani male ab ipso sint tractati, et plures Ecclesiae solo aequatae. Misso *Johanne*, Marthae filio, nulla re claro, verbo est adtingendus ultimus seculi Patriarcha *Ananjesus*, a. 685. electus; qui multa est a Johanne Leproso, sedis invasore, passus, schismate inter Nestorianos suscitato, dum alii ipsi, alii invasori adhaerescebant: sed hic brevi periit, et Ananjesus est sedi redditus. Ceterum sub ipso est jejunium virginum apud Syros restitutum, quo tribus post festum Epiphaniae diebus jejunant. De quo, ejusque usu, legendus est Asseman. tom. II., qui etiam statum eorum sub Caliphis enarrat tom. IV.

EUTYCHIANISMUS.

§. LXX. Monophysitarum duo fuerunt Patriarchae, unus Alexandrinus, cui parebant Ecclesiae eorum per AEgyptum, Thebaidem, et Aethiopiam, cujusque jurisdictio ad fines Palaestinae pertingebat, alter Antiochenus, qui in reliquas Orientis partes habebat jurisdictionem. Quorum, et horum et illorum, catalogum ad nostra tempora usque recensuit Asseman. in differt., Chronico Alexandrino subjuncta. *Antiochenorum* Patriarcharum, de quorum electionis et ordinationis ritibus idem agit in diff. de Monophysitis, praemissa tom. II. Bibl. Orient., propria quidem sedes erat Antiochiae, sed, cum per Orthodoxorum vexationes ibi tuto degere non possent, vagari fuerunt coacti per Syriae ac Mesopotamiae urbes, vicos, et monasteria. Primus, quem memoro, Syrorum Jacobitarum Patriarcha est *Petrus Callinicus*, quartus ordine, initio ducto a Severo, cujus successores fuerunt Sergius, Paulus, et hic Petrus, qui seculi adhuc

hac est superioris, mortuus a. 591. Successerat autem in locum Pauli a. 578., dictus *junior*, ut a Petro Cnapheo distinguatur, et *Callinicus* ab urbe Mesopotamiae Callinico, patria ejus. Duabus fuit exagitatus quaestionibus, altera cum Stephano, Probo, et Johanne, altera cum Damiano, Alexandrino Patriarcha, cujus utriusque notitiam dedit Asseman. Bibl. Or. t. II. Priorem, circa incarnationem, produxerat Stephanus, Sophista Alexandrinus, et Probus, ac Johannes, Archimandritae, adoptaverant, sed Synodus Monophysitarum in Gubo, castro Mesopotamiae, ubi Patriarchae Jacobitarum resederunt, condemnavit, quare ad Catholicos defecerunt, multis secum tractis. Sententia vero Petri habebat, remanere in Christo differentiam naturarum post unitionem, sed sine numero et divisione earum: cui sese opposuerunt adversarii, contendentes, eam naturarum distinctionem non remanere, quia sine numero et divisione naturarum ea differentia esse non possit. Altera quaestio, circa Trinitatem, ipsi cum Damiano intercessit, qui in Tritheitarum refutatione eousque deflexit, ut proprietates cum persona confuderit, personam nihil aliud esse tenens, ac proprietatem characteristicam, ita ut tres in Deo personae sint *innascibilitas*, *generatio passiva*, *et processio*. Quae opinio censita fuit veram et realem distinctionem Patris, Filii, et Spiritus S. destruere.

§. LXXI. In principio seculi sedit *Athanasius* I. Camelarius, patria Samosatenus, qui pacem, per modo memoratam quaestionem ruptam, inter Alexandrinos et Antiochenos Jacobitas instauravit. Sub ipso introducti sunt *Maphriani*, seu Primates Orientis, inter Jacobitas, quorum primus fuit Maruthas, ann. 630. ordinatus, et sedes primum Tagut in Mesopotamia, dein monasterium Matthaei. Tenuerunt autem Maphriani primum post Patriarcham locum, dicti quoque Metropolitae, et Primates Orientis, etiam Catholici: significat autem nomen Maphriani eum, qui *foecunditatem* praebet, quia Pater Patrum est, et Episcopus Episcoporum Orientis. Erat denique, sicut unus Patriarcha, unus Ma-

 phrianus

phrianus poſt eum. Vid. Aſſeman. diſſ. de Monophyſitis cit. Sed Patriarchatum ejus maxime illuſtravit, qui hoc tempore floruit, *Tomas* Heracleenſis, ab urbe ejus nominis, unde oriundus fuit, in Palaeſtina, ſic dictus, Epiſcopus vero Monophyſita Germaniciae, in confiniis Ciliciae, Syriae, et Cappadociae, celeberrimus nova verſione Euangelii in linguam Syriacam, quam poſt eam Philoxeni, nova etiam optimorum Codicum Graecorum inſtituta collatione, adornavit, ann. *616.*, adeoque 100 annis poſt Philoxenum. Reliquos etiam Novi Teſt. libros ab eo fuiſſe verſos, tradit Barhebraeus apud Aſſeman. Bibl. Or. t. II. Eſt autem celebris haec verſio Heracleenſis, Syris, in primis Jacobitis, qui in divinis officiis ea utuntur, magno in pretio. Compoſuit praeterea *anaphoram*, ſeu Liturgiam, in qua, quod notandum, conſecratoria Chriſti verba, in euchariſtiae conſecratione, deſiderantur, vitio vel fraude amanuenſium, ex opinione Aſſemanni, ſed verius, quod non Chriſti verbis, ſed invocatione Spiritus S., uſi fuerint Syri in conſecratione.

§. LXXII. *Severo* ſedem tenente, per annos 12., uſque ad a. 680., gravis inter Ipſum et Meſopotamiae Epiſcopos orta eſt contentio, de Epiſcoporum ordinatione, quam Severus ad Patriarcham, ſed illi ad Metropolitam, pertinere urſerunt, adeo ut Patriarcha illos, illi rurſus eum, anathemate percuſſerint. Quod ad Severi obitum duravit. *Athanaſius* II., ſucceſſor ejus, ideo memorandus eſt, quod ſub ipſo floruerit *Jacobus Edeſſenus*, primum Monachus, dein Epiſcopus Edeſſenus a. 651., ſed poſtea rurſus Monachus, cum canones negligi Eccleſiaſticos ferre non poſſet. Fuiſſe autem eum Jacobitam, ex ejus hiſtoria manifeſtum eſt, Aſſeman. Bibl. Or. t. I. ejus orthodoxiam quidem defendit, ſed poſtea tamen tom. II. errorem ſuum correxit. Adpellatur eximie *Commentator librorum*, cum, quod canonicos Script. S. libros commentariis illuſtraverit, tum, plurima Catholicorum et Haereticorum ſcripta ex Graeco fecerit Syriaca,

dedit: quare ejus esse videntur Patrum opera, quae apud Syros exstant. Operam quoque Syriacae linguae puritati suae restituendae dedit, adeo ut purior illa lingua ab ipso appellata sit *Edessena*. De ipso et scriptis ejus fusius disserit Asseman. t. II. Inter quae animadversionem meretur ejus epist. ad Thomam Presbyterum, qua liturgiam Syrorum ad sua usque tempora describit, quam integram exhibet Asseman.: ubi notatu dignum est, 1. rationem, quare fores, tempore eucharistiae celebrationis, claudantur, hanc tantum dari, ne Gentilibus ad eam pateat aditus, nulla disciplinae arcani facta mentione. 2. Sacrificium corporis et sanguinis Christi Deo dici offerri in *propitiationem animarum fidelium, et esse tremendum ac incruentum sacrificium*, 3. Cruces fieri super corpus Christi *novem*, super sanguinem Christi quoque *novem*, ut et super calicem *novem*, ac populum *novem*. 4. Consecrationem fieri per precationem *illapsus Spiritus S.* Superest quoque in Bibl. M. P. tom. XII. descriptio ordinis precum et rituum, in baptismi et eucharistiae celebratione, quae alicui Severo Patriarchae Alexandrino adscribitur, hujus vel sequentis seculi, quae multa continet notabilia, et cum epistola Jacobi Edesseni conferri meretur, ad Jacobitarum liturgiam cognoscendam. Ultimus hujus seculi Patriarcha *Julianus* nulla re fuit clarus, nisi contentione inter ipsum et Denham Maphrianum, aliosque, de jurisdictione: quale schisma quoque sub Severo fuerat.

§. LXXIII. Patriarcharum *Alexandrinorum* sectae Jacobiticae catalogus exstat in Chronico Alexandrino, primum ab Echellensi, dein Assemanno, edito, inter scriptores Byzantinos, cui Assemannus catalogum eorum pleniorem ad nostra usque tempora, in peculiari dissertatione, addidit. Cum pauci fuerint, qui nostram merentur adtentionem, unius alteriusve mentione contentus ero. In initiis seculi sedit *Damianus*, unde Damianitae orti sunt, de quibus vid. Timotheus de *receptione haereticorum* apud Coteler. Monum. Gr. t. III. De lite ejus cum Petro Antiocheno modo exposui.

Benjaminus, qui ab ann. 622. ad 660. praefuit, celebris est, quod per annos tredecim fuerit sede profugus, decem sub Heraclio, quibus Persae AEgyptum tenuerunt et Alexandriam, tres sub Muhammedanis ab a. 638. ad 640., quando libellum securitatis accepit a Saracenis. Est autem is primus, qui Patriarchalem Dioscorianae sectae dignitatem adseruit regio Arabum diplomate. Ultimus seculi est *Simon*, ideo memorabilis, quod ad eum Legatus Indorum venerit, rogans, ut Indis daret Episcopos et Presbyteros: quod cum sine Regis AEgypti jussu facere recusaret, Legatus ab alio id inpetravit: cujus rei causa Christianis multa contigerunt incommoda, ut refert Chronicon Orientale.

MARONITAE.

§. LXXIV. *Maronitarum* nomine, in fine seculi audiri coepto, Libaniotae Christiani, Latinae Ecclesiae addicti, censentur insigniti per Johannem Maronem, primum eorum Patriarcham, qui Monachus fuerat celeberrimi monasterii S. Maronis ad Orontem, inter Apameam et Emesam, et inde nomen traxerat. De quo S. Marone agit Theodoret. hist. religios. c. 16., vel quisquis istius libri autor est. Traditur autem Johannes Maro, ope Latinorum, factus Episcopus Botrensis a. 686. in Phoenicia, eo scopo, ut Libaniotas in fide Romana tueretur. Quod etiam strenue ac ingente cum successu praestitit, Monophysitis, Monothelitis, aliisque, sive servis sive indigenis, magno numero ad Ecclesiae Romanae obsequium adductis, adeo ut adseclae ejus non Libani juga tantum repleverint, sed et Hierosolymam usque, et per Armeniae provincias, sese longe lateque diffuderint. Praefecit vero iis non solum Episcopos, sed autor fuit, ut praefecti militiae et tribuni crearentur: qui populum suae factionis ab hostium infestationibus defendant, quorum tanta fuit virtus, ut Persis et Saracenis ipsis, fuerint terrori. Censetur quoque Johan-

nes,

nos, ut majore polleret autoritate, a suae factionis viris constitutus Patriarcha Antiochenus, non Graecorum, sed suorum, seu Maronitarum, quorum ingens erat ubique copia. Exortum inde mox bellum est non tantum cum Saracenis, sed et ipsis Graecis, qui Maronitas, eo quod Duces elegerint, et proprio inpulsu arma contra Saracenos ceperint, pro rebellibus habebant, odioso etiam *Mardaitarum*, seu rebellium, nomine inposito. Initium fecerunt Graeci a destructione monasterii S. Maronis. Sed se contra eos, et Saracenos, strenue defenderunt, et inperium in monte Libani firmarunt. Vid., praeter alios, inprimis Assemann. Bibl. Or. tom. I., et de la Roque in *itiner. Syriae et montis Libani*, tom. II., ubi, ex Nairono inprimis, nonnullis de suo additis, late probat, eos non fuisse haereticos, aut Monothelitas, et eorum pertexit historiam. Quae si vera sint, et Johannes Maro, unde Naironus et alii sapiunt, non sit fictitius scriptor, quod contendit la Croze in thesauro epistolarum tom. III., facile elucescit, quid Melchitarum et Mardaitarum, seu Maronitarum, nomina, quae hoc tempore in vulgus emanarunt, sibi velint. Licet vulgo putetur, Melchitas fuisse, qui Inperatoris sectabantur religionem, et Maronitas Monothelitas, nomina illa hoc tempore non ad religionem, sed factionem civilem, spectarunt, et Melchitae dicti sunt, qui Inperatoris Graecorum partes tuebantur, Mardaitae vero, qui tanquam rebelles traducebantur, quo odioso nomine mox abjecto, Libaniotae sese Maronitarum nomine insigniverunt, a Marone, ut putatur, cui coenobium juxta Apameam erat dicatum, et unde primus eorum Patriarcha Johannes Maro nomen traxerat. Progressu vero temporis, cum Maronitae in societatem, ritu, pastoribus, et religione, diversam coaluerunt, religionis quoque discrimen in censum venit, et Melchitae dicti sunt Syri, et AEgyptii, qui Graecos ritus secuti sunt, Maronitae vero Ecclesiae Latinae manserunt addicti, et ejus fidei studiosi, sicut et adhuc sunt: non itaque Monothelitae, ut a

Nairono pluribus est demonstratum, et aliis, modo citatis.

PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. LXXV. Incrementum Ecclesiae, praeterquam quod minus purum, et Euangelicum, fuit, non tantum non fuit insigne et magnum, sed decrementum longe majus per Muhammedanismi ortum, et incredibilem progressum. De quo distincte erit disserendum, postquam verbo monuero, coepisse hic illic Christianismum hujus temporis, minus euangelice, per vim promoveri. Sic ex. gr. Dagoberdus jussit, ut omnes subditi sui baptizarentur, ut refert Fridegar. l. VI., et S. Amandus, teste vitae ejus autore, de quo postea, ab eo legem inpetravit, qua omnes coacti sunt suscipere baptismum. Concilium Toletanum IV. can. 55. praecepit quidem, *nemini deinceps ad credendum vim esse inferendam*, cum fides voluntaria esse debeat, attamen vult, ut, qui fidem vi vel necessitate susceperant, eam tenere vel inviti cogantur. Respicitur ad eos, qui tempore Sisebuti ad Christianam religionem coacti sunt, ut in ipso illo canone traditur. Propagatus est Christianismus inter Anglo-Saxones, hoc seculo fere omnes conversos, seseque porrigere coepit ad Frisios, Batavos, aliosque Germaniae populos. Post Cantios, seculo superiore, ut narravi, conversos, proximi Christianismum susceperunt *Orientales Saxones*, quorum Metropolis est Londinum, fidem adnunciante Mellito, et Rege Sabereto baptizato, ope Ethelbereti, Regis Cantiorum, a. 604. Sed, Sabereto mortuo, redierunt mox cum ipsis Cantiis ad Gentilismum a. 613. ita ut Mellitus, Episcopus Londoniensis, et Justus, Episcopus Rhofensis, in Galliam secesserint. Sed Sexredo et Siwarto, Saberti successoribus, in praelio cum Kinigiseldo, Occidentalium Saxonum Rege, occisis, et Sigiberto Parvo, Siwarti filio, succedente a. 623. Christianismus ibi est restitutus, ut Malmesburien-

buriensis tradit, et ab ejus successore Sigeberto Bono confirmatus, ope Oswii Nordhumbrorum a. 655., teste Beda. Deinceps Sigherus, cum ejus regio pestilentia adfligeretur, a fide rursus cum suis descivit a. 665., sed in viam reductus est a Jarumano, quarto Lichfeldiae Episcopo. Sebbus vero, alter eorum Rex, a religione et pietate celebris, tanquam Sanctus colitur in Martyrologio Anglicano, mortuus a. 694.

§. LXXVI. *Westsaxonum* conversio contigit regnante Cynigiso, a. 635., praeconem agente Birino Episcopo, consilio Honorii Papae, cui etiam donata est civitas Doruc, hodie Dorcestria, ubi Episcopus fuit. *Angli Orientales* ad Christianismum adducti sunt regnante Carpualdo, ope Edwini, Nordhumbrorum Regis, a. 627., et magis confirmati sunt sub fratre et susceſſore ejus Sigberto, a 630., euangelium cum successu adnunciante Felice, ab Honorio Archiepiscopo Cantuariensi misso, sede Episcopali fixa in Dumnoc, Provinciae Suffolciae. Academiam quidem Cantabrigiensem, ut fertur, non fundavit, sed Scholam ad exemplum Gallorum erudiendis pueris tantum instituit: sunt enim Academiae longe recentiores. Denique, regnante Anna, successore ejus, Furseus et Felix opus religionis strenue promoverunt. *Angli Aquilonarii*, seu Nordhumbri, ad aquilonarem Humbri fluvii plagam habitantes, fidem Christianam adoptarunt sub Edwino Rege a. 627., euangelium adnunciante Paulino, qui Eboracensis factus est Archiepiscopus, cujus tamen successores tantum fuerunt Episcopi, Eboraco Episcopis Lindisfarnensibus subjecto, usque ad Egbertum a. 735., qui primus denuo, post Paulinum, Archiepiscopi dignitatem nactus est. Deinceps, sicut Regnum, post insignem calamitatem, ab Eadwalla, Britonum rege, illatam, floruit sub Osualdo, Eduini ex sorore nepote, a. 634., ita religio Christiana vires acquisivit per Aidanum Episcopum, e Scotia vocatum. Meruit autem Rex, in praelio cum Merciis occisus, inter sanctos referri, a. 642., multisque miraculis post mortem, ut a Beda l. III. narratur, famosus.

 Successor

Successor quoque ejus Oswius religioni propagandae inpendit operam, mortuus a. 670. Quo tempore Ecclesia Anglicana floruisse dicitur, quia plures habebat religionis studiosos, seu devotos, Reges.

§. LXXVII. *Mercii*, seu Angli mediterranei, sub Peada, Pendae, primi eorum Regis, cum antea fuissent a Ducibus recti, filio, Christianismo nomen dederunt ope Oswii, a. 653., et in eo per Wlferum, fratrem Peadae, et successorem, confirmati. Tantum enim abest, quod nonnulli tradunt, ut Christianismo renunciasset, ut insignis ejus fuerit promotor. Qualem etiam se praestitit, cum Saxones Orientales, rege Sighero, a fide defecerint, quippe quos, misso ad eos Jarumano, quarto Lichfeldiae Episcopo, ad eam revocavit a. 665. Tandem *Australes Saxones* ultimi sunt, qui sese Christianismo submiserunt. Rex quidem ipsorum Edilvalch, post cladem a Merciis acceptam, baptizatus est, ope Wlferi, Merciorum regis, et loco filii ab ipso susceptus a. 661., ut autor Chronici Saxonici Westmonasteriensis, et alii tradunt autores, sed gentis conversio demum peracta est, quum Wilfridus, rege laetante, eo venit a. 681., ut Beda refert.

§. LXXVIII. Sparsa quoque sunt semina Christianae religionis inter Suevos, seu Alemannos, et Helvetios, per Columbanum et Gallum a. 612., de quibus sugra egi, et inter Franconios, seu Francos Orientales, ac Bojoarios, per Emeramnum, Rudbertum, ac Kilianum, diversis vicibus. Emeramnus euangelium inter Bojoarios adnunciavit, sub Theodone I., eorum Duce, a. 680. mortuo, quem etiam convertit. Exstat vita Emeramni, sec. X. scripta, in Ant. Lect. Canisii tom. III., ubi, quod singulare est, narratur, ipsum, filia Ducis ab aliquo stuprata, se pro stupratore, in veri locum, finxisse, et propterea a fratre stupratae fuisse violenter caesum: idque pro martyrio habitum. Postea sub finem sec. sub Theodone II., cum Rex Francorum esset Childebertus, non, ut putatur II., sed III., qui regnare

coepit

coepit a. 695., Christianismum majore cum successu inter eos populos docuit Rudbertus, propterea Franconum et Bojoariorum Apostolus dictus et celebratus, Episcopus Juvaviae, seu Salisburgensis, mortuus a. 718. Denique Franconiorum conversioni operam dedit Kilianus, Hiberniae Monachus. Qui, a Papa Conone potestate praedicandi ornatus, et Episcopus ordinatus, a. 686. in Franciam Orientalem ad urbem Herbipolin, seu Wirtzburg, venit cum sociis, et euangelium disseminavit, non sine fructu, cum ipse Dux Gozbertus Christianismo nomen dederit: sed cum postea eum de illicito suo conjugio cum Geilana, uxore fratris, admonuisset, ejus ope, absente Duce, interfectus est, a. 689. Vita ejus, sed interpolata, exstat in Antiq. Lect. Canisii; sed alia brevior, et melioris notae, etiam apud Mabillon. sec. II. Benedictin. Plura de euangelii propagatione per illas, et alias, oras ad sec. seq.

MUHAMMEDANISMUS.

§. LXXIX. Hoc quidem aliquale fuit Ecclesiae incrementum, sed minus purum, una cum superstitionis propagatione non tantum, sed et Papalis auctoritatis, conjunctum, cum praecones euangelii a Romana Ecclesia ordinationem ac potestatem inpetrarint, et novos Christianos sedi Romanae subjecerint. Praeterea longe majus detrimentum passa est Ecclesia per Muhammedanismum, hoc sec. exortum, et longe lateque propagatum. Cujus historia nimis est notabilis, quam ut perfunctorie tractetur. Agam itaque paullo adcuratius et fusius de Muhammede, religione, origine, ac fatis Muhammedanismi, postquam de nominibus, quibus veniunt ejus adseclae, aliquid praemisero. Inter ea cum emineant *Moslemanorum*, et *Saracenorum*, ac *Agarenorum*, eorum aliqua est danda notitia. Primum idem denotat ac מומנין/ quod etiam eorum nomen est, h. e. *credentes:* est vero part. act. plur. conj. IV. radicis סלם/ in IVta conj.

אסלם / cujus part. eft מסלם. Dicit autem radix *integer* dein *falvus*, *incolumis*, fuit, et in IV. conj. *integrum* fe Deo tradidit, *credidit*, fiduciam in Deo collocavit. Originem repetiit ab ipfo Muhammede. Sic Sur. VI. de Beftiis verf. 14. dicit, *certe ego juffus fum ut fim primus*, *qui Eflamiticam religionem fufcipiam*. Secundum nomen *Saracenorum* ab Arabibus Ifmaëlitis, quibus proprie competit, tranflatum eft ad Muhammedanos, ad illos pertinentes. Cujus nominis variae dantur derivationes: a. Syr. סרק *vacuum*, *inane*, *eft*, repetit Fuller. Mifc. l. III. c. 12. Sed paffim, poft Scaligerum ad Chron. Eufebii, et Amama Antib. Bibl., ab Arab. סרק *furatus eft*, ut homines defignet λῃςευειν *latrones*, cum fit antiquum nomen, et Arabum haec fuerit indoles. Vid. Ammian. Marcell. l. XIV. c. 4., cujus, praeter Ptolemaeum, jam meminit Onkelos ad Gen. XXXVII. Attamen cum nomen fit contumeliofum, nec latrocinari, verum *furari* proprie fignificet, malunt alii derivare a שרק / quod *Orientem* fignat, ut idem fit ac בניקדם *filii Orientis:* ita Pocock. de Orig. et Mor. Arabum p. 34. Sed a *Saraca*, Arabibus *farachafe*, Arabiae regione, repetit Affeman. Bibl. Orient. vol. IV. p. 567. et Abraham Ecchellenfis, in hift. Arabum cap. 5. Tertium denique *Agarenorum*, אלמגרין *Elmagarin*, non ab Hagare, Ifmaelis matre, fed ab exilio et *fuga* Muhammedis ob religionem, unde epocha eorum, *Hegira* dicta, orta eft, originem habet.

MUHAMMEDES.

§. LXXX. De Muhammede tam diverfae proftant narrationes, ut vix fciat quis, ubi in nonnullis pedem figat. Chriftiani enim omnia vilia, pudenda, et peffima de ipfo referunt, Muhammedani vero omnia praeclara et magnifica, faepe etiam fabulofa. Ex Orientalibus ejus vitam omnium optime confcripfit Ifmael Abulfeda, anno Hegirae 712. aer. Chrift. 1312., ipfo tefte, qui principatum obtinuit in urbe Syriae Hamah, a. Hegirae 710., cujus liber editus eft a Gagnier

nier Oxon. a. 1723. Quocum etiam conferri meretur Gabriel Sionita de *urbibus et moribus* Oriental. c. 8. Quae mihi videntur veriora, vel probabilia, ordine exponam. Nomen ejus eſt *Muhammed* ab Arab. חמד in conj. ſecunda חמד *valde celebravit*, cujus part. paſſ. eſt מחמד *Mochammadon*, valde *celebratus*, etiam *deſideratus*, Hebraeis איש חמדות Dan. X: 11. Graecis ἱμέριος, Latinis *Deſiderius*. Adpellatur quoque alio, ſed adfini, nomine, ejuſdem ſignificatus, *Achmed*. Volunt vero Muhammedani, nomen hoc ipſi eſſe cum Deo commune, et a Chriſto ipſo praenunciatum Joh. XIV. 16., ubi alium promittit παράκλητον *Paracletum:* uti ſur. LXI., quae *ordo* inſcribitur, adfirmatur. Forte non eſt inprobabile, quod Maraccio ad Alcor. l. c. jam in mentem venit, Graeculum dixiſſe aliquem, legi eo in loco περίκλυτον *valde inclytum* et *celebrem*, quod a nomine Achmed propius abeſt. Sed duo exſtant in Alcorano cognomina, verbo adtingenda. Surat. LXXIV., cui titulus *coopertus*, adpellatur v. 1. *Aldotziro*, quae vox *coopertum* dicit, involutum veſtibus ſuperioribus, et Sur. VII. *Alaraph* dicta, *Almaſmilo* אלמזמל ejuſdem ſignificatus. Duas hujus epitheti dant Muhammedani rationes, ut Maraccius ad Alcor. l. c., et Gagnier ad Abulfedam c 8., obſervarunt, unam, quod Muhammed per viſionem tremebundus dixerit uxori, *cooperite me*; alteram, quod, verba ingrata a Koreiſchitis audiens, ſeſe prae triſtitia veſte cooperuerit, Chriſtiani vero ad morbum ejus epilepticum referunt, de quo vid. Hottingeri hiſt. orient. l. I. c. 2., quo correptus, ne detegeretur, ſe veſtibus tegi voluiſſet. Quae omnia, nullo nixa fundamento, merito repudiantur. Mihi duo ſub manus venerunt, quae majorem merentur adtentionem. 1. Sur. VII. refertur, adparuiſſe Adamo, poſt lapſum, *pudenda*, Deum miſiſſe amictum, eoque juſſiſſe ipſum amicire, et pudenda tegi, maxime prope omne oratorium, quia Meccani gentiles delubrum circuibant *nudati*. Vid. Hottinger. l. c. I. et Abulfeda vit. Muhamm. cap. 58.

Quibus nudatis ut se opponeret Muhammed, contrarium dedit praeceptum, seseque inde vocavit *coopertum*, cum praeterea in eadem Surat. v. 27. addatur, ad illum Adami vestitum adludendo, *amictum pietatis* esse meliorem, inde nomen *cooperti* trahere potuit, ad pietatem ejus celebrandam. Sed 2. probabile mihi fit, ad Prophetarum V. T. habitum respici, quo *pallio* induti procedebant, adeo ut titulus *cooperti* indigitet Prophetam: unde sur. LXXII. est, *cooperte surge et praedica;* vel specialius Eliam in oculis habuit, qui, in spelunca stans, cum Deum in lenissima aura praesentem comperisset, sese *pallio* legitur obtexisse. 1. Reg. XIX. Ad cujus imitationem, cum et ipse in spelunca soleret sese abdere, Deum sibi praesentem imaginatus sese cooperuit. Addi potest Bileami titulus, quo se *apertum oculis* insignivit. Videtur itaque titulus alterum Eliam, vel prophetam, designasse.

§. LXXXI. Urbs natalis ejus fuit *Mecca*, etiam Becca adpellata, in Arabia Felice, secundum alios Geographos, sed in *Deserta*, secundum Arabes, ut Gabriel Sionita in adpendice Geographi Nubiensis adnotat, sita, in loco arido et siticuloso, ubi praeter balsamum nihil fere traditur nasci, porro in valle lapidosa, cujus incolae fuerunt Koreischitae, de quibus postea. Urbs praeterea sacra fuit, et venerabilis propter Templum, et dein ob Muhammedem ibi natum. Quod ad *parentes* ejus adtinet, convenit inter omnes, Patrem dictum fuisse Abdallam, matrem Eminam, avum paternum Abdolmottaleb. etc. Repetunt vero Arabes genus ejus, continua serie, ab Adamo et Abrahamo per Ismaelem, Vid. Hottinger. l. c. l. I. c. 3. Verius est, quod eum ex nobilissima natum esse familia adserunt Arabes. Vid. Beidavi ad Surat. III apud Hottinger. ibid. c. 4. Erat utique Koreischitarum tribus, ad quam pertinebat, celeberrima. Falsum itaque est, quod Graeci et alii ejus originem ex ignobili stirpe repetant: ipse Theophanes ad ann. Heraclii 22dum nobilitatem familiae ejus agnovit. Illud tamen

men verum est, fatentibus etiam Arabibus, ipsum fuisse in paupertate constitutum. De *tempore* nativitatis etsi inter historicos non convenit, cum tamen Hegira, seu fuga Muhammedis, in annum seculi 22*dum* incidat, ipseque tunc habuerit annos 53., (tredecim enim annos ante Hegiram auspicatus est munus, annos 40. natus, ut mox patebit) nativitas ejus oportet cadat in sec. VI. annum 69., vel 70. Cui annus 882. aerae Alexandrinae, cui nativitatem ejus adligat Elmacinus, convenit: addit enim illa aera annos 311 aerae Christianae. Multi quoque Arabes inter Christi et Muhammedis nativitatem annos tradunt intercessisse 570. Miracula, quae nativitatem ejus narrantur ab Arabibus comitata, ut ex. g. quod mater sine dolore ipsum pepererit, ipseque circumcisus fuerit natus, ad exemplum Adami, et aliorum, ut Talmudistarum habent figmenta, de quo vid. Gagnier ad Abulfed c. I., et Pocock specimen. historiae Arabum p. 319., tanquam nullius pretii, et autoritatis, missa facio, et ad educationem ac vitam ejus ante annum 40*mum* aetatis, quo prophetam agere coepit, pergo.

§. LXXXII. Patre ejus, ut Elmacinus refert, duobus mensibus ante nativitatem defuncto, et matre, cum sex esset annorum, avo quoque, cui traditus erat educandus, Abdulmutaleb, annos 2 post, educationi ejus curam inpendit patruus ejus Abutaleb. Quae vero ipsi ab eo tempore acciderunt, ob multas admixtas fabulas, incertiora sunt. Illud in genere constat, eum Chadigae, vel Chadizjae, opulentissimae alicui viduae, fuisse traditum, ut ei in mercatura inserviret. Quod tanta fecit dexteritate, ut ejus animum sibi devinxerit, ipsaque ei nupserit. Praeter quam tredecim alias habuit uxores, seu secundum nonnullos sedecim, aut viginti, licet non omnes simul. Quatuor licebat simul habere ex lege Muhamm. Sur. IV: 3. Vid. et Abulfeda cap. 68., nisi Muhammedem quis velit ab ea lege fuisse liberum. Occasione mercaturae, per AEgyptum, Palaestinam, etiam Syriam, teste Abulfeda c. 4., ubi vid. Gagnier, in

in commercium cum Judaeis et Christianis incidit, in primis duobus Monachis, Johanne Antiocheno, et Sergio Ariano, vel potius Nestoriano, qui Arabibus Boheira adpellatur, ut ex eodem ibid. constat. Traditur porro, ipsum litterarum rudem fuisse, quippe mercaturae unice deditum, et inter Arabes rudes natum, vid. Abulfeda l. cit. Ipse quoque Muhammed se *idiotam* adpellat, Surat. VII., quo titulo et Arabes notantur Sur. LXII. Sed educatus est in religione Koreischitarum; quae quidem purior erat inter Arabes secta, nec tamen ab Idololatria libera: unius enim Dei cultui adjunxerunt multos alios, licet eo inferiores. De quo consulendus est Pocock. l. cit. p. 95. et Hottinger. hist. Orient. I: 7. Ipsum quoque Muhammedem a veri Dei religione alieniorem, et idololatram fuisse, antequam propheticum praetulit munus, ex ipso patet Alcorano. Sic Sur. XLII. Deus ipsi dicit, *ita revelavimus tibi spiritum ex mandato nostro, non noveras, quid esset liber, neque quid fides*, et Sur. LXXIV., *abominationem relinque*, ipsi inquit Deus, Sur. XCIII. *invenit te Deus errantem, et direxit*, denique Sur. XCIV., *deposuimus a te pondus*, ait Deus, *tuum, quod adgravaverat dorsum tuum*; scilicet peccatorum et idololatriae.

§. LXXXIII. Sed quid de morbo epileptico, quo Muhammed passim creditur laborasse, judicandum est? Eum ab ineunte aetate eo corripi fuisse solitum, testantur scriptores Graeci, Zonaras, Cedrenus, Euthym. etiam Zigabenus, et alii. Sed silent Arabes Christiani, ut Abulfaragius et Elmacinus: famae illud acceptum refertur in summula brevi contra Saracenorum haereses, a Petro Abbate Cluniacense prolata, quae editioni Alcorani Bibliandri est praemissa, ubi habetur: *Muhammedem fuisse correptitium et cadentem, ut fertur a multis.* Arabes vero nullam non tantum ejus fecerunt mentionem, sed et nusquam refutarunt, aut in meliorem partem interpretati sunt, ut facturi videntur, si aliquid veri subesset, aut talis de ipso fuisset tunc sparsa

fama.

fama. Christianorum testimonium rei firmandae non sufficit, quia nihil non absurdi de Muhammede referre solent, et tale quid ipsi inputandi occasionem adripere potuerunt ex visionibus ejus praetensis; ut rationem motuum corporis, qui ecstasi ejus adscribebantur, redderent, ab epilepsia petitam. Utique Paulus Aquilejens. in hist. Miscella l. XVIII. refert, Muhammedem ipsum ea ratione suam epilepsin excusasse apud uxorem: vid. etiam Theophanes ad a. 622. ne alios, ut Cedrenum in *compend. hist.*, memorem. Potuit quoque ansam praebuisse, non tam *cooperti* cognomen, de quo modo dixi, quam 1. quod Abulfeda l. cit. c. 4. refert de Muhammede, eum, quatuor annos natum, humi fuisse prostratum, ventre scisso, et maritum Halimae nutricis ejus dixisse, *multum vereor, ne puer iste inter populares suos morbum hypocondriacum, vel comicum, contraxerit*, 2. quod Bartholomaeus Edessenus Monachus, sec VIII. in *confutatione Saracenorum*, apud Moine in Var. Sacr. t. I. narrat, Muhammedanos solere inter orandum manibus plaudere, inverecundo boatu aera ferire, capite in terram prono, et clausis oculis, tam diu saltare, ut in terram ruant, dentibus stridentes, et ore spumantes, idque, ut ipsi dicunt, facere ad exemplum Muhammedis. Vid. simile quid apud Euthym. Zigaben. et Septemcastrensem de moribus Turcarum cap. 20. in editione Alcorani Bibliandri, nec non Saracenica Sylburgii p. 85. Quod ad virtutes et mores Muhammedis adtinet, Christiani et Arabes hic rursus secum diffidunt. Justitiam, misericordiam, modestiam, facilitatem, aliasque virtutes in ipso eluxisse, tradit Abulfeda, et confirmat quoque Elmacinus in hist. Saracen. Christiani vero reliqui omnia contraria de Ipso referunt. Illud ab altera parte constat, ipsum sese in animos hominum mirabili modo scivisse insinuare, ab altera vero, fuisse libidinosum, et adulterum, ut ex Sur. XXXIII: 47. colligi quoque potest, et Sur. LXVI: Cum fidei sociis non plures, quam quatuor, concesserit uxores, sibi, quot voluerit sumere, licitum dixit.

 §. LXXXIV.

§. LXXXIV. De vita ejus prophetica, gestisque, dicturus, ubi de ortu et progressu Muhammedanismi agam, hic notasse contentus ero, ipsum anno aetatis 40*mo* prophetam, et legatum Dei, ut praetendit, constitutum esse, et cum Angelo Gabriele habuisse commercium, per quem Arabes Spiritum S. intelligunt. Vid. Gagnier ad Abulfed. c. 7. Sic et Sur. II: 87. Spiritum sanctitatis exponit Gelal de Gabriele. Cum autem solitudines et secessus amaret, et in spelunca montis Hara, qui 3 millia passuum a Mecca distat, singulis annis mensem tereret, accidit, ut anno aetatis 40. Gabriel ipsum, praesentibus aliquot familiaribus, nomine Dei, ejus proclamaverit Legatum, ipsique tradiderit Alcoranum: ut refert Abulfeda c. 7., quando sese post tres annos talem publice manifestavit, eodem ibid. c. 8. narrante. Anno vero 12*mo* muneris prophetici, cum annos 52 haberet, in supremum traditur translatus coelum, uti Sur. XVII., quae propterea *iter nocturnum* inscribitur, innuitur, sed ab Abulfeda c. 18., fusius narratur, qui controverti addit, factumne in *corpore* fuerit, an *visione*: quod ex 1 Cor. XII. videtur effictum. Muhammed hoc iter non malitiose, tanquam inpostor proprie dictus, effinxit, ut probabile est, sed, somnio delusus, se in visione nocturna eo fuisse delatum, credidit, tanquam fanaticus et enthusiasta; sicut uxor ejus Aiesha, apud Abulfedam, testata est. Quales fanatici inter ipsos Christianos fuerunt multi. Vixit autem, secundum vulgatiorem opinionem, annos 63., qui annorum numerus sese facile prodit, cum 40 annos natus propheta sit factus, Meccae praedicaverit annos 13., et Medinae moratus sit post Hegiram annos 10.: ut ex Abulfeda c. 64. constat. Correptus vero cephalalgia, seu capitis dolore, cum febri acuta, ita ut deliraverit, brevi mortuus est. Cujus rei fama cum diversos suscitaret motus, aliis negantibus mortuum eum esse, quia legatus Dei erat, aliis adfirmantibus, Abubeker litem fertur decidisse, dicendo, *si quis colat Muhammedem, certe mortuus est, si quis colat Deum Muhammedis,*

utique

uique ille vivit. Vid. Pocock. l. cit. p. 178. Sic Sur. XXXIX: 39. ipsi dicitur, *profecto tu moriturus es.* Corpus compositum, et *tribus vestibus* involutum, sepultum est sub lecto, in quo defunctus est, ut refert Abulfeda c. 63., secundum dictum Muhammedis, sepeliri solitos prophetas eodem, quo morerentur, loco. Pocock. e. cit. Parentati denique ipsi sunt, pro ipso precando: quod supremum erat officium, teste Abulf. ibid, sicut ipsi fuerat promissum Sur. XXXIII: 53.

MUHAMMEDANISMUS.

§. LXXXV. *Principium* religionis Muhammedanae, ut inde ordiar, duplex est, unum primarium, alterum secundarium, illud Alcoranus, hoc Suna, vel Mischna, lex non scripta. Cujus utriusque exactior danda est notitia. Prioris nomen est *Alcorano*; voce composita ex art. *al*, qui Hebr. ה emphatico respondet, et *korano*, seu koranon, a rad. *karaa*, quae et *legere*, *et colligere* denotat: cujus prioris respectu dicit *lecturam*, *legendum*, cui concinit Hebr. מקרא, qua voce Judaei *Scripturam* adpellant; posterioris ratione habita, exprimit *collectionem*, quia vel ex variis *Suratis*, seu capitibus, est quid compositum, vel ex variis schedulis Muhammedis, in unum corpus ordine collectis, librum composuit Abubeker; ut mox referam. Sed prior ratio videtur verior, quia singulae Suratae hoc nomine veniunt, et Abubeker collectionem non eo insignivit nomine, sed *Muskafi;* ut tradit Elmacinus in Abubecro, quae vox *librum* dicit, et codicem, a rad. *scripta collegit.* Sed adpellatur quoque *Alphorcan*, quod nomen quoque legi Mosis tribuitur in Alcorano Sur. XXII: 49., et *sectiones legendas* denotat; uti apud Judaeos פרק et פירקא *pórka.* Quae etiam est Erpenii in Gramm. p. 175. cogitatio. *Materia* libri non est quid simplex et continuatum, sed farrago variarum rerum, non cohaerentium: continet vero *historica*, *didactica*, *et elenctica.* Historiae, in eo occurrentes, ex libris nos-

tris Vet. ac Nov. Teſt. praecipue ſunt deſumtae, ſed admixtis fabulis. De Adamo ex. gr. multa leguntur Sur. XVII. et de Caino ac Henocho, quem *Edriſum* vocat, h. e. doctum, litteratum, et diſputatorem ſagacem, quae vocis Arab. poteſtas eſt, ad Judaeorum imitationem, qui Henochum מיטטרון *metatorem*, ſeu *ſcribam*, magnum adpellant, uti Paraphr. Chald. ad Gen. V: 24. habet. De Hebero etiam agitur, qui *Hudus* nuncupatur, quia pater erat Hebraeorum, qui Judaei vocantur, ut et de reliquis Patriarchis et Prophetis, multa quoque de Chriſto et Maria narrantur. In ſpecie de *vacca rufa* ex Num. XVI. diſſeritur Sur. II., inde *Vacca* dicta. Denique nec profanae deſunt hiſtoriae, ut de fuga Muhammedis Sur. IX., de bello Bedarenſi ab eo geſto Sur. VIII., prima Judaeorum diſperſione in Syriam Sur. LIX. etc. De *didacticis*, in hoc libro ubique obviis, cum fidem et religionem Muhamm. deſcribat Alcoranus, poſtea ſuo loco agam. *Elenctica* ſpectant ad Koreiſchitas, quorum idololatria perſtringitur Sur. IX. et LI., et reſurrectionis ac judicii ultimi abnegatio Sur. IX, XII, XLIV. et alibi, praeterea ad Judaeos, qui ob necem Prophetarum reprehenduntur Sur. III., et irae Dei obnoxii dicuntur; denique ad Chriſtianos, uti ex. gr. quod Meſſiam dicant *filium* Dei Sur. IX., quo etiam dictum Sur. IV. reſpicit. *Deus illi*, *qui ſocium* ipſi *adjungit*, *non remittet*: quare אלמשרכון *adſociantes* adpellantur. Exprobrat quoque ipſis ſchiſmata et ſectas Sur. IX.

§. LXXXVI. Capita, ſeu majores ſectiones, ut de *forma* Alcorani exteriore nunc agam, in quas dividitur, ſunt 114, quae *Suratae* vocantur. *Sura* vero, vel Surata, in plur. Sowaron, cum praef. emphatico Aſſourato, unde vetus Alcorani Interpres Lat. corrupte habet Azoara, qui praeterea, majores Suratas in minores ſecando, numerat 124., vox, inquam, illa ſine dubio, licet circa eam diſſentiant Interpretes, eſt a rad. *ſoura*, media vau, *adſcendit* in *murum*, unde *ſouron* murus, Heb. שור. Denotat itaque proprie

ſeriem

ſeriem murorum, vel lapidum in eo, indeque quodvis excelſum aedificium, et figurate honorem, dignitatem, ac nobilitatem. Quo nomine cum Alcorani capita inſigniuntur, vel ſeries et ordo libri ſignificatur, quatenus ex variis ſectionibus, Hebr. סדרים/ conſtat, vel magnifica ejus ac excelſa ſtructura: de qua ubique gloriatur Muhammed. Diſcernuntur praeterea Suratae aliquo nomine, vel titulo, ſingulis proprio, vel a prima Suratae voce, ut XXXVI, XXXVII, LV, LXX. etc., vel a principali argumento, quod tractatur, uti II. dicta *vacca*, quia de vacca rufa, Num. XIX. ibi agitur, et aliae adpellantur Amrami, Heberi, Abrahami, Jonae, Mariae etc. Ita quoque Surata IX. dicitur *poenitentia*, quia hoſtibus Muhammedis in ea conceditur, ut intra quatuor menſes redeant ad poenitentiam. Porro incipiunt Suratae paſſim cum ſolenni formula, in *nomine Dei miſeratoris miſericordis*, ut Judaeis in uſu eſt בשם יי *in nomine Jehovae:* quam formulam coelo eſſe delapſam, credunt Muhammedani. Denique aliae Suratae ſunt Meccenſes, aliae Medinenſes, a loco, ubi compoſitae ſunt, ſic denominatae, vel revelatae Muhammedi. Ceterum ſingulas Suratas, earumque titulos et materiam, nec non diverſum earum lectioni conſtitutum praemium, exhibet Hottinger. Bibl. Orient. l. III. p. II. Sed ſingulae Suratae ſunt in *verſus* diſtinctae, valde inaequaliter, dum aliae ultra centum, etiam ducentos, aliae vix tres vel quatuor habeant. Adpellantur *Ajaton* Heb. אותות *ſigna*, quaſi totidem eſſent miracula: adeoque reverentiae majoris cauſſa illud nomen acceperunt.

§. LXXXVII. Alcoranum, ut de *ſtilo*, ad formam etiam exteriorem pertinente, aliquid moneam, lingua Arabica eſſe conſcriptum, nec ſine eloquentia, cum purioris linguae cultus eſſet penes Koreiſchitas, de quo vid. Pocock Mor. Arab. p. 152., aut ſublimitate, inter linguae peritos ſatis conſtat. Interea ſtilus adeo eſt abruptus, et obſcurus, ut ſine commentariis intelligi vix queat. Eſt praeterea rythmicus,

micus, ita ut versus in eundem cadant sonum; sunt enim ὁμοιόπτωτοι καὶ ὁμοιοτέλευτοι, eandem habentes desinentiam, saepe valde adfectate, ac populariter, metri ratione parum observata: paucis enim exceptis, nulla syllabarum regula, aut numerus, observatur: versus passim sunt valde inaequales, ibi terminati, ubi similis est desinentia.

§. LXXXVIII. Autores Alcorani habentur Muhammed et Abubeker, ille materiae, hic formae; Muhammed enim schedulas aliquas domi reliquisse traditur, quas Abubeker collegit, et eam in formam redegit, apud Elmacinum in ejus *vita*. Sed Homarum, Abubekeri successorem, Alcoranum in volumen concinnasse, refert Gabriel Sionita l. cit. cap. 8. Sed, secundum Bartholomaeum, Edessenum in Syria Monachum, in *confutatione Corani*, in *variis sacris* Le Moine, seculi VIII. scriptorem, Otmanis scriba eximius et celeberrimus illud jussu Abubekeri fecit. Unde res desumtae sint, postea exponam, hic observo tantum, Muhammedem usum fuisse Judaeo et Christiano sociis. Adhaesit utique ipsi, et opem tulit, Monachus Nestorianus, Sergius adpellatus Christianis, sed Arabibus Bohaira; vid. Abulfeda c. 4. et ibi Gagnier; nec non Georgius Monachus, apud Hottinger. in hist. Orient. p. 211., qui idem etiam digito monstratur a Bartholomaeo Edesseno, l. cit. p. 387., ubi *Pachura* vocatur, nomine, ut videtur, ex Bohaira corrupto. Adjutum quoque a Judaeis fuisse, vel fabulae Judaicae, etiam ipsae locutiones, demonstrant, de quo postea. Quid? quod communis haec de Muhammede, ab aliis docto, fuerit Meccanorum opinio, teste ipso Alcorano. Sic Sur. XVI: 103. *novimus ipsos dicere, profecto docet eum homo*, nec non Sur. XXV: 4.

§. LXXXIX. Superest, *fidem* Muhammedanorum de Alcorano, et *reverentiam* erga hunc librum, exponam. Summa fidei est, librum ab ipso Deo profectum, et Muhammedi per Gabrielem traditum esse, ut refert Abulfeda cap. 7. et, autor Muhammedanus a Relando editus. Quae specia-

lius

ſius merentur explicari. Vid. Maraccius in Prodromo Alcorani, et Pocock. Mor. Arab. p. 220. 1. Alcoranum alii credunt increatum eſſe, et ſemper apud thronum Dei in tabula fuiſſe, vel in ipſa Dei eſſentia cuſtodiri, alii creatum exiſtimant, quia expreſſum Dei dictum habet, *poſuimus Coranum;* alii, medium tenentes, contenti erant ſimpliciter credere, *poſitum* eſſe, nulla mentione creationis facta, aut increationis. 2. Alcoranum in unica ſumma, in menſe Ramadan, nocte quadam, credunt e throno Dei eſſe demiſſum per Gabrielem, uſque ad coelum infimum vel Lunae. Quam noctem Sur. XCVII. vocat *Alkadar*, ob nobilitatem et praeſtantiam ejus. Nec tamen cenſent, eum ſimul et ſemel eſſe Muhammedi traditum, ſed per partes, ſpatio 23. annorum, variis temporibus, et locis, prout occaſio ferebat. Vid. Samachsharius apud Gagnier. ad Abulfed. l. cit. Quum vero 4. aliqui verſus revelabantur Muhammedi, ipſe eos Amanuenſibus tradebat, qui eos in capſa collocabant, ita ut ordo, quo revelati ſint, ſciri nequeat, vel etiam eos recitatabat, quando populus in chartulis aut membranis adnotabat, vel et memoriae inprimebat. Denique, 5. Abubeker collegit, et in unum corpus digeſſit: ut modo dixi.

§. XC. Reverentia, qua erga hunc librum adfecti ſunt, eumque tractant, prorſus eſt ſingularis, ſummamque Majeſtatem et autoritatem, ei adſcriptam, demonſtrat. Schedam aliquam, qualitercunque ſcriptam, in terra jacentem, tollunt, ſaepe deoſculantur, ac in rima parietis ponunt, ac obſtruunt. Qui librum cum aliqua irreverentia tractat, vita habetur indignus, et acſi Deo blaſphemaſſet. Chriſtiano, vel Judaeo, illum adtingere, ut et ei inſidere, teſte Busbequio Legat. Turc. p. 28., piaculum eſt, etiam iis vendere. Nec licet ipſis eum manibus contrectare, niſi bene lotis, ut eſt Sur. LVI: 80., *non tangent eum niſi purificati*: quare corio ejus ſolent majuſculis litteris inſcribere, *ne tangat eum niſi mundus*. Hottinger. hiſt. Orient. l. II. c. 5. Legere quoque et relegere eum ſolent quam diligentiſſime, et adſidue.

De Abiukaniſak Alnoman refertur, eum in carcere *ſepties millies* perlegiſſe Alcoranum, Pocok. Mor. Arab. p. 298. Textum denique Alcorani aliqua in re in dubium vocare, quocunque etiam ſub praetextu, nefas erat. Sed prae caeteris omnibus excellit Sur. I., qua omnium librorum ſacrorum doctrinam comprehendi crediderunt, ejuſque lectioni magnum eſſe conſtitutum praemium, ſibi perſuaſerunt. Vid. verba Alhaſani apud Maraccium ad eam.

§. XCI Alterum religionis eorum principium eſt *Suna*, vel lex oralis, ut Ebnol. Athir docet apud Pocock. l. c., dicens, *inter probationes legales numerantur Liber et Suna* h. e. *Alcoranus, et dicta factaque Muhammedis.* Sed in eo ſecum diſſident Perſae et Turcae, cum *illi* reſpuant Sunam, Alcorano unice adfixi, hi vero adoptent, inde Sunitae, traditionarii, dicti. Vox vero *ſona*, *alſona*, proprie denotat viam, converſationem, ſeu vitae inſtitutum, in ſpecie quicquid praecepit, vel vetuit, Propheta, ſeu dicto, ſeu facto, quod in Alcorano non memoratur, prorſus ut Judaeorum משנא *Miſchna*, ſeu δευτέρωσις *lex Secundaria.* Adpellatur etiam alio nomine *alhadith*, ſeu hiſtoria, vel narratio, continens ſenſum Myſticum, aut moralem, ſive ſit effatum μῦθος *aenigma*, ſed ſpecialiter dictum vel factum Muhammedis, per traditionem ex ore receptum, γνώμη *Sententia* brevis, quales circumferuntur multae, ſub titulis 40 ſententiarum, ſive ſit Miſchna. Ceterum ſeptem celebrantur authenticarum traditionum autores, qui eas ex ore Muhammedis creduntur excepiſſe, quorum praecipuus eſt Abubeker: reliquorum nomina recenſuiſſe nihil adtinet. Vid. Gagnier. ad Abulfed. c. 19. et de Suna Hottinger. Bibl. Orient. l. III. p. II. c. 2. In corpus pandectarum traditiones redegit Albocharius ann. Hegirae 224. in libro, dicto Al-Sahih, h. e. *Sincerus*, purus, quia genuinas diſtinxit a ſpuriis. Quem librum recenſuit, et alios Sunae ſcriptores exhibuit, Hottinger. l. cit.

§. XCII. Religio Muhammedana praecipue et tutius petitur ex ipſis Arab. libris, ut Alcorano, ejuſque commentatoribus,

toribus, et Mischnicis scriptoribus, deinde ex confessionibus fidei, ab ipsis editis, ac summaria ejus descriptione. Confessionem aliquam edidit Relandus de relig. *Muhamm.*, in cujus libri versione Gallica additae sunt aliae, reperitur etiam aliqua in libro Cosri p. 12. Exstat etiam summa Jacobi Ben Side Ali apud Gabriel. Sion. de *urbibus et moribus Orient.* c. 14. et Algazalii, praecipuae apud eos notae scriptoris, apud Pocock. Mor. Arab. p. 274. Compendia quaedam exhibet Hottinger. hist. Orient. l. II. c. 3., summa etiam doctrinae, per Hermannum Dalmatam sec. XII. conversa ex Arab., in editione Alcorani Bibliandri; ubi et alia se offerunt opuscula, non negligenda. Ex hisce monumentis summa religionis hujus capita enarrabo, dein argumenta, quibus suam religionem demonstrare solent, exhibebo. Cum capita sint alia *theoretica* alia *practica*, ab illis, seu *fide* Muhammedana, incipiam, quam exponam, cum relate ad Christianam et Judaicam, tum respectu propriae ipsorum fidei capitum.

§. XCIII. Quid de Libris Vet. et Nov. Test. credant, de Christo, et Trinitate, ac qua ratione erga Christianos sint adfecti, operae pretium fuerit exposuisse, ut differentia utriusque religionis clarius elucescat. Quod ad *libros* Christianorum *sacros* adtinet; auctor religionis Muhammed. apud Relandum libros divinos, et summae autoritatis, recenset 104, quorum decem sunt ad Adamum missi, quinquaginta ad Sethum, triginta ad Idrisum, seu Henochum, decem ad Abrahamum, unus ad Mosen, qui est תורה *lex* seu Pentateuchus, unus ad Jesum, seu euangelium, unus ad Davidem, seu Psalmorum liber, denique unus ad Muhammedem. Sic apud Pocock. l. cit. memorantur inter libros divinos Lex, Euangelium, et Psalterium. Vid. et Gabriel Sion. l. cit. Sic et Elmacinus hist. Saracen. Muhammedem dicit adprobasse Euangelium et Legem Mosis. Sed, ne alia proferam testimonia, ex ipso Alcorano illud ipsum satis constat, cum eos libros nostros, tanquam divinos, variis in

locis commendet: uti ex. gr. Sur. II: 4. III: 3, 83. IV: 162. Imo, Christum secundum prophetias venisse, easque adinplevisse, testatur Sur. V: 50. Illud notari meretur, sub Pentateuchi nomine reliquos Vet. Test. libros comprehendi, ut Ahmed, Abdolhalimi filius, in apologia pro secta Muhammedana, apud Maraccium in Prodromo Alcorani, diserte fatetur. Vocant autem Pentateuchum corrupta voce Hebr. *altaurat*, et Euangelium *alangil.* Hisce non obstantibus admittere recusant demonstrationes Christianorum ex Script. S. Ipse Muhammed., periculum inde sibi imminens perspiciens, praecepit suis, ut *nec adprobarent nec reprobarent*, quae Judaei et Christiani ex Script. S. proferunt. Sur. XXIX. 46. ubi vid. Gelaledinus. Cui praecepto ut colorem conciliaret, scripturam esse a Judaeis et Christianis corruptam, adseruit, ita ut ei nunc fidere non liceat, Sur. III: 88. V: 16., genuina quoque exemplaria ab iis esse deperdita, vel occultata. Inter exempla depravationis proferunt Ps. II: 7. ubi legendum volunt, *tu es propheta meus, ego educavi te*; et Joh. XVI: 7. ubi pro παράκλητος legunt περικλυτος *inclytus*, et Muhammedem intelligunt. Sic et Sur. VII: 149. LXI: 6. quaedam ex Script. S. citantur, quae nunc non exstant. Praeterea censent, codices nostros esse corruptos, quo tempore Muhammed adparuit, erasis etiam locis, quae Muhammedem praenunciabant. Cum vero ex Script. contra Christianos disputant, illud secundum hominem, ut dicitur, facere videntur, vel ea tantum loca integra mansisse statuunt, quae sibi favent.

§. XCIV. De Jesu Christo Messia exstat luculentum fragmentum sermonis Angeli ad Mariam in Alcorano Sur. III: 45. etc., ex quo patet, Muhammedem credidisse, Jesum, filium Mariae, esse Messiam, a Prophetis praedictum, et a Deo promissum, esseque Legatum Dei ad homines. Concinit etiam confessio fidei apud Relandum. Sed operae pretium fuerit, fidem eorum distinctius exposuisse. 1. Vocant ipsum עיסי *Isai*, cujus varias et ridiculas dant rationes.

Beidavi

*B*eidavi apud Hottinger. hiſt. Orient. I: 3. modo dicit eſſe עיס Syr. אישוע *iſchuanum*, mox ab Arab. עיס derivat, quae vox fulcum, albo rufoque variegatum, denotat. Hottinger., ipſum a Judaeo eſſe deceptum, conjicit; et Judaeum in animo habuiſſe nomen עשו *Eſavum*, inter quem et Meſſiam inſtituunt Judaei parallelismum. Sed Muhammed paſſim nomina corrumpit, ut quid novi, et ex ſe, videatur loqui, quare ex Jeſu fecit עיסי. In nominis Meſſiae, quod apud ipſos celebre eſt, derivatione etiam miſere ſe torquent. Beidavi notat, eum ſic adpellari, vel quod creatus ſit in benedictione a מסח/ vel quod orbem peragraverit a שיח *peregrinari*, in ſpecie religionis cauſa, aut denique, quod eum *unxerit* Gabriel. Praeterea eum vocant *Sermonem*, ſeu λόγον et πνεῦμα, ſecundum Euthym. Zigabenum, cujus rationem dat Beidavi, quod ad verbum Dei exſtiterit *ſine Patre*, et quod miraculis juventus ejus conſpicua fuerit. Sed Gelaledinus inde repetit, quod creatus ſit a Deo per verbum *eſto*, alii inde, quod verbis ſuis profuit religioni, ſermo ſcilicet Dei ad homines. Eodem modo hariolantur in nomine *Spiritus Dei*, quo in Alcorano inſignitur, vel, quod ope Gabrielis, qui ſpiritus Dei dicitur, conceptus eſt, vel quod ſpiritum ex Deo habeat.

§. XCV. 2. Chriſtum ex Maria virgine eſſe natum, et Spiritu Dei conceptum, perſpicue docet Muhammed Sur. IV: 107. et LXVI: 13., quo poſteriore loco, quod notandum, Maria dicitur filia Amrami: unde colligendum videtur, eum Mariam, Sororem Aaronis, et matrem Domini, confudiſſe, ut habet Euthym. Zigaben., et confirmari videtur ex Sur. XIX: 29., ubi diſerte vocatur *Soror Aaronis*. Quem craſſum errorem Chriſtiani paſſim adſcribunt Muhammedi, ut videre eſt apud Reland. l. II. §. 21. Sed interpretes Alcorani rem aliter explicant; licet diverſa ratione; alii volunt, Aaronem aliquem exſtitiſſe fratrem matris Chriſti, et Amramum dictum fuiſſe Mariae patrem, ſicut Anna mater; alii inde repetunt, quod fuerit ex Am-

N 4 rami

rami et Aaronis familia. Ita commentatores ad Sur. XIX. apud Maraccium, „Sed potuit errasse Muhammed, et commentatores alio rem vertisse potuerunt, ut eum excusarent. Sic Elisabeth, matrem Johannis, ac Mariam, pro sororibus habet, cum Jesum et Johannem filios materterae, seu Matrueles, vocet Muhammed. Alia quae de Maria habent plurima, exhibet Hottinger. hist. Or. I: 3. Multa quoque fabulosa de infantia Christi admittunt, ex libro Apocrypho hausta de *infantia Christi*, aliisque ejusdem furfuris libellis. De quo vid. Sike in not. ad illud euangelium. 3. Christum, secundum Muhammedanos, mortuum non esse, Euthymius Zigabenus in *Saracenicis* Sylburgii, et alii, referunt quidem, sed illud per omnia non est veritati consentaneum. Licet enim recentiores quidam Muhammedani ita statuant, ut videre est apud Pocock. Mor. Arab. p. 279. et Ebnol Athir, apud Maraccium prodrom l. III. c. 19. qui dicit: *nonnulli dicunt adsumtum fuisse, absque quo moreretur;* Ipse Muhammedes ita non sentit, ut ex Sur. III. jam demonstravit Relandus, tantum negavit, Christum a Judaeis esse occisum et crucifixum, censens alium ejus loco, vel in similitudine esse cruci adfixum; ut ex Sur. IV: 156. patet, et Arabes testantur, ac Euthym. Zigaben. l. c. 4. Quam praeclare etiam de Christo sentiant, Muhammedem tamen eo esse excellentiorem credunt ac superiorem. Christus dicitur Sur. III. illustris in hoc et futuro seculo, hic ut Legatus Dei et Propheta, illic ut intercessor, ubi ἱκέτου munere fungi Christum passim agnoscunt Arabes. Vid. Hottinger. l. cit. Muhammedem vero supra Christum extolli, luculenter patet ex narratione Abu-horaerae in libro de adscensu Muhammedis in coelum apud Gagnier ad Abulfed. c. 19. Quo etiam pertinet, apud Abulf. referri, Muhammedem Christum offendisse, non in coelo septimo, seu supremo, sed secundo. Narratur quidem in libro Agar, ex interpretatione Philippi Gundagnoli, Jesum in coelo septimo non tantum versari, sed ipsum Muhammedem se ejus inter-

interceſſioni commendaſſe: ſed illud a vero abhorret; ut obſervavit Gagnier ad Abulf. l. cit., ſive Agar favoris Chriſtianorum conciliandi ergo illud finxerit, ſive Arabica male ſint verſa, cum hujus periodi textus Latinus tantum ſuperſit.

§. XCVI. 5. Denique, Chriſtum pro vero Deo, aut naturali Dei Filio, non habent, ſed creaturam eſſe credunt, a Deo maxime exaltatam, ac quaſi deificatam. Sic Sur. V: 19. infideles dixerunt, *utique* Deus eſt *Chriſtus, filius Mariae;* nec non vers. 81, 84. *non eſt Chriſtus, filius Mariae, niſi legatus.* Sur. IV. 169. *porro Deus eſt unus, abſit ut ſit ei filius.* Sic et Sur. X: 67. Argumenta, quibus ad id demonſtrandum utuntur, ex humana Chriſti natura, et iis Script. S. locis, quae ad eam reſpiciunt, paſſim ſunt deſumta. Uti, quod Deus dicitur Dominus ejus, quod veram habuerit matrem, et comederit, quod Deus non poſſit filium gignere, nec acceperit uxorem, Sur. VI: 96. LXXII: 2. Addunt, divinitatem tunc fuiſſe mortuam, et paſſam, vi unionis cum humana: praeterea Chriſtum dixiſſe, *Deus mi! quare me dereliquiſti:* magna fuiſſe obrutum triſtitia in horto, in ſermone Angeli ad Mariam Chriſtum non adpellari Deum, ſed Davidis filium, dici quoque electum filium, ergo creatum, eguiſſe Johannis baptiſmo, vitam egiſſe ceteris hominibus ſimilem; Euangeliſtas de Chriſto ſemper loqui tanquam puro homine, Chriſtum fateri, ſe nihil de ſe ipſo poſſe, vitam a Patre accepiſſe, ignorare diem judicii, neminem, niſi Deum, eſſe optimum, omnipotentia ſe carere, Matt. XIX. primogenitum denique adpellari creaturarum, et natum ante ſecula. Quae, et quorum ſimilia, argumenta in Alcorano, et ejus commentatoribus, ubique proſtant. Vid. et Maraccius prodrom. p. III. c. 11.

§. XCVII. Ex quibus ſimul eluceſcit, illos a *Trinitate* Chriſtianorum longe alienos eſſe. Sur. IV: 169. *credite in Deum* et *Legatos ejus,* et *ne dicatis, Tres. Deus eſt Deus unus.* V: 81., *qui ſocium poſuerit Deo, interdixit illi Deus*

 paradiſum.

paradisum. Infideles quoque habentur, qui dixerunt, *Deus est tertius trium*, h. e. trinus, *non est Deus*, *nisi Deus unus.* Commentatores vero Alcorani, uti Gelaleddinus et Beidavi, Alcoranum ibi loqui autumant de Deo, Christo et Maria, pro Diis a Christianis habitis, ut putant. Sic et Hali-ben Acbdal apud Selden. Synedr. II: 2., quo etiam adluditur Sur. V: 84 et 125. etc. Ceterum Beidavi addit, alios Christianorum censere, Patrem esse essentiam, Filium scientiam, et Spiritum S. vitam; sicut Scholastici loquuntur, qui *modalem* tantum agnoscunt distinctionem. Non negant quidem, Christianos *unum* admittere Deum, sed conciliare cum eo nequeunt, *quod tres personae* statuantur, quia eo ipso tres forent Dei: qua ratione contra eos disputant, non plures uno esse posse Deos contendentes, quia discordes essent, et alius alterius opus destrueret, Sur. XXI: 22. XXIII: 29. Quod si cum Scholasticis personae sint *scientia* et *vita*, plures censent debere personas esse, cum alia quoque in Deo sint adtributa. Achmed vero Ben Abdallae apud Selden. l. cit. c. 4., inter veteres et recentiores Christianos distinguens, illis adscribit sententiam de *essentia*, *scientia*, *et vita*, sed his de Filio, Patris *verbo*, et Spiritu S. *mutuo amore* Patris et Filii.

§. XCVIII. Quod ad dissentientes adtinet religiones, ut illud dictis subjungam, vulgata habet, qua Veterum qua Recentiorum, opinio, omnes pios in quacunque religione posse servari secundum Muhammedem, sed hoc unico tantum nixa loco Sur. II: 62., ubi haec occurrunt verba: *certe qui crediderunt, et qui Judaei sunt, et Christiani, et Sabaitae, quisquis ex his crediderit in Deum, et diem novissimum, et fecerit rectum, erit ipsis merces sua apud Dominum suum* etc. Sed cum alia reperiantur in Alcorano loca contraria, regeri solet, Muhammedem sibi contradixisse. Ita instituit N. Cusanus in *cribratione Alcorani* l. III. c. 2., in editione Alcorani per Bibliandrum. Sed rectius dixissent, Muhammedem, ex omni religione credidisse servandos, qui in unum Deum,
[illegible]

et diem novissimum, crediderunt, antequam Muhammed in lucem prodierit: damnat enim eos ubique, qui Deo adjungunt socium, quique rejiciunt id, quod a Deo missum est, h. e. Alcoranum. In loco autem Sur. II: 62. citato vero intelligi Muselmannos, quique ex Judaeis et Christianis ac Sabaeis fidem Muhammedis adoptarunt, demonstravit Relandus p. II. Addo locum parallelum Sur. V: 74., qui rem definire videtur: *quod si scripturales crediderunt in Muhammetum, et timuerunt Deum, certe expiabimus ab iis mala eorum, certe introducemus eos in hortos voluptatis, et si porro ipsi observaverint Pentateuchum et Euangelium, et quod demissum fuit ad eos a Domino istorum* etc. scilicet Alcoranum. Vid. plura in seq., quae eodem tendunt. Tradit quoque alibi in Itiner. Chardin, nonnullos Muhammedanorum adserere salutem bonorum in quacunque religione, qui unum Deum coluerunt, usque ad Muhammedem. Nec tamen inter eos desunt, qui et adhuc quemvis in religione sua servari posse statuunt. Sed qui a Turcis inter haereticos sunt relati. Vid. Septemcastrensis de *moribus* Turcarum c. 20., et Busbequius in legat. p. 141. Ceterum, in Christianos melius, quam in reliquos, fuit adfectus Muhammed, teste Elmacino. Sic et Sur. V: 91. adferitur, Judaeos esse Muhammedanis infensissimos, Christianos vero iis amicissimos; quod et alibi saepe repetitur. Dixisse etiam fertur Muhammed Omari, *dic Christianis, animas Christianorum eo nos habere loco, quo animas nostras, opes eorum, quo opes nostras, accidentia eorum, quo nostra*: et porro, *benefacite Cophtitis AEgypti, sunt enim nobis genere et adfinitate juncti*: item; *qui Christianum occidit, habebit eum adversarium die judicii*, denique, *qui Christiano nocet, mihi nocet.*

§. XCIX. Accedamus, his praemissis, ad ipsa Muhammedanae fidei capita distinctius recensenda. Islamismus quinque nititur fundamentis, secundum autorem Relandi, quorum *primum* est confessio de Deo, non esse nisi Deum illum verum, et Muhammedem ejus legatum esse; *alterum* sancta observatio precum, *tertium* eleemosynae largitio, *quartum*

tum jejunium mensis Ramadan, *quintum* peregrinatio Meccana. Primus articulus, qui fidem continet, sicut reliqui quatuor, ad religionem pertinent, hic susius explicandus, cum de parte theoretica agamus, sex continet, secundum eundem autorem, capita, Deum, Angelos, Libros Divinos, Prophetas, Diem ultimum, denique Decretum Dei de bono et malo. Librorum divinorum cum supra dedi notitiam, nunc de reliquis ordine exponam.

DE DEO.

§. C. Deum esse *unum*, nec admittere socios, adeoque non esse Triunum, capitale eorum dogma est, ut supra observavi. Solennis propterea eorum formula est, *non est Deus, nisi unus*, quam nummis etiam inscribunt, Vid. Seldenus de Synedr. l. II. c. 4. Definiunt autem Deum *essentiam necessario existentem*: qualem nomen solius Dei proprium *Allah* indicat, praeter quod alia Dei habent nomina plurima, ad 99 usque, quae recenset Maraccius ad Alcoran. Sur. XVII. Praeterea Deum credunt esse spiritum, ab omni corporeitate remotum, secus ac Christiani ipsis passim inputant, existimantes, Deum a Muhammede describi corporeum, in primis quia Sur. CXII., ubi confessio Muhammedis de Deo exstat, dicitur, *Deus est unus. Deus Alzammado*, quae vox etiam ὁλοσφυρον *sphaericum* denotat, uti intellexit Euthymius Zigabenus, qui inde collegit, Deum statui corporeum. Sed vox Arabica quoque significat aeternum, et firmiter consistentem; quae propria ejus potestas est. Provocatur quidem ad corporeas phrases de Deo in Alcorano, quibus Deo manus, oculi etc. adscribuntur, et de eo sermo fit tanquam corporeo: sed et illa dicta possunt, ac debent, figurate capi. Utique Deo nullam esse figuram aut formam, dicit autor Relandi, et ipsis verbis declarant Muhammedani in libro Cosri, *amovemus a Deo omni modo corpus, et modos corporeos*; sic et Algazelus in

expositione fidei Sunnitarum apud Maraccium in Prodrom. l. III. *Deus non adsimilatur ulli enti, nec ullum ens ei, nec ulla res similis est.* Ita et autor apud Pocock. l. cit. p. 284. ac apud Chardin itiner. Perf. t. VII. Quae licet vera sint, omnes tamen non aeque fane hac parte sentiunt, vel loquuntur. Sunt autem duae circa adtributa Dei diversae sectae, Motazalorum scilicet, et Sephatiorum, de quibus mox, quarum illi, ab essentia Dei adtributa esse diversa, negabant, hi vero adfirmabant, et horum aliqui eo sunt prolapsi, ut Deo corporeitatem adscripserint, quia loca Alcorani aliter explicari non posse putarunt, ut Abulfarag. dynast. IX. testatur; ideo etiam dicti Almoshabbchi, *adsimilatores*; quia hominem hac parte Deo similem statuebant. Pocock Mor. Arab. p. 225. Nec tamen omnes hujus sectae in eo conveniebant: aliqui enim, quorum caput erat Ashareus, comparationem hanc prohibuerunt, dicentes simpliciter in verbis Alcorani esse acquiescendum, et ab eorum interpretatione abstinendum. Forte a vero non abhorret, primos Muhammedanos satis crassos de Deo habuisse conceptus, et Muhammedem, a Judaeis, qui ejusmodi locutionibus et ideis adsueti erant, edoctum, eum in modum de Deo esse locutum in Alcorano, sed postea, cum Philosophia coepit excoli, doctores corporeas hasce ideas emendasse, ut Motazalae fecerunt, reliquos, ut Sephatios, retinuisse, alios, ut Asharios, mediam tenuisse viam.

§. CI. Adtributa Dei eadem agnoscunt, quae Christiani, et magnifice de iis loquuntur in confessionibus, aliisque libris, etiam in Alcorano, ut de infinitate Dei, omniscientia, omnipotentia, omnipraesentia, reliquisque virtutibus. Sed, ne, inter adtributa Dei recenseri auditum, visum, et loquelam, ut ab autore Relandi, repetam, acris est inter Motazalas ac Sephatios contentio de adtributis cum essentia Dei identificatis, an ab ea diversis. *Motazalae*, sic adpellati, quod sese, duce Wasel Ebn Ata, separaverint a praeceptore Alhasan, ejusque discipulis, quasi dicas Pharisaeos

risaeos *separatistas*, adtributa statuunt esse ipsam Dei essentiam, adeo ut Deus sit ex. gr. per essentiam omniscius, omnipotens, et vivens, et non per scientiam, potentiam, et vitam; esse enim Deum simplicissimum et unicum. Vid. Abulfarag. p. 104. et Pocock. l. cit. p. 214. Aliter sentiunt *Sephatii*, sic dicti, quod adtributorum sint adsertores, qui, Deo competere adtributa aeterna, ab essentia diversa, statuerunt, inter essentialia adtributa, et quae ab operibus sunt desumta, nullam agnoscentes differentiam, adeoque Deum non per simplicem essentiam, sed per scientiam esse scientem, per potentiam potentem etc., ita ut realem admittant inter essentiam Dei et adtributa ejus distinctionem. Quae posterior opinio est Sunnitarum, vel communis Muhammedanorum, qui, Alcoranum eodem, quo reliqua adtributa, modo Deo quoque inesse, existimant.

DE CREATIONE, ET EXCELLENTIORIBUS CREATURIS.

§. CII. Missis fabulis, quas doctrinae de Creatione admiscuerunt, ex Rabbinis haustis maximam partem, ea tantum exhibebo, quae a communi Christianorum fide discedunt. Mundum ex nihilo creatum esse a Deo recte tenent, vid. apud Pocock. l. cit. p. 289., sed Deum, addunt, unum inmediate fecisse opus per se, secundum axioma ipsorum Philosophicum, *ab una causa individua unum tantum oriri effectum*: statuunt itaque, Deum intelligentiam quandam supremam creasse, et per eam produxisse coelum primum et supremum, et sic aliam intelligentiam, secundi coeli causam instrumentalem, et ita porro ad decem coelos usque per totidem intelligentias: etsi in numero coelorum inter ipsos non conveniat: cum alias statuant *septem*, Sur. LXV: 13. *Deus est, qui creavit septem coelos, et totidem terras*, sic et Sur. XLI: 12. Mirari ergo subit, Barthol. Edel-

senum

ſenum apud Moine l. cit. adfirmare, ſe nomen Creatoris non inveniſſe in Alcorano. Sed, terram per Angelos eſſe productam ex medio aquarum, exiſtimant. Credunt porro, creationem ſex diebus eſſe peractam, ſed terram duabus primis, deinde ſequentibus duabus quae ad victum et alia, hominibus et beſtiis neceſſaria, requirebantur, ultimis diebus coelos, et hominem: ita Sur. XLI. Communis quidem fert opinio, Deum die ſolis initium feciſſe creationis, ſed die Veneris nonnulli malunt, ut refert Chardin l. cit. Illud non eſt ſilentio involvendum, quinque res ante mundum ex opinione Muhammedis fuiſſe hoc ordine creatas, *tabulam*, *calamum*, *aquas*, *thronum Dei*, *et ſolum*. Continet vero *tabula*, cujus cuſtoditae mentio eſt Sur. LXXXV: 22. omnia futura et praeterita, *calamo* inſcribuntur, *aquae* ſtabant inmotae, *thronus* Dei volavit ſupra aquas, quando creatus eſt ventus, vel Spiritus, qui aquas moveret. Vid. Keſſaeus in hiſtoria S. Mſſ. apud Relandum. Quae omnia a Judaeis ſunt tranſumta. Sic, ex gr. ad Gen. I., ubi *Spiritus* legitur *ferri ſuper aquas*, Raſchi habet, thronus gloriae ſtabat in aëre, et ferebatur ſuper faciem aquarum per ſpiritum oris Dei. Sic et Judaei ſtilum et tabulas Sapphiricas creatas dicunt a Deo, allegorice intelligentes decretum Dei; quae forte Muhammedis quoque mens fuit.

§. CIII. Angeli et homines cum ſint excellentiores creaturae, de illis quaedam ſunt dicenda, ſecundum fidem Muhammedanorum. *Angelos* credunt dari bonos et malos, *Bonos* opinantur corpora habere ſubtilia, ſancta, e luce creata; nec tamen edere, aut bibere, aut ſexu eſſe diſtinctos. Dicit quidem Euthymius Zigaben., Muhammedem angelos ſtatuere foeminas, ſed contra diſertum ejus effatum Sur. XXXVII: 150. Removet quoque ab illis cunctos adpetitus carnales; ſed differentes iis tribuit formas, adeo ut alii ſtent, alii ſedeant, alii corpore ſint deorſum inclinato. Diſtincta praeterea obeunt munia, dum alii laudent Deum, alii veniam peccatorum hominibus dandam inplorent, alii

 ſcribant

ſcribant opera hominum, alii eos cuſtodiant, alii thronum Dei portent, aut circumeant, aut mandata Dei exſequantur. Vid. autor Relandi. Angelos *Malos* putant ex igne creatos, ut eſt Sur. XV: 27. *daemonem creavimus ex igne aſſamum*: quae vox ventum denotat ferventem et torridum. Angelum creatum quidem eſſe bonum tenent, ſed per inobedientiam factum Diabolum; antea dictum eſſe *Azazielem*, ut Abul kaſem, Keſſaeus, Zieuhari, et alii, teſtantur, cui Hebr. עזאזל Azazel reſpondet, ſed poſt lapſum eſſe adpellatum *Iblijum*, ſeu deſperabundum, etiam *alſcheitam*, ſeu Satanam, denique peccatum ejus cenſent in eo fuiſſe ſitum, quod Adamum noluerit adorare, et ex invidia ortum, Sur. II.: 25. et XV: 31. Quod Abulabas Ahmed fuſe narrat apud Relandum. Poſt hanc principis defectionem tenent bonos angelos in virtute et ſalute fuiſſe confirmatos, reliquos, malos factos, ſalute in aeternum excluſos. Quod enim nonnulli tradunt, daemones malos, ſecundum Muhammed., eſſe ſervandos, non eſt vero conſentaneum, ut Relandus demonſtravit. Sed illud tamen verum, aliquos *genios* dici in Muhammedem crediidiſſe, et ſalutem adeptos eſſe, Sur. LXXII. Sunt autem *genii* inter Angelos et homines medii, iique boni vel mali. Adpellatur autem genius Arab. *gonnon*, a. rad. *texit*, recondidit, ſive quod genus illud ſit tectum et inviſibile, ſive quod in tenebris verſetur, uti vox etiam indicat. Genios denique ex igne eſſe creatos, et Angelici eſſe generis, ſtatuunt. V. Pocock. not. Miſcell. cap. VII.

§. CIV. Quod ad *Homines* adtinet, primum hominem credunt productum ex *argilla ſicca*, ex luto nigro conformato, Sur. XV: 26. ex luto defoecato Sur. XXIII. 12. ubi modus quoque creationis ejus exponitur. Sed Sur. XCVII: 2. dicitur factus ex *galaka*; quae vox et ſanguinem concretum ac coagulatum, et ſemen genitale, et hirudinem ſanguiſugam, denotat. Ex qua vocis ambiguitate anſa fuit Euthymio Zigab. nata, Muhammedi adfingendi opinionem, hominem

hominem nasci ἐκ βδέλλης *ex hirudine*, uti Relandus quoque observavit. De *anima* interrogatus Muhammed a Judaeis respondit Sur. XVII: 86. *Spiritus est ex negotio Domini mei* h. e. ex iis est rebus, quarum scientia pertinet ad Deum. Ceterum animos diu ante mundum esse creatos communiter crediderunt, referente Chardin l. cit., nec esse ex traduce, sed a Deo infundi, teste quoque Busbeq. l. cit. Nec passim sunt a μετεμψυχώσει *metempsychosi* alieni, quae Arab. dicitur *tanasuchia*; cujus opinionis vestigium est aliquod in ipso Alcorano, Sur. LVI: 63. *ne substituamus similes vobis*, et *iterum producamus vos in id*, *quod nescitis*. Quod de animarum transmigratione exponit Gelaleddinus. Sed de animarum statu post mortem in seq. agam.

§. CV. De *Providentia* Dei, cum creatione arcte connexa, adeo fortiter loquuntur, ut tantum absit, quod a nonnullis adfingitur ipsis, ut omnia fortuita esse putarint, ut multis fuerint visi, Deum statuere autorem mali. De quo Vid. Relandus l. cit., qui ab utroque errore eos liberat. Sed cum haec res sit alicujus momenti, et ei doctrina *decretorum* Dei arcte cohaereat, de utroque dogmate quaedam distinctius monebo. Autor Relandi diserte adserit, orthodoxam fidem esse, omnia, maxima minima, bona mala, *decreto* et *providentiae* Dei ita subesse, ut omnia per ejus voluntatem sint, et existant: hoc tantum cum discrimine, quod bonum adprobet ac producat, malum vero inprobet, nec efficiat. Vid. Chardin l. cit. Decretum statuunt hominem facere dependentem, nec tamen vim ei inferre: Deus, ajunt, vult quaedam *in nobis*, quaedam *de nobis*, prius est occultum, sed posterius revelatum, illud Deo relinquendum, hoc a nobis perficiendum. Repudiant illos, qui de homine faciunt stipitem, et decretum ac providentiam pro causa transeunte habent nostrarum actionum; quippe quo libertas tollitur; sed et illos damnant, qui actiones hominum subducunt Providentiae, Deumque statuunt non cogere, sed disponere mentes salva libertate; interea a Deo

omnia esse definita, quae ad hominis statum temporarium et aeternum pertinent, et absolutam admittunt Praedestinationem, quae vocatur אלקצא, etiam *tabula custodita*. Vid. autor apud Pocock. l. cit. p. 287. et Hottinger. l. cit. Sed haec res est testatissima; quare nonnulla Alcorani loca sufficerit citasse. Sur. XIII: 29. *certe Deus errare faciet, quem vult*. XXXII: 14. *quod si voluissemus*, dicit Deus, *certe dedissemus omni animae directionem ejus*, Sur. X: 26. *dirigit, quem vult, in viam rectam*. VI: 125. *quem voluerit Deus dirigere, dilatabit pectus ejus ad fidem Islamiticam, quem vero voluerit inducere in errorem, reddet pectus ejus arctum* etc. Esse vero Deo jus in omnia, statuunt, ut de hominibus pro beneplacito disponere possit, adeo ut si omnes creaturas servaret, non esset iniquitas, si omnes in ignem inmitteret, non esset injustitia. Vid. Pocock. p. 252.

§. CVI. Nec tamen existimandum est, omnes in hanc fidem conspirare. Sunt enim, sicut et inter Christianos, de Dei decreto, et hominis libertate ac potentia circa actiones, sententiae diversae, et disputationes variae; quae ad tres classes referri queunt, quarum aliae in extremum dilabuntur, aliae mediam tenent viam. Extrema tenent Motazali et Aljabarii rigidiores, quales sunt Aljahamiani. Motazali, decreto Dei, et concursu efficace, sublato, hominem censent a Deo potentias habere tantum et facultates, ipsum vero ex propria voluntate, et libero agere arbitrio, eaque ratione mereri poenam et praemium: Deo autem nullo modo peccatum aut malum adtribuendum esse. Adpellantur a nonnullis *Alkadarii*, vel quod decretum praedestinationis, *alkadar* dictum, tollant, vel potius, quod putat Pocock. p. 238. a voce קדר *kadara potentia*, quam homini adsignant, et cui actiones adtribuunt. Hinc etiam cum Magis comparantur, quatenus, sicut Magi alium bonarum, alium malarum, actionum statuunt autorem, ita Motazali propriae potestati adscribant actiones, alium a Deo actionum autorem agnoscentes. Quo Muhammedis refertur dictum, *Al-*

kadarii

kadarii sunt Magi hujus gentis. Sed in alterum extremum praecipites se dederunt *Aljabbarii*, vel Ghabraei, rigidiores, ita dicti, quod hominem dixerunt a Deo cogi: vox enim *al-habbera* significat *necessitatem*, *coactionem*. Negarunt vero, in homine ullam esse ad actionem potentiam, actionum causam non homini, sed Deo inmediate, adtribuebant, ita ut homo vix a lapide hac in re differat, Deus in homine creet actiones, ut in rebus inanimatis, et homini opera tribuantur, uti arbor fructus ferre dicitur. Qui etiam aliquando *alkadarii* adpellantur, quia *decretum* tam rigide urgent. Inter haec extrema alii mediam tenuerunt viam, qui *moderatiores* dicti sunt *Aljabarii*, vel et Alnajariani, et Aldarariani ac Alasharìani. Qui, licet per omnia quoque secum non conveniant, in genere tamen statuunt, actiones a Deo quidem creari, sed produci ab homine per *acquisitionem*, quae *casb* adpellatur, sed quid per eam sit intelligendum, non idem exponunt. Alii dicunt, Deum in homine producere potentiam et voluntatem, ex qua necessario tunc oritur actio: alii vero, Deum creare ipsam actionem, et hominis voluntatem cum illa Dei potentia conjungi, et sic conjunctim produci actionem; ita tamen, ut hominis potentiae nulla sit in actionem inpressio, sed actio, a Deo creata, proferatur in medium ab homine, et homo a Deo actus agat. Sed sententia Alkadi Abubecri, apud autorem libri Scharhol Tawale, adtentionem meretur peculiarem, quae habet, *facti substantiam evenire potentia Dei, at ut factum illud sit vel obedientia vel trangressio, esse haec epitheta seu conditiones facti, quae eveniunt potentia hominis.* Quod proxime opinioni eorum inter ipsos Christianos concinit, qui vitiositatem ab actu vitioso separant, et Deo tribuunt actum, homini sublegi vitiositatem. Vid. de hisce Pocock. p. 234. etc. Sed Persae propius ad verum adcessisse videntur: de quibus vid. Chardin loc. cit.

DE LAPSU, ET PECCATO ORIGINALI.

§. CVII. Adamum fuisse rectitudine morali in initio creationis praeditum, et in paradiso collocatum, ubique in Alcorano docetur, sed eum e coelo, ubi paradisus fuit, per lapsum esse in terram dejectum, simul statuitur, uti Sur. II: 36. Constitit autem peccatum ejus in eo, quod tentationi Diaboli fidem adhibuerit, et de arbore vetita comederit, Sur. II: 35, 36. et alibi saepe. Satanas autem censetur primis hominibus persuasisse, Deum usu arboris interdixisse, *ne essent duo angeli, ne essent ex perpetuo viventibus*, Sur. VII: 22. XX: 118. ubi illud notatu dignum est, Adamum vere dici peccasse, et praevaricatum esse: quia ab illa opinione postea desciverunt, in primis Persae, qui Adamum peccasse negant, hoc tantum axiomate, apud ipsos recepto, nixi, *prophetam esse inpeccabilem*; sed tantum concedunt, minus bonum praetulisse majori. Deum, quod satis lepidum est, putant Adamo concessisse omne genus fructus, quorum digestio adeo facilis erat, ut per poros fieret exspiratio, ipsique consuluisse, ut a tritico abstineret, cum stomachus inde sic adgravandus, et per alvum excrementa non sine foetore sint ejicienda; Adamum vero id non observasse, et propterea, ne coelum, ubi erat paradisus, per excrementa reddatur impurum, inde fuisse in terram dejectum. Vid. Chardin l. cit. Praeterea omnes homines esse peccatis infectos credunt, unde proverbium natum est, *dicitur homo esse filius defectus*, et Muhammedis apophtegma traditur fuisse, *nemo ex natis nascitur, quem tempore nativitatis Satanas non contrectet; quo contactu homo redditur deformis, excepta Maria et Filio ejus*. Vid. Beidavi apud Hottinger. hist. Or. p. 93. et Gelaleddin. ad Sur. III: 36. Sed, Mariam peccato esse eximendam, nusquam in Alcorano traditur. Dicitur quidem Sur. III: 36. mater Mariae in haec verba locuta de ipsa,

ego confugere facio eam ad Te, et prolem ejus a Satana lapidato; ſed nihil aliud intenditur, ac Deum eſſe Mariam a Diabolo, execratione digno, defenſurum. Titulus *lapidati* execrabile quid tantum denotat. Quae enim Veteres execrari volebant, lapidibus obruebant: unde ea nata eſt locutio. Sic in ſacris Meccanis Diabolum, ſolenni ritu, jactis lapidibus, execrari ſolebant Muhammedani. Quod vero ibid. verſ. 42. Angeli Mariae dicunt, *ô Maria! certe Deus elegit te, et puram te fecit,* ipſe Gelaleddin. exponit, *a contactu virorum te puram feci,* alii vero, *ab eo, cujus te Judaei inſimulant.* Sed, ſicut poſtea negarunt Muhammedani peccatum Adami, ita nullum dari peccatum originale cenſuerunt. Virtutem vero partim a Deo dari, partim diſciplina et ſtudio acquiri, ſtatuerunt: vid. Busbeq. l. cit. p. 32.

DE VIA AD SALUTEM, VEL HOMINIS JUSTITIA CORAM DEO.

§. CXVIII. Peccata, ſecundum Muhammed., ablui, et tolli, per frequentes ablutiones et purificationes, tradunt paſſim Chriſtiani, ut Bartholom. Edeſſenus apud Moine l. cit. et in Saracenicis Sylburgii: ſed Relandus ab hoc non tantum errore eos excuſavit, ſed et alio craſſo, quo adſerere dicuntur, omnes, qui inimicos ſuos occiderunt, aut ab illis occiduntur, Paradiſum intrare. Sed illud tantum verum eſt: Muhammedem vitam aeternam iis promittere, qui in *via Dei,* ſeu tanquam Martyres pro fide unitatis Dei, moriuntur, de quo ex variis Alcorani locis abunde conſtat. Sed, ut paulo adcuratius inſtituam, Septemcaſtrenſis de *Moribus Turcarum* c. 20., in Alcorano Bibliandri, adnotat, quatuor diverſas hac de re opiniones inter eos vigere; quarum *prima* eſt, neminem ſervari poſſe, niſi in le-

ge Muhammedis per fidem et opera ab ipso praescripta. *Secunda* habet, legem nihil prodesse, sed omnes per Dei gratiam servari debere, quae sine merito, et lege, ad salutem sufficit: cujus qui sunt opinionis, maxime devoti et humiles in vita sunt. Vid. Pocock. not. Misc. c. 7. *Tertia* eorum est, qui *Meditativi* audiunt, exercitiis spiritualibus dediti, et statuunt, quemque per meritum debere servari, et hoc, sine gratia et lege, sufficere ad salutem: qui ergo in precibus, vigiliis, et exercitiis spiritualibus toti sunt. *Quarta* denique, sed pro haeretica habita, fert; quemque in lege sua servari. Quarum sententiarum tres primae publice proferuntur et ventilantur, sed postrema magis tegitur et occultatur: vulgatior tamen est, per gratiam Dei, et intercessionem Muhammedis, illos salutem consequi, qui fidem unius Dei sartam tectam tuiti sunt, et ritus, a Muhammede praescriptos, observarunt; denique graviora vitarunt peccata, vel ab iis resipuerunt: quo solennes spectant preces, *munda me, o Deus! et animam meam.* Sed nec desunt, qui misericordiam Dei eousque extendunt, ut vitam sit omnibus daturus in inferis, qui habent Intercessorem, uti Christiani, dein etiam qui nullum habent. Vid. Chardin l. cit. p. 83. Denique Abulfarag. adserit, *Morgios*, ita dictos, quod judicium ad resurrectionem usque differant, vel postponant opus fidei, vel aliunde, putare, inpietatem cum fide non nocere, nec prodesse cum infidelitate pietatem; quibus se opponunt Alwaidii, qui fidei desertorem habent, qui grande aliquod commisit peccatum, ipsumque in gehenna perpetuo mansurum, licet veram amplectatur fidem, ita tamen ut poena ejus sit futura mitior: sed alii volunt eos, post aliquod in gehenna tempus, esse per intercessionem Muhammedis liberandos, Vid. Pocock. l. cit. p. 254.

DE

DE STATU HOMINIS POST HANC VITAM.

§. CIX. Cum Muhammedanorum opiniones, satis singulares, hac de re fusius exposuerit Pocock. not. Miscell. cap. VII., brevem earum dedisse conspectum suffecerit. Cum homo moritur, anima et corpus quidem a se invicem separantur sed corpus, sepulchro mandatum, severum in ipso monumento subire debet examen, anima ad tempus redire jussa, ut Chardin et Maraccius observarunt. Duo scilicet Angeli nigri, lividi, et specie terribili, Moncar et Naur, ipsum erectum sedere faciunt, anima praesente, et quid crediderit, quid de Muhammede senserit, interrogant: si recte responderit, placide obdormire, et ossa molliter cubare sinunt; sin minus recte, gravibus malleorum ictibus inter aures ipsum cruciant, ita ut horrendo clamore, quem nec homines nec genii audiunt, dolorem exprimat, dein sub terra, usque ad resurrectionem, arcte comprimunt. Quo ipse Muhammed adludit Sur. VIII. 53. *Angeli percutiunt facies eorum* (infidelium sepultorum) et *dorsa eorum fustibus ferreis, et dicunt iis, gustate poenam combustionis:* ubi vid. Maraccius, et ad Sur. II. 161. Quae omnia ex fabulis Rabbinicis sunt desumta, Vid. Elias Levita in Thisbi, ad voces חבוט-קבר / ut et Buxtorf. in Lex. Talmud. Quo judicio, futuri status praesagio, peracto, animae in statum et locum, ei congruum, deportantur, *Fidelium* aëreo et tenui corpore vestitae usque ad corporis proprii resurrectionem, (credunt enim animam sine corpore nihil posse agere) feruntur in locum fidei et vitae aptum per duos Angelos lucis. Quem locum pro diversis fidei gradibus fingunt esse triplicem, Prophetarum Spiritus directe in Paradisum recipiuntur; martyrum vero apud Dominum suum aluntur. Sur. III: 170. ubi Commentatores tradunt, eos, secundum Muhammedem, versari in vesiculis collorum avium viridi-

um, fructibus paradisi vescentium, et de ejusdem fluviis bibentium, et ea ratione per paradisum quaquaversum volare. De gregariorum vero credentium Spiritibus variae sunt sententiae. Alii putant, eos in sepulcrorum atriis degere, ita tamen, ut libere, quocunque velint, abire possint: qui suam opinionem dictis et factis Muhammedis confirmant, quae exhibet Pocock. l. cit. Adfirmat quoque, quod singulare est, autor *fidei* et *religionis* Turcarum apud Barrow in Bibl. Univers. Clerici tom. X., animam ipsius Muhammedis quoque in sepulcro suo versari, quia, etsi potuerit paradisum ingredi, noluit, antequam fideles sui una introeant. Alii, animas nugantur esse apud Adamum in coelo mundano, Lunae proximo, in *Albirzach*: quae vox proprie dicit quicquid duas res interjectu suo distinguit, et inde simpliciter tempus inter mortem et resurrectionem, vel statum animarum intermedium inter terram et coelum. Alias opiniones de loco animarum mitto, et tantum addo, Sur. XLI: 31. tradi, angelos fore protectores et custodes animarum, adeoque eas in coelis non futuras. Ceterum tribuitur quidem ab Alsharistanio quibusdam Asharianorum opinio, spiritus esse pura corporum accidentia, adeoque cum iis interire, unde forte natum est, quod Polydorus Virgilius de Invent. rerum l. VII. c. 8. adfirmat, animas, secundum Muhammed, non superesse post corpora: sed talem fuisse inter Muhammed. sectam, ab omni abhorret probabili, maxime cum Dahrianis Philosophis, qui mundum autumarunt esse aeternum, tale quid tantum tribuatur, qui Arabum sectam non fecerunt. *Inpiorum* animas alii putant in sepulcris cruciari, alii esse in puteo Borhut, in regione Hadramytica, alii denique, eas coelo oblatas respui, ut foetidas et male olentes, terram quoque eas admittere nolle, adeoque ad terram septimam detrudi in carcerem sub petra viridi, vel Diaboli maxilla, et ibi cruciari. Quem infimum locum vocant *Sachin*. Denique in his locis versari opinantur spiritus vel in laeta, vel in tristi, conditione,

ex

ex praejudicio coeli vel gehennae, adeo ut alii in illa spe laetentur, alii in metu tristentur. Sed notari meretur, Muhammed. tertium adhuc locum et statum adsignare illis, qui, naturalium facultatum defectu, nec bonum, nec malum, fecerunt; quales sunt infantes, fatui, et similes alii, ubi nec bonum sentiunt, nec malum. *Purgatorium*, vel quid simile, statuisse Muhammed., tradunt quidem Missionarii, ita ut animae per quatuor dies sint in loco poenitentiae, sed ejusmodi quid apud eos negat reperiri Chardin l. cit. Forte tamen, homines in judicio ultimo per ignem esse transituros, quae multorum Patrum, ut supra, suo loco, observavi, fuit opinio, et sic purgandos, admiserunt. Vid. autor Relandi, *neminem*, scilicet, *ex fidelibus in igne infernali aeternum manere, sed intraturos in paradisum, postquam poenas dederunt, juxta proportionem peccatorum suorum.*. Sic et in Alcorano Sur. XIX: 68. *et non est ex vobis, qui non sit descensurus ad illam*, (*gehennam* scilicet) *est hoc apud Dominum tuum decretum decisum.* Dein, *liberabimus eos, qui fuerint timorati.*

§. CX. *Resurrectionem* mortuorum, quam firmiter tenent, non tantum, ut aliqui inter ipsos Philosophi, spiritualem, quae animae est propria, sed et corporalem, fore credunt, ita ut animae et propria earum corpora secum rursus uniantur, nec tamen omnium corporis partium respectu, sed earum tantum, quae radicales sunt, et ab initio vitae ad finem usque manent eaedem. Basin vero, et quasi massae compingendae fermentum, ac principium, statuunt sacrum os, vel coccygem, *alodzbo*, h. e. ossiculum ad infimam dorsi partem, quippe incorruptum mansurum; Judaeos imitati, qui de osse Luz idem adfirmant. Quoad modum vivificationis corporis, Deum dicunt de coelo aquam demissurum, cujus virtute germinatura sunt corpora instar olerum, adeo ut ex osse sacro corpus sit surrecturum integrum. Quod a Judaeis quoque sunt mutuati, qui de rore, cui vim tribuunt plasticam, quemque cum semine virili comparant, eodem modo loquuntur. Vid., praeter Pocock. l. cit.,

Millius de *Muhammedanismo ante Muhammedem*, §. 52. Fundant vero rei possibilitatem in Dei omnipotentia. Quaerenti in Alcorano, *quis ossa vitae restituet*, cum putredine fuerint consumta, respondetur, *ille, qui primo illis esse dedit.* Plurima occurrunt in Alcorano resurrectionis documenta; et ubique de ea differitur, praesertim Sur. LXXV., quae inscribitur, *resurrectio*, ubi variae pro eo dogmate proferuntur rationes. Denique non nudos, sed vestibus ornatos, resurrecturos esse, a Judaeis quoque edocti, credunt, et similitudine tritici illustrant. Diem et horam resurrectionis, licet omnibus creaturis ignotam, Deo tantum notam agnoscunt, uti saepe in Alcorano, multa tamen signa statuunt praevia, quae diem illum adpropinquare significant, et in majora ac minora distribuunt, quae exhibet Pocock. Inter quae notari merentur, totalis mundi corruptio, ingentes temporum angustiae, ortus bestiae terrestris inmanis, sicut Judaei de Behemoth garriunt, Antichristi adventus, quem Judaei adoptabunt, Jesus vero interficiet. Jesum enim nugantur in terram descensurum ad partem Damasci orientalem, Muhammedis fidem amplexurum, uxorem ducturum, liberos procreaturum, magnamque adlaturum in terra securitatem ac felicitatem. Bellum vero Christi cum Gogo et Magogo, qui, locum Tiberiadis transeuntes, ad montem usque Hierosolymitanum pervenient, ubi, rogante Jesu, prosternentur a Deo, aliaque multa praetermitto. Praesentis resurrectionis signum erit tubae sonitus, quem triplicem statuunt, primum adpellant *flamen consternationis*, quo sonante, corripiet omnia consternatio in coelo et terra, qua omnia conquassabuntur, aequabuntur, et confundentur; secundum *flamen exanimationis*, quo flante exspirabunt omnia viva, exceptis illis, quos Deus communi fato eripere voluerit, imo Angelos esse morituros; tertium *flamen resurrectionis*, quando universalis erit resurrectio; Angelum autem Asraphelem, qui tuba excitabit mortuos, staturum super lapidem Hierosolymae Sur. L: 40. Inter flamen exanimationis et resurrec-

reſurrectionis ſpatium collocant 40. annorum quod adpellant *Albarzach:* cujus duplicis tubae mentio exſtat Sur. XXXVI: 48, 50. Tradunt etiam de diei reſurrectionis duratione multa, eam fore longam exiſtimantes: dum alibi, Muhammedis et Alcorani autoritate, *mille* annos ei dant, alibi *quinquagies mille*: quibus conciliandis multum inpendunt operae.

§. CXI. Etſi praeter homines reſuſcitandos putent genios et animantia cujuſvis generis, de hominibus commenta eorum protuliſſe ſuffecerit. Eodem ſtatu corporis alibi dicitur eos reſurrecturos, quo ex utero materno in hunc mundum prodierunt, adeoque praeputiatos et nudos, alibi vero, iiſdem, quibus mortui ſunt, veſtibus: quod ut cum ſuperiore concilient, de animae dotibus et operibus capiunt. Ad locum autem judicii ultimi venient in tres ſpecies diſtincti, alii enim pedibus euntes, alii ſuper camelis equitantes, alii faciebus terrae adfixis incedent. Primi ſunt, quorum pauca ſunt opera bona; ſecundi, qui maxima gaudent apud Deum gratia; cujus opinionis veſtigia etiam apud Arabes in eo exſtabant, quod ad ſepulcra camelos, ibi morituros, adligari curaverint, ne in reſurrectione pedibus cogerentur incedere. Vid. Pocock. Specim. hiſt. Arab. p. 134. Tertii erunt infideles, quorum decem erunt genera, quae varias mutata in formas incedent, ut hircorum, porcorum, coecorum, manus et pedes truncatorum, linguas rodentium etc., qui geſtus ſingulorum peccatis reſpondent, ut qui ex. gr., lucro et cupiditatibus fuerunt dediti, porcorum modo et ſpecie incedant. Eruditi vero, et doctores, ut illud unum addam, quorum dictis facta fuerunt contraria, linguas rodent, quae in pectora uſque prominebunt, fluente ex ore ipſorum ſanie, inſtar ſalivae. De *loco* ubi ad judicium ſunt vocandi, nihil habent certi, alii volunt Syriam eſſe, alii autem terram a noſtra alienam; quia forte Script. S. *novae terrae* fecit mentionem. Quare, eo miſſo, de ipſo Judicio, et duobus extremis, eorum opiniones tradere adgredior.

§. CXII. Diem Judicii adpellant diem rationis reddendae; judicii,

judicii, remunerationis, discretionis, ponderationis, separationis, et interrogationis. Judicabuntur non homines tantum, sed et genii, imo animantia quoque, forte ex male intellecto loco Ezech. XXXIV: 21. etc. *Judex* erit Deus, sed intercessorem agente Muhammede, cum illud officium, praeter Mosen et Abrahamum, deprecaturus sit ipse Jesus, clamans tantum, *animam meam liberes.* De *forma* judicii multa habent commenta. Cum ad locum judicii pervenerint, diu ibi sunt sub custodia Angelorum mansuri, secundum alios 40 annos, vel, ut alii, 70, etiam 300 etc. Piorum membra mira fulgebunt luce, sed inpiorum facies omne genus squalore et spurcitie horrebunt; praeterea magnam iis vexationem concitabit inauditus sudor, non tantum ex hominum et animantium ingente confluxu ortus, sed in primis ex solis insolito ad eos accessu. Quod a Judaeis quoque habent. Tum aperientur *libri*, strictumque instituetur examen, ac interrogatio de dictis et factis; unusquisque autem sese pro viribus defendet, ita etiam ut inter animam et corpus acris sit oritura contentio, partibus illis sibi invicem causam miseriae objicientibus: in quo Judaeos etiam habent praeeuntes. Vid. Cod. Sanhedrin cap. 11. Testes praeterea producentur Angeli, et homines, qui una vixerunt; ipsa quoque terra prodet, quid super ea factum fuerit. Post examen, quod citissime oculi ictu celerius fiet, opera ponderabuntur in libra insignis magnitudinis, cum duabus lancibus et examine, quam Gabriel manu tenebit; una autem lanx paradiso, altera gehennae super inpendet. Cum autem opera proprie nequeant adpendi, alii metaphorice capiunt, alii proprie de libris, seu chartis, quibus singulorum opera, bona mala, inscripta sunt, uti Sur. XXIII: 104, 105. Quorum graves fuerint lances, bonis operibus injectis, illi erunt beati, quorum leves, illi animas suas perdent. Vid. et Sur. VII., rursus ad imitationem Judaeorum. Vid. Millius l. cit.

§. CXIII. Ipsum *judicium* in eo constituunt, ut, quae quisque

quiſque fecerit, patiatur lege talionis, ex. gr. ſi quis alteri injuriam fecerit, ipſi tot bona opera detrahantur, quae injuriam paſſo inputentur. Beſtiae vero et animantia, poſtquam vindicta ab ipſis fuerit ſumta, in pulverem redibunt; excepto cane ſeptem dormientium in ſpelunca, aſino Ezrae, et aſina Chriſti, quippe in paradiſum recipiendis. Genios, qui in Muhammedem crediderunt, alii dicunt ad pulverem redituros, alii in locum circa paradiſum ituros. Sed infideles genii cum hominibus infidelibus in ignem ſunt inmittendi. Judicio finito, omnes boni et mali ad ſtatum ſingulis adſignatum tranſire debent per *pontem*, ſuper gehenna ſtratum, et pilo ſubtiliorem, ac acie gladii acutiorem, lateribus obſitis ſentibus et ſpinis; per quem mira celeritate, divina luce illuſtrati, volabunt fideles, ſed infideles delapſi in gehennam praecipitabuntur. Nec tamen omnes talem pontem admittunt, nonnulli etiam e Motazalis pro commento habent, quia inpoſſibile putant, ut incedentium pedes in eo conſiſtant. Denique in gehenna *ſeptem* ſtatuunt gradus, pro totidem hominum claſſibus, ſcilicet credentium in unum Deum, qui poſtea liberabuntur, Judaeorum, Chriſtianorum, Sabiornm, Magorum, Idololatrarum, et hypocritarum: quorum ultimorum erit omnium miſerrimus ſtatus. Omnium vero, qui in unum crediderunt Deum, poenas eſſe finiendas autumant, et gehenna liberandos eos eſſe, poſtquam ad minimum 900 annos, ad plurimum 7000, ibi manſerint, per miſericordiam Dei, vel et interceſſionem Muhammedis, Sur. XIX: 69., ac beatorum.

§. CXIV. Paradiſi, ſive jam exiſtat, ſive adhuc creandus ſit, de quo diſſentiuut, deſcriptio eſt tota carnalis, et paradoxa. Ponte illo ſuperato, antequam in eum ingrediantur, ex piſcina Muhammedis bibunt, cujus aqua eſt melle dulcior, et nive candidior; quod Gentilium nectari reſpondet; ex qua piſcina qui ſemel biberit, in aeternum non ſitiet. Erunt autem in Paradiſo omnia pretioſa, auro et margaritis fulgentia, omne genus deliciae, inmenſa copia

arbores dulcissimos ferentes fructus, inter quas arbor, dicta *tuba* voce Arab., eminet, e cujus radicibus fluvii lactis, vini, mellis, scaturiunt, et inter quas est quoque vitae fluvius. Praecipue in eo esse statuunt puellas, semper virentes, venustissimas etc., in quarum commercio vitae paradisiacae felicitas ponitur. Ut autem hisce voluptatibus sine intermissione, et debilitatione, frui possint, vires inmensum esse amplificandas docent. Ceterum varios beatitatis admittunt gradus. Vid. doctrina Muhammedis ab Hermanno Dalmata versa in editione Alcorani Bibliandri p. I. Pauperum autem erit in paradiso maximum privilegium; secundum celebre Muhammedis effatum, *oculos in paradisum conjeci, et vidi maximam incolarum ejus esse partem pauperes; inspexi gehennam, et vidi maximam incolarum ejus partem esse foeminas.* Nec tamen foeminae Muhammedanae exclusae sunt secundum Muhammedanos; quod nonnulli ipsis falso inputant: ut ex disertis Alcorani locis jam demonstravit Relandus l. II. §. 19. Ceterum infimus incolarum Paradisi est, cui sunt octoginta servorum millia, et uxores septuaginta duae, praeter eas, quas in hoc mundo habuit. Denique vinum, hic vetitum, ibi non tantum licitum, sed ad ingurgitationem usque dandum esse, creditur, absque ut ebrietas inde oriatur. Postremo, ut alia bene multa praeteream, corpora putant repleta sese per sudorem exhalare, seu dulcissimas exhalationes, staturam habere 60 cubitorum, ut fuit Adami, et aetatem esse 30 annorum, semper vigentem, et eandem.

§. CXV. Licet inter Muhammedanos non desint, in primis Philosophi, qui non ad litteram hanc descriptionem capiunt, sed res Spirituales illis phrasibus comprehendi autumant, inter Persas quoque, teste Chardin l. cit. duae sint diversae sectae, quarum una spirituali, altera litterali sensui adhaeret: communis tamen fides Muhammedana habet, delicias corporales in Paradiso locum habituras esse. Quod sicut crassis eorum ingeniis recte respondet, ita ipsi eorum doctores

doctores diserte fatentur, et aliunde confirmatur. Ipsi Muhammedi hoc tribuitur dictum, *unicuique e paradisi incolis datum iri vires centum virorum ad edendum, bibendum, libidinandum, et venerem exercendam.* Quo etiam facit, quod Christianum jurare cogant in hanc formulam: *si aliter fecero, aut promissis non stetero, inter cetera et adfirmabo, reperiri puellas pulchras μεγαλοφθαλμως in resurrectione, et esse in altero mundo voluptates corporeas*, Vid. Pocock. l. cit. Quid? quod autor Muhammedanus apud eundem in *specim. hist. Arab.* p. 292. diserte haeresin pronunciet, si quis aliter ac secundum litteram intelligat. Nec tamen existimandum est, solas corporeas ab ipsis admitti voluptates in paradiso, exclusis spiritualibus deliciis. Dixit enim Muhammed. *praeter haec, quae omnibus sunt communia, esse praeparata alia, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis subierunt;* illudque in eo situm esse declaravit, quod *faciem Dei mane ac vespere* contemplentur; addit, hanc ultimam felicitatem esse summum beatitatis gradum, voluptatem omnium maximam, quae carnalium quoque voluptatum oblivisci faciet. Sic et Algazalius *auctarium* benefacientibus voluptatum ait esse, ut *faciem Dei intueantur*, Vid. praeter Pocock. l. cit., Millius diss. sel. X.

DE PROPHETIS.

§. CXVI. Fundamentalis fidei Muhammedanae cum sit articulus, Deum esse unum, et Muhammedem ejus summum Prophetam: de Prophetis omnino quaedam dicenda sunt, de quo adcurate disseruit Chardin. t. VII. c. 2., et videndus est autor apud Reland. Eos a Deo fuisse missos, credunt, ut novas constitutiones et leges conderent, ut legati Dei essent, utque populum ad legum observantiam adducerent: fuisse autem in universum ducentos et 24 mille, vel, secundum aliam traditionem, centum et 24 mille, quorum 313 Legatorum sunt munere functi, sed sex tantum,

qui novas tulerunt leges, Adamus, Noachus, Abrahamus, Moses, Jesus et Muhammed, eosque esse excellentissimos, attamen Muhammedem praestare omnibus, quem etiam ultimum adpellant, et sigillum prophetarum. Ex quo errasse liquet Volaterranum; qui in *confutatione* legis Muhammed. apud Bibliandrum, tres tantum ab ipsis agnosci prophetas, Muhammedem, Mosen, et Christum, tradit. Summa hos prophetas prosequuntur veneratione, jurant per eorum manes, et, cum aliquem nominant, addunt, *hazereth* h. e. Majestas; ex. gr. *hazereth Ibrahim*, majestas Abrahami. Sed prae omnibus Muhammedem honorant, et continuo licet habeant in ore, *ya Muhammed*, seu ô Muhammed., rogant tamen veniam, quod non satis honorent: adpellant quoque eum *Rouh el hodoush*, seu Spiritum Sanctum, quo titulo etiam Angelos insigniunt, imo ante secula esse creatum censent, eoque sensu *primum* et *ultimum* prophetam.

§. CXVII. Ceterum prophetam esse inpeccabilem putant, tantum minus bonum prae meliore eligere posse concedentes, loca vero Script. S., quibus peccata eorum memorantur, esse interpolata, vel corrupta. Signum veri prophetae secundum ipsos est, cum splendidus radius, caput ambiens, ut Moses pingi solet, quem splendorem adpellant *lumen propheticum*, tum etiam donum miraculorum, sed quod ita exponunt, ut facultatem habeat propheta ejusmodi edendi miracula, quae tempori, quo vivit, sunt adcommodata, adeo ut propheta illis in artibus excellat miraculose, quas homines eo maxime amabant, vel aestimabant, tempore; sicut Moses in Magia, Christus in sanationibus, Muhammed. in eloquentia, cujus specimen dedit in Alcorano. Quam tamen distinctionem autor Relandi non observavit. Praeterea animas prophetarum esse ante Mundum creatas opinantur, et suo tempore in corpora inmitti; praeterea tribus diebus post mortem adsumi in coelum prophetas, ita ut monumenta et sepulcra ipsorum tunc sint vacua, attamen propter contactum corporis prophetae sancta. Adscribunt

bunt quoque prophetis poteſtatem et gubernationem politicam, licet omnes ea non fuerint functi, quia per alios impediti ſunt. Singulare eſt, Perſas de Prophetis Legiſlatoribus ſentire, illam religionem tamdiu ſolam eſſe veram, quae ab ejuſmodi propheta eſt inſtituta, donec novus ſurgat propheta legiſlator, a quo tempore altera illa pro falſa eſt habenda, quippe abolita. Hac ratione Moſis religio duravit uſque ad Chriſtum, ejus vero ad Muhammedem uſque, ſed cujus ſemper obtinebit. Sed autor Relandi addit, Iſlamiſmum ſemper viguiſſe, et Moſen ac Chriſtum in eadem fuiſſe fide, *Deum eſſe unum* etc. Dicitur quoque de Abrahamo Sur. II. ipſum fuiſſe *genuinum Muſlimannum.*

PARS RELIGIONIS PRACTICA.

§. CXVIII. Conſulendi ſunt ab iis, qui pleniorem ejus volunt notitiam, Pocockius de moribus Arabum, Smith. de moribus Turcarum, Busbequius in legation. Turcicis, Alb. Bobovius, ab Hyde editus, de liturgia Turcarum, Chardin. in itiner., qui ad nauſeam uſque prolixus eſt, Maraccius in prodromo ad refutationem Alcorani p. IV., denique Millius de Muhammedaniſmo ante Muhammedem, in faſciculis diſſertationum. Autor Relandi quatuor recenſet capita practica, ſtatam obſervationem precum, eleemoſynae largitionem, jejunium menſis Ramadan, et peregrinationem Meccanam. Quae eadem quoque adfert Abulfaragius de moribus Arabum, ſed praemittit munditiem in extremis corporis partibus ac veſtium oris. Purificationes profecto et lotiones praecipuam in ea religione partem fecerunt. Dictum Muhammedis quoque fuit, *fundata eſt religio in munditie, et mundities eſt dimidium fidei.* Quod Interpretes Alcorani quidem ad internam animi puritatem a ſceleribus referunt, ut Algazalius apud Pocock., Relandus quoque, Muhammedem non exiſtimaſſe, peccata per eas lotiones ablui, probare conatus eſt, ſed licet doctiores et meliores

inter eos ita sentiant, verba a vulgo Muhammedanorum aliter fuisse intellecta, plusquam probabile est, adeo ut summa religionis ea in re fuerit collocata, et sic peccata censita fuerint ablui: ut tradit Bartholom. Edessenus apud Moyne l. cit., dicens, *docuit propheta tuus*, *aqua mundari et ablui morbos animae et corporis.* Vid. etiam Smith. l. cit. Videtur autem autor Relandi, qui purificationes illas expresse inter capita practica non memorat, eas sub titulo *orationis* comprehendisse, cum ad eas proprie pertineant, ut Muhammedis habet dictum, *non accipit Deus preces absque lotione*, et aliud, *orationis clavis est mundities*: quare autor Relandi precibus praemisit lustrationes, quas adcurate describit: ad cujus ductum dabo earum brevem conspectum. Est apud eos duplex *lotio*, alia totius corporis in balneo vel labro, dicta *algaze*, alia partium aliquarum, quae *wodon* adpellatur. Utraque fiebat *aqua*, vid. Pocock. not. misc. c. 9., cujus septem idoneae habentur species, pluvialis, marina, fluvialis, putealis, fontana, rivalis, et grandinea: ita tamen, ut in casu necessitatis etiam admitti possit *pulvis*, quae purgatio arenaria vocatur, sed sub ea etiam reliquas terrae species conplectuntur, ut florem, crocum etc., etiam *lapillum*, Sur. IV: et V: 7. et Barthol. Edess. l. cit. Quod Judaeis quoque in usu est: qui in *Berachot* dicunt, *ubi deficiunt aquae ad lavandum*, *utatur quis pulvere*, *fasciculo*, *vel festucis*.

§. CXIX. In totius autem corporis lotione haec obtinent praecepta, ut adsit intentio, abluantur sordes, et aqua cunctas corporis partes contingat. Alios adhuc addidit ritus Sunna, vel traditio, ut formulae usum *in nomine Dei*, lotionem volarum manus, antequam hydriae inmittantur etc. Fit autem haec lotio ex praecepto propter has sex res, inpuritatem, menstrua, partum, fluxum sanguinis post eum, contactum mortui, et mortem ipsam, quae est cadaveris ablutio. Sed sunt et alia, praeter haec necessaria, quae ex traditione requirunt ablutionem, ad 39 usque, quae Relan-

dus

dus ex MSſ. Perſico recenſet, inter quae, quod tantum memoro, eſt baptiſmus proſelyti, quum quis ſeſe ad Muhammedaniſmum converterit; cui Judaeorum טבילת הגר *baptiſmus peregrini* proſelyti reſpondet. Lotionem vero partium corporis neceſſariam faciunt excreta per alterutram naturae viam, excepto ſemine, ſomnus profundus, defectus intellectus, ſive ex ebrietate, ſive ex inſania aut morbo, et alia ſimilia, quae mitto. Ad rationem peragendae ablutionis, de qua etiam egit Pocock. ſpecim. hiſt. Arab. p. 303., pertinet gargarizatio, ſeu oris ablutio, narium aqua infuſa, purgatio, myſtacis tonſura, capillorum diſcriminatio, dentium fricatio, unguium praeſectio, pilorum axillarum evulſio, raſura pubis, lotio faciei, brachiorum cum cubitis, pedum cum talis etc. Tantum notetur, pudenda, ejectis excrementis, mundari manu ſiniſtra, primum per *lapillum*, deinde per aquam, ſicut veteres Graeci et Romani ſeſe lapillis quoque ſoliti fuerunt abſtergere; uti notum eſt. Vid. Florens Chriſtianus ad Veſpas Ariſtophanis.

§. CXX. Secunda religionis pars eſt *Oratio*, de qua, praeter autores ſupra citatos, pluribus quoque egit Hottinger. hiſt. Eccleſ. t. VII. Adpellatur *Alzalatan*, cujus varias dant rationes ipſi Arabes, ſed a zelo, in precibus adhibendo, videtur nomen ortum, utique *ignis* et ardoris intellectum adfert radix. Maximi autem faciunt preces, et magnifice extollunt, tanquam *columnam religionis*, *qua ſublata ruit religio*, *et clavem paradiſi*, easque faciunt frequentiſſime, uti quinquies de die. Sunt enim ex praecepto preces meridianae, unde diem incipiunt, cum quinque incurvationibus corporis, pomeridianae cum totidem, veſpertinae cum tribus, nocturnae cum quatuor, et matutinae cum duabus incurvationibus. Quae tempora per praecones indicari ſolent, qui, in alta turri ſtantes, clara et maxime ſonora voce exclamant, *Deus maximus*, *non eſt Deus*, *niſi Deus unus*, *et Muhammed ſummus Propheta*, *age! vultum exporrigite ad preces*, *venite ad felicitatem:* quam formulam coelo

credunt demissam, Abulfed. vit. Muhamm. c. 26. Ceterum, ad eas fundendas non necesse est, ut Templa semper adeant; credunt enim, ut Autor apud Hottinger. l. cit. dicit, *Muhammedanorum preces, rite conceptas, ubique esse gratas et acceptas.* Sed extraordinariae, ut die veneris, qui ipsis sacer est, et in jejunio mensis Ramadan etc., fundi solent in Templo Cathedrali, praeeunte propheta, vel sacerdote. *Materiam* precum omnia ad hanc et futuram vitam necessaria constituunt, nec aliquid, sine praemissa oratione, adgrediuntur, uti in bello, in votis, in jejuniis, ut et pro pluvia, et aliis rebus. Precantur etiam pro mortuis, sive ut amorem et communionem testentur, sive ut reproborum poenae minuantur, et beatorum augeatur gloria. *Objectum* precum est solus Deus, et sine imaginibus, nemo alius, ne Muhammed quidem, licet eum pro Intercessore habeant, nisi quatenus in eo actum religiosum edant, putantes, id requiri, ut Dei gratiam inpetrent. Sed hic liquido se non explicant.

§. CXXI. Formam interiorem precum in intentione, intellectu, reverentia, spe, et pudore ponunt, et pro vita ac spiritu precum habent cordatiores. Exteriorem autem absolvunt varii ritus, in precando observandi. Requisita ante preces sunt, puritas membrorum a pollutione alvi, aliisque sordibus, quare ante lavare solent faciem, et manus usque ad cubitum, Sur. V: 7., corporis etiam velatio amictu puro, statio in loco sancto, et non polluto, denique conversio vultus ad *Keblam*, seu Templum Meccanum. Muhammed primum praeceperat, ad morem Judaeorum, Hierosolymam versus esse orandum, sed deinceps anno II. Hegirae mutavit Keblam, et Templum constituit Meccanum, ut Abulfarag. tradit, et Abulfeda c. 26. ubi vid. Gagnier. Vid. etiam Sur. II: 136, 144. Adpellatur *Caba* a forma quadrata, quod Templum jam diu ante Muhammedem sacrum fuerat Arabibus; ut Millius l. cit. quoque observavit. Cum autem Mecca omnibus Muhammedanis in eadem coeli plaga non

non obverfetur, inde eft, quod alii in orientem, alii faciem alio vertant, Perfae ideo ad auftrum, quo forte Euthymius in Saracenicis Silburgii refpexit, ubi, Muhammedem fuis injunxiffe, tradit, ut ad auftrum converfi orarent. Denique praemittere folent folennem doxologiam, *Deus eft Maximus* etc., nec non capitis primi, aut alterius, Alcorani, lectionem. Stant vero, ut de geftibus precantium aliquid dicam, pedibus junctis, et manibus decuffatis, corpore incurvato, eoufque, ut genua manibus contingant: quem geftum Maimonides alibi a cultu Baalpeoris derivat, quo fe nudabant, aut, capite demiffo, ut ipfe refert, obfcoenas corporis partes adtollebant. Sed quam incurvationem mox excipit erectio, cum hac formula: *Deus exaudit illum, qui eum laudat.* Sequitur tunc *προσκύνησις adoratio* prona, qua fe fternunt genibus innixi, ita ut frontem et manus terrae admoveant: fed interponunt rurfus feffionem, ut myfteria cultus fui eo rectius meditentur: quando confeffio additur, *non eft Deus, nifi ipfe Deus, et Muhammed eft Legatus Dei*; etiam falutatio pronunciatur, ut, *faluto te, ô Muhammed! et vos Angelos; gratia et benedictio Dei fit fuper vobis.* Alias, longe plurimas, minutias in illis ritibus obfervari folitas, apud citatos autores obvias, mitto, ne prolixior fim.

§. CXXII. Tertiam religionis partem abfolvunt *eleemofynae*, quas vehementer extollit, et ftudiofe commendat Muhammed., ut Sur. II: 43, 178. et ubique. Memoratur quoque ejus dictum in Mff. Perfico Relandi, *eleemofynae opum veftrarum funt acceptio precum veftrarum* etc., *qui prohibet eas, in ignem inferni conjicietur.* Volunt quoque, eas nomine *Zacat* infigniri; quod facultates augeant, quodque gratiam Dei et Paradifum mereantur. Sur. III: 133, 134. et XXX: 39. Alio nomine veniunt, Hebr. צדקה et Gr. *δικαιοσύνη* refpondente, licet illud fpontaneis erogationibus proprium fit; cum prius nomen denotet paffim inperatas, et lege definitas. Verbum enim זכה *zaca* fignificat cum *augere*, tum etiam *mundare*, et juftificare: augeri enim, etiam purgari et

justificari, censentur opes per eleemosynas. Sed sunt eleemosynae apud eos verius *tributa*, quae pendere debent, quam largitiones charitatis. Sunt enim decimae solvendae de pecoribus, uti camelis, bobus, ovibus, de pecunia, auro et argento; de frugibus, plantis, et mercibus. Requisita vero sunt, in genere, ut quis sit Muhammedanus, liber et sui juris, dominus quoque et legitimus possessor; praeterea ut res, de qua dandae sunt decimae, excreverit ad certam quantitatem, ex. gr. ex 40 denariis unum dant: quantitas alicui adesse debet 200 denariorum, antequam obligetur, et tunc quinque debet dare: debet quoque per annum in potestate habuisse. Alias constitutiones praetereo, illud addidisse contentus, requisitam fuisse intentionem dandi eleemosynas, si placiturae et meriturae sint.

§. CXXIII. *Jejunium*, quarta religionis pars, ingentis habetur valoris, et porta dicitur religionis, ac paradisi, inprimis solenne illud Mensis Ramadan, quo ineunte mense aperiuntur portae paradisi, et occluduntur gehennae, ut Algazalius inquit, quare qui eo moriuntur certo censentur salvari. Sed illud de externo illo jejunio non tantum intelligunt sapientiores, verum ad Spirituale extendunt: triplex enim statuunt jejunium, *communiter* sic dictum in corporis a complendis voluptatibus abstinentia, *proprie* dictum, quo quis corporis membra a peccatis avertit, *maxime proprie*, quo animus a rebus mundanis et vilibus abstrahitur; quo respectu dicunt, *multos inter jejunandum vesci*, et *inter vescendum jejunare*. Intelligunt vero per jejunium, communiter dictum, de quo hic agimus, abstinentiam a cibo, potu, venere, etiam ab intentione vomendi, ut autor Relandi inquit. Durat autem ab aurora tantum usque ad noctem, et noctu licet hilariter vivere, indulgere voluptati et veneri. Sic Sur. III: 188., *concessa est vobis nocte jejunii conjugalis accessio ad uxores vestras — — — et comedite et bibite per totam noctem, donec adpareat distincte vobis filum album a filo nigro in aurora.* Vid. etiam de la Valle in Itinerario

rario p. I., ubi ſolenniſſimum menſis Ramadan deſcribit jejunium, additque, illos de die dormire ſolere, ſub veſperam eſſe in orationibus frequentes, noctu deliciari, et convivari. De die autem ita religioſe abſtinent, ut ne reliquiis quidem, dentibus adhaerentes, fas ſit manducare, nec uxores oſculari, imo os ſaepe obſtruant in via, ne pulvis quidem ingrediatur.

§. CXXIV. Sunt autem eorum jejunia vel *obligationis*, vel *conſilii*, et devotionis. Prioris generis ſunt menſis Ramadan, et jejunia voti ac poenitentiae. Omnium celeberrimum eſt ejus Menſis, a Muhammede in memoriam Alcorani eo tempore dati, inſtitutum Sur. II. Eſt vero nonus Menſis Arabum, 30 diebus conſtans, ſunt enim Menſes eorum Lunares, et ſemper in aeſtatem incidit, unde quoque nomen traxit, nam radix dicit *ferbuit* ardente ſole dies. Adpellatur etiam menſis poenitentiae, ut obſervat Ebno'l. Athir apud Gagnier ad Abulfed., qui cap. 26. refert, anno Hegirae *ſecundo*, eſſe inſtitutum jejunium. Durabat quamdiu Luna adparebat, et ea ratione, qua dixi, celebrabatur. Vid. de la Valle l. cit. et Smith de moribus Turcarum, qui addit, ultimum menſis diem a nonnullis devoveri luctui, et naeniis ob defunctos parentes et amicos, quorum ſepulcra etiam viſitant, et pro iis preces fundunt. Sunt ad hoc jejunium omnes obligati, quotquot mentis ſunt compotes et puberes. Infantes autem ſunt liberi, licet pueros octennes per unum aut alterum diem jejunare faciant, ut adſueſcant. Aegroti quidem, et qui in itinere ſunt, ab eo ſunt inmunes, ſed pro eo tantum tempore, cum poſtea ad eundem dierum numerum ſint obſtricti. Alia *devotionis* jejunia, quae autor apud Chardin. recenſet, praecipua ſunt, quae in ſacros incidunt menſes, ut, praeter Ramadan, Resjeb et Schaban. Sed decimus dies menſis Moharram ſolennis valde eſt, et jejunio dicatus, inde dictus Ashura, reſpondens diei expiationis Judaeorum, qui etiam *decimus* eſt, et עשור dicitur, unde Muhammed videtur

detur sumsisse, ut refert Alkazwemus apud Pocock; sed Albazarius ibid. usum ejus jam antea fuisse apud Arabes adfirmat. Muhammedem vero ab Arabibus jejunandi consuetudinem repetiisse, haud obscure innuitur Sur. II: 148. *scriptum est super vos jejunium, quemadmodum scriptum fuit illis, qui fuerunt ante vos.*

§. CXXV. Mecca, ad quam instituitur *peregrinatio*, quae *quinta* est religionis pars, urbs est antiqua, inter montium ardua sita, ex lapidibus et luto exstructa, quae in sui medio habet magnum oratorium, dictum *alharam* h. e. asylum, vel locum sacrum, tecto carens: in cujus medio est domus tecto operta, quae vocatur *alcaaba*, a forma quadrata, juxta latus orientale jacet lapis niger in angulo portae, et ad partem australem est locus inclusus 50 cubitorum, qui lapidem continet album, pro Ismaelis, filii Abrahami, sepulcro habitum. Haec vero domus *alcaaba* fertur fuisse Adami, diluvio quidem diruta, sed ab Abrahamo et Ismaele renovata. Accuratam qui urbis et Templi velit descriptionem, adeat Pocock. specim. Hist. Arab. p. 122. et Asseman. Bibl. Orient. vol. IV., ubi etiam de lapide Meccano egit. Dirigitur vero, ob hanc antiquitatem et celebritatem urbis et domus, eo peregrinatio, et non, ut vulgo putatur, ad sepulcrum Muhammedis visitandum, quod non est Meccae, sed Medinae: fuitque cerimonia illa diu antea Arabibus usitata, imo a Deo credita Abrahamo inperata, a Prophetis usurpata, et ab ipso Jesu Christo, et ideo a Muhammede retenta. Vid. Pocock. et Millius, locis cit. Adpellatur peregrinatio *alhagta*, a rad. חגג *celebravit festum, in orbem ivit*, apud Hebr., et apud Arab. *contendit aliquo*, peregrinatus est. Ritus, in hac peregrinatione observari solitos, pluribus descripsit Bobovius lib. cit., quorum generalem brevibus dabo conspectum.

§. CXXVI. Peregrinationem instituturi in animo habere debent, se religionis causa id facere, ad urbem Meccam cum pervenerint, antequam ingrediantur, moram trahunt paulisper

paulisper in monte Arafat, prope Meccam, ubi se invicem exspectant, vestes mutant, et se lavant, et dein se in valle Mina redunt. Mox, in urbem properantes, recta petunt Templum, et septies illud circumeunt, priores tres circuitus concitato passu, et agitatis humeris, celerrime peragentes, ut se alacres in certamine Dei ostendant futuros. Sequitur tunc cursus inter Safan et Mervane, vicinos Meccae montes, in quibus precari solent. Quid porro singulis diebus Mensis Dilhazjae, quasi mensem peregrinationis dicas, quo fit peregrinatio, peragatur, Relandus adcurate enarrat. Die septima habetur concio, et ritus sacrificandi docetur. Dies octavus est potationis ex puteo Meccano, et tunc in vallem Mina tendunt, ubi morantur ad orationem matutinam diei *arafat*, qui est nonus, quo in monte *Arafat* orationes fundunt. Dies decimus maxime festus est, et dies sacrificiorum, quo oves mactant, quarum partem dant pauperibus, et reliquas partes cum amicis comedunt. Quod tamen veri nominis non est habendum sacrificium, quale nullum est apud ipsos: ut recte quoque advertit Maraccius in prodromo p. III. Solent vero tum summo mane ibi projicere lapillos, ut, sicut dicunt, se aversari et odisse Diabolum, demonstrent, idque faciunt ad imitationem Abrahami, qui Diabolum ipsum in cultu suo, quo Filium offerebat, turbantem lapidibus, ut putant, fugaverat. Sed cum lapides retro jaciantur inter crura sub genitalibus, alii a cultu Veneris ritum derivant, quia Venus illis partibus maxime dominatur. Vid. Vincentius Bellovacensis in *speculo historiali* cap. 20. Ceterum, ipsum Muhammedem omnia illa, in ultima sua et valedictoria peregrinatione, observasse, tradit Gjabarus, apud Gagnier ad Abulfed. c. 60. Praeter hanc solennem peregrinationem alia in usu est, *visitationis* Meccanae nomine nota, quae qualibet anni tempestate fieri potest, et aliis peragitur ritibus. Quod verbo suffecerit tetigisse.

§. CXXVII. Horum rituum, qui praecipui sunt eorum, et

capitales religioſi, nullam, praeter beneplacitum Legiſlatoris ſui, norunt rationem, nec eam anxie ſtatuunt inquirendam. Repetiit quidem rationes Abu-Sjafar Ibn Tophail, in vita Hai Ibn Johdan, quem librum Arab. et Lat. edidit Ed. Pocock., A. L. M., a celeberrimo illo Pocockio diverſus, ab eo, quod Muhammedes ſimilitudinem corporum coeleſtium exprimere voluerit, adeo ut lotiones ad corporum illorum puritatem reſpexerint, peregrinatio et Templi circuitus ad eadem, continuo in orbem ſe vertentia etc. Sed haec nullam merentur adtentionem. Supereſt, ut de *temporibus* ſacris, ſeu cultus publici circumſtantiis, verbo moneam. Praeter varia feſta, quae Chardin et Smith recenſent, dies Veneris ipſis eximie ſacer eſt, et religioſo honoratur cultu, Sur. LXII: 8. Quo die mercatura, aliaque negotia, ceſſant, et ad preces conveniunt: quare iſte dies adpellatur *comgnata*, quod tunc fiat *congregatio;* ornant quoque multis encomiis inter alia *principis dierum.* Cujus inſtituti ratio non eſt a fuga Muhammedis, acſi eo die contigiſſet, repetenda, ſed a moribus Arabum antiquorum, qui Venerem colere ſolebant uſque ad Heraclii Inperatoris tempus: teſte Damaſceno de Arabibus. Ex quo itaque male paſſim colligitur, Venerem fuiſſe a Muhammedanis cultam.

§. CXXVIII. Inter ritus eorum miſcellaneos, ad quos pergo, locum 1. tenet *circumciſio*, cujus, licet nulla in Alcorano fiat mentio, ſunt tenaciſſimi, dicto quoque Muhammedis prolato, *circumciſio ritus eſt viris neceſſarius*, *foeminis honorabilis*, cujus meminit Pocock. in ſpecimine hiſt. Arab. Nec tamen eodem tempore circumciduntur, quo Judaei, ſed inter decimum, et decimum quintum vel ſextum aetatis annum, Iſmaelis ad exemplum, qui anno 13*mo* legitur circumciſus. Habent autem hunc ritum ab Arabibus et Aegyptiis. *Iſmaëlitae, qui Arabiam incolunt*, inquit Origenes Philocal. c. 23. *omnes circumciduntur anno decimotertio aetatis.* Cenſent vero, non ante ritum illum eſſe adhibendum,

dum, quam fidem profiteri possint celebri illa formula: *la Illahillalah, Muhammed resul allah, non est Deus, nisi Deus ille, Muhammed legatus Dei.* Solent quoque foeminas circumcidere, per incisionem nymphae, quod adpellant *botraton*; ad exemplum Arabum et AEgyptiorum, de quibus illud vel ex Strabone l. XVI. et XVII. constat. Cedrenus de Muhammede dicit, *docuit eos, ut mares et foeminae circumciderentur.* Celebrant quoque diem circumcisionis magna hilaritate et pompa, habentque eam pro signo Muhammedanismi, ita etiam, ut, qui e Christianis ad eos transeunt, circumcidi debeant, qui saepe arte aliqua elabi conantur. Vid. Smith. l. cit.

§. CXXIX. 2. *Vini* praeterea usu suis severe interdixit Muhammed. Sur. II: 119. *interrogabunt te de vino et alea; responde, in utroque est peccatum, et utilitas hominibus, sed peccatum utriusque majus est.* Imo Sur. V: 99. inter opera Satanae refert, et abominationes adpellat: ubi Jahias adnotat, *prohibetur hic vinum absolute, sive multum sit, sive parvum, sive inebriet, sive non:* sed Gelal, alius commentator, censet, *nimium vini usum, et inebriantem,* tantum vetari: quae receptior est opinio. Vid. Maraccius ad locum. Interdictionem vini coelitus esse anno 4to Hegirae demissam, tradit Abulfeda c. 35. Sed Muhammedani in hoc interdicto observando non adeo sunt religiosi, ut Smith et Busbequius referunt, qui posterior addit, cum semel gustaverint vinum, eos sine scrupulo ad ebrietatem usque pergere, quia sive minimum sive plurimum bibant, idem manet peccatum, et eadem poena. Lepidum quoque memorat exemplum senis alicujus CPolitani; qui, antequam vinum biberet, magnos edebat clamores, quibus animam volebat commonitam, ut in corporis angulum secederet, ne vino contaminetur. Persas vero sine ullo scrupulo vino uti, narrat de la Valle, qui, suo tempore ejus usum fuisse a Rege Persiae sub mortis poena per totum regnum prohibitum, refert; causam praebente, ut credebatur, morbo regis periculoso; inde a

rege

rege repetito, quod vinum contra legem Muhammedis publice permisisset.

§. CXXX. Ecquae fuerunt tam singularis interdicti rationes? Muhammedani, referente Busbequio, commenti sunt, Muhammedem, convivarum hilaritate observata, benedixisse vino, tanquam ejus caufae, sed, cum postridie atrocis pugnae eorum vestigia deprehendisset, ex ebrietate orta, vinum prohibuisse. Alia exstat fabula in *doctrina* Muhammed. ab Herm. Dalmata versa, in editione Alcorani Bibliandri, de duobus Angelis Arot et Marot, in mundum missis, vinoque in mulierem incalescentibus, et ideo punitis. Quod vel ex opinione veterum de Filiis Dei, Gen. VI., vel ex concubitu Lothi, vino madidi, cum filiabus, vel aliunde, potuit esse fictum. Sed viri Docti veterum existimant a Muhammede vinum, vel propter noxia ejus effecta, et ut ad bella essent paratiores, vel ad imitationem nonnullorum Veterum, qui vinum pro effectu mali daemonis habuerunt, sicut de Philosophis orientalibus constat, et de Encratitis, Gnosticis, Manichaeis, et aliis, Vid. Jablonski in Pantheo AEgypt. l. II. c. 1. Quid? quod ipse Ephraem Syrus Oper. Syr. tom. II. p. 371., vinum adpellet *fel draconum* ex Deut. XXXII: 33. Ipse Muhammed in duobus Alcorani locis de vino, tanquam noxio, et opere Diaboli, quoque loquitur quidem, sed, cum illud facere potuerit, ut eo magis absterrerentur a vino, origo interdicti nondum in aperto est; nec ob noxia effecta vinum magis, quam alii populi, aeque militares, ac disciplinae studiosi, prohibere necesse habuisset, et si vinum natura credidisset malum, ac mali daemonis effectum, ejus usum in Paradiso non concessisset, ut videtur. Etsi itaque ob lites, rixas, aliaque incommoda, abstinentiam a vino adprobaverit, origo videtur aliunde repetenda, potestque ex patriis gentis suae moribus ab antiquissimis temporibus, haud inprobabiliter, derivari. Saraceni utique, teste Ammiano Marcell. l. XIV. c. 4., a vino abhorrebant. Quod de Nabataeis Arabibus, ex quibus sunt,

Saraceni,

Saraceni, quoque refert Diodor. Sicul. l. XIX. Vid. Cl. Wesseling observ. lib. II., qui Rechabitarum et Kenaeorum, ejusdem forte originis, instituta huc quoque contulit.

§. CXXXI. 3. Habent quoque cum Judaeis commune, quod a carne suilla valde abhorreant, sed illud diu ante Muhammedem Arabes quoque fecerunt, ut Sozomen. H. E. VI: 38. Hieronym. ad Jovinianum l. II: c. 6. et Solinus in Polyhist. c. 33. testantur. Abstinent quoque ab idolothytis, sanguine, et suffocato, ex lege Muhammedis Sur. V: 4. excepto necessitatis casu; ut ibid. additur. Praeterea canem, tanquam inpurum, detestantur, ut Arabes apud Relandum, et Busbequius, aliique, diserte tradunt, quo tamen non obstante, non tantum nullo adficiunt malo, sed et curant, ac victum parant, teste Smitho. Ex quo elucescit, quam falso tradat Euthymius Zigaben., illis licitum esse, edere *canes*, *lupos* etc.

§. CXXXII. Quod denique ad moralis doctrinae eorum capita, et mores ipsos, adtinet, 1. Jurant etiam per creaturas, uti per coelum, solem, et lunam, Sur. XCI: 5. per stellam Sur. LIII: 1. per alias res inanimatas Sur. LII: 2. Temerarium et falsum juramentum, modo intentio desit, et animus nocendi, pro veniali peccato, eleemosyna, aut pecunia, facile expiando, habent: Sur. V: 98. ubi Gelal videatur. Sic cum quis juraverit, se cum uxore nolle rem habere, frangere potest intra spatium quatuor mensium Sur. LXVI: 2. *jam sanxit vobis Deus dissolutionem juramentorum vestrorum* etc. Qua ratione Judaeos et hic fuerit imitatus, ex Matth. V. et XXIII., ac aliunde, liquet. Est ceteroquin juramentum apud eos religiosum, quo intercedente foedera sanciunt, et jus dicunt. Quo fini ignem solent accendere, et salem in eum conjicere ac sulphur, ut, perjurum tali poena esse dignum, indicent: quod ab Arabibus quoque repetendum est, ut Millius l. cit. quoque observavit. Fit etiam juramentum tacto Alcorano, et in familiari commercio per veritatem quatuor librorum,

rum, Mosis, Psalmorum, Jesu, et Muhammedis, ut Smith epist. II. tradit. 2. Muhammedis doctrina de Polygamia habet, quatuor duci posse uxores, Sur. IV: 3. sed, ut rixae vitentur, unam debere esse ingenuam, reliquas ancillas, magis subjectas; a qua tamen doctrina in moribus dissident Turcae. Vid. Gagnier ad Abulfed. p. 150. Ceterum concubinarum liberis eundem tribui honorem, idem esse in haereditatem jus, ac genuinis natis, refert Busbequius, qui addit, justam uxorem sola dote a concubinis distingui, cum servarum nulla sit dos. Vid. et Smith epist. II. Septemcastrensis vero, de moribus Turcarum, narrat, duodecim legitimas licite haberi uxores, et ancillas, quot quis velit. 3. Divortium quoque, more a Judaeis ducto, permissum est, ita tamen, ut duabus vicibus repudiare liceat uxorem, et resumere, si tertia vice fiat, non liceat, nisi postquam alii nupserit, et ab eo sit repudiata, praeterea, ut dos ei reddatur, et liberaliter dimittatur, Sur. II: 230. et V: 18. Uxor repudiata non potest, nisi post tres menses, ab alio duci, Sur. II: 229., et uxori rarius licebat a marito discedere; subinde tamen permissum erat, ut Busbeq. et Smith tradunt. Denique 4. sicut apud Judaeos valde contemnuntur aleatores, pro furibus habiti, ita Muhammedani religiose ab *alea* sibi cavent, Sur. II: 219., sive ab omni lusu, quem fortuna censetur dirigere, quare a *schakiludio* non sunt alieni, modo lucri causa non fiat. Vid. Hyde de *ludis* Orientalium et *schakiludio.*

§. CXXXIII. De Christianis licet aequiores leges sanxerit Muhammedes, ut supra observavi, Turcae tamen vulgo eos, et magis adhuc Judaeos, magno prosequuntur odio, cum religionis suae sint studiosissimi. Commercium cum ipsis censent esse pollutum, nec Templorum suorum aditum ipsis permittunt. Vid. Smith. et Busbeq., qui etiam observat, iis adhuc majori esse aversationi Persas. Postremo, licet virtutem studiose soleant commendare, et vitiis obviam ire, sint quoque religiosi valde, et externis honestis

moribus

moribus praediti, de quo vid. Hottinger. hist. Orient. l. l. c. 5., grassari tamen inter eos vitia injustitiae, rapacitatis, ac libidinis, testantur Itineratores. *In Turcia*, inquit Smith, *si alicubi terrarum, justitia prostat venalis.* Per pecuniam et largitiones ingenia Turcarum fera, et a reliquis aversa gentibus, tantum mitigari, et tractabilia fieri, tradit Busbequius, qui etiam addit, occulta flagitia minus curari, sed manifesta gravissime puniri. Turcas fidelitate et virtute Christianis longe esse inferiores, testatur quoque Maundrell. in Itiner. p. 183. Quod tamen aliqui tradunt, foedus cum infidelibus licitum esse frangere, falsum est: ut Relandus p. II. §. 26. jam docuit. Pudicitiae denique uxorum sunt valde studiosi, adeo ut eas teneant conclusas domi, nec exire sinant, nisi pannis adeo involutas, ut spectra et larvae potius videantur; ut Busbeq. et Smith tradunt. Scortatio et adulterium severe puniuntur, illa per centum verbera, hoc per lapidationem.

FUNDAMENTA ISLAMISMI.

§. CXXXIV. Islamismo in lucem protracto, operae pretium fuerit in fundamenta, quibus innititur, inquisivisse. Cum libros sacros Judaeorum, et Christianorum, adsumant, in illis varia exstare debere loca, ad Muhammedem pertinentia, quoque credunt, non tantum, quod eventus tam singularis, qualis est Muhammedanismus, silentio non potuerit censeri involutus in verbo Prophetico, sed in primis, quod Muhammed in Alcorano saepe ad Scripturas S. provocet, et de se eas esse locutas adserat, absque ut homines ejus temporis contradixerint. Quod ultimum falsi facile convincitur, cum statim ac Alcoranus in publicam venerit notitiam passus sit hanc contradictionem; num ipsi Muhammedi sese aliquis hac parte opposuerit, prae defectu monumentorum, non adeo liquet. Tantum refert Thalebiensis ad Sur. IV: 165. ex Ebn Abbasi, celeberrimo autore, prima-

tes Meccanos adserere, se Judaeos de illis vaticiniis consuluisse, et responsum tulisse, nihil de Muhammede in libris sacris exstare. Proferre tamen solent Muhammedani varia Vet. et Nov. Testamenti loca, quae ad Muhammedem spectare putant, et plura antea exstitisse censent, quae sublata credunt aut corrupta a Judaeis vel Christianis: de quo supra monui. Nonnulla ex. gr. recensebo, ut, quam mirifice ea torqueant, adpareat. Vid. Maraccius in Prodromo; p. I. Deut. XXXIII. et Hab. III. *Dominus de Sinai venit*, scilicet ad legem Mosi dandam, *de Seir ortus est nobis*, scilicet in typum traditionis Euangelii, Christus enim fuit ex *Seir*, seu Galilaeae urbe Nazaret, vel Seir est montanum Hierosolymitanum, secundum Alsharestanium apud Pocock. p. 183., *adparuit de monte Paran*, nimirum cum Muhammedem misit; Paran est mons Meccae, vel Mecca ipsa. Hac ratione haec effata exposuit Ahmed filius Abdolhalimi. Argumentantur porro ex benedictione Ismaeli facta Gen. XXI. a quo, cum Abrahamo, Templum Meccae censent aedificatum. Sic, quae de multiplicatione seminis etc. promissa sunt Abrahamo, ad Ismaelem adplicant. De Hagare multa magnifice praedicant, et de Ismaele Dei promissum ita legunt ac intelligunt: *Ismael suscepi orationem ejus, et benedixi in illo, et crescere illum feci, et multiplicavi numerum illius in Filio, qui erit ei, cujus nomen Muhammetus, erunt 92 in computu, educam duodecim reges ex semine ejus, et dabo illi gentem multam numero.* Ubi Gen. XVII: 20. *legitur multiplicabo ipsum* במאד מאד *valde valde*, cabbalistica arte ex vocibus illis extundunt numerum 92, quem septem illi characteres Hebr. habent, et transferunt ad nomen *Mohammed*, eundem numerum adferens. Praeterea Deut. XVIII. per prophetam, ibi promissum, intelligunt Muhammedem, cum ex Israele non amplius surrexisse Prophetam, instar Mosis, dicatur c. XXXIV. Ipse quoque Ps. XLV. *speciosus forma prae filiis hominum.* Ps. XLVIII. quoque de Muhammede et Mecca interpretantur, et מהלל *laudatus, celebratus*, comparatur

paratur cum nomine Muhammed. Adplicant quoque ad eum Pſ. LXXII. de Salomone. Denique, ne plura congeram, cum haec ſpeciminis ergo ſufficiant, Pſ. L: 2. *ex Tſione* מכלל יפי *Deus ſplendens adparuit*, ubi Syr. habet, *e Tſione coronam glorioſam Deus oſtendit*, בליליא משבחא / Arabes legunt *allilam mahmudan*, *coronam laudatam;* ſed quae vox in Arab. verſione non exſtat. Ex Novo Teſt. unum alterumve tantum adferam. *Paracletum*, a Chriſto promiſſum, Muhammedem eſſe, dicunt, ut ſupra jam notavi, ſed dictum Chriſti Joh. XIV. *venit princeps mundi*, *et in me non habet quicquam*, mirifice torquent, et ad Muhammedem adplicant; ita ut Chriſtus voluerit, in ſe non eſſe quicquam illius divinitatis, quam homines ipſi tribuunt, demonſtrandum eſſe a Muhammede, principe illo mundi, qui unum profitebitur Deum. Alia multa, aeque inepta, mitto, ut et vaticinia, a variis hominibus, paulo ante Muhammedis nativitatem, vel manifeſtationem, de Ipſo prolata, quae Maraccius recenſet, duo portenta verbo tetigiſſe contentus. Quorum alterum eſt *lux* prodigioſa in vultu Adami ad omnes Iſmaelis poſteros propagata, quae in Muhammede conſtitit, uti refert Albocharius in *libro ſplendorum;* alterum eſt daemonum ex orbibus coeleſtibus expulſio, tempore Muhammedis, per flammas et exhalationes, quae ſtellae volantes, vel cadentes, adpellantur. Cujus prodigii mentio eſt Sur. XXXVII. et LXXII.

§. CXXXV. Quod ad *miracula* adtinet, quae novi prophetae miſſionis ſolent eſſe ſigna, nulla a Muhammede fuiſſe patrata, ex Alcorano manifeſtum eſt. Infideles enim, ad aliquod ſignum, ab ipſo edendum, provocantes, repellit, variis productis rationibus, quare id non faciat. Quae rationes huc fere redeunt. 1. Miracula non ſunt neceſſaria, quia fides eſt donum Dei. 2. Moſes et Chriſtus ſatis miraculorum patrarunt. 3. Sunt, teſte experientia, fruſtranea, cum infideles per ea non ſint converſi, adeoque judicium eorum tantum per ea adgravetur. 4. Ratio a Deo

exigi non debet, quare non edat, qui solus potest. 5. Ipse ad miracula facienda non est missus, sed tantum ad unius Dei fidem, ac virtutem, promulgandam, nec non ad fidelibus felicitatem paradisi promittendam, et infidelibus gehennam denunciandam. Quae rationes variis in locis Alcorani prostant, uti Sur. III: 182. VI: 7, 33, 35, 105, 120. X: 20, 99. XIII: 8, 28, 31, 37. XVI: 44. XVII: 60, 93. XIX: 50. XX: 134. XXI: 5., et alibi. Producunt quidem aliqua loca Alcorani Commentatores, in quibus mentio fit *signorum*, ut Sur. II: 98. et XXXVII: 12. Sed versus tantum Alcorani intelliguntur, qui *ajaton*, אותות *signa* adpellantur: ut supra observavi. Memoratur quoque Sur. LV: 1., *Lunae scissio*, sed quae diem judicii ultimi praecedet, ut aliqui commentatores agnoscunt, non itaque aliquod Muhammedis miraculum: licet postea miraculum scissae Lunae, et montis inter illas partes visi, inde effinxerint, ut refert Abulfaragius. Proferuntur et alia ex Alcorano, sed quae portenta tantum comprehendunt, tempore Muhammedis, ut narratur, facta, vel visiones sunt, ipsi adtributae, ut iter nocturnum coelum versus. Sed haec unius Muhammedis nituntur testimonio, nec pro miraculis, coram oculis omnium factis, haberi possunt.

§. CXXXVI. Sed, etsi Muhammed ipse, nullum a se editum esse miraculum, declaret in Alcorano, ejus tamen adseclae aliqua ipsi adtribuunt, absque ut doctiores eorum inde argumentum ad divinam ejus missionem sumere velint, cum iis minus fidant, et praecipuum miraculum, fidei faciendae sufficiens, statuant esse Alcoranum: de quo supra dixi, Vid. Abulfarag. de *moribus Turcarum* sect. I. et Hottinger. hist. Orient. l. II. c. 5. Sunt autem miracula, quae proferunt, passim vana et futilia, nec ullum fundamento fidei historicae superstructum est; quare aeque facile repudiantur ac narrantur. Memorat Abulfaragius Lunae fissuram, quo respici censetur cap. 54. Corani, sed forte fuit eclipsis Lunae, et ex loco cit. patet, Arabes illud signum sprevisse,

praeterea,

praeterea, arborum ei obviam euntium processum, quod a lapidibus fuerit salutatus, aqua inter digitos ejus scaturiverit, turbam multam exiguo cibo saturaverit, ipsi adgemuerit trabs, apud eum conquestus sit camelus, denique, quod ovis assae armus ipsum de veneno, quo infectus erat, admonuerit. Scilicet, cum expugnasset urbem Chaibar, foemina aliqua Judaea ipsi ovem veneno infectam obtulit, cujus cum frustulum accepisset, et manducatum ore exspuisset, dixisse fertur, *narrat mihi haec ovis se veneno esse infectam*; a quo tempore vim veneni in se semper est expertus, indeque mortuus. Vid. Abulfed. vit. Muham. c. 45., qui etiam alia miracula, similis furfuris, in fossa Medinae effodienda, memorat c. 38. Plura recenset Maraccius l. cit. Imo Abu-Ahmed Gennabrensis, autor inter Muhammedanos celebris, refert, ipsum *mille*, alii tria millia, ut Ebn-Aly in vita ejus, patrasse. Ill. Grotius de *veritate* relig. Christ. l. VI. mentionem quoque fecit columbae, ad aurem ejus advolantis; sed cujus Arabes ipsi nunquam meminerunt.

§. CXXXVII. *Vaticinia*, pro signis quoque prophetarum haberi solita, quae in Alcorano reperiuntur, sunt tantum generalia, ex conjecturis ac prudentiae regulis petita, quaeque Muhammedanismum magis extollunt, quam futura contingentia praedicunt. Sunt ex gr. de propagatione Muhammedanismi, Sur. IX: 1. XXIV: 53. XLVIII: 31. de praestantia Alcorani, a nemine imitanda, Sur. II: 22. XVII: 91. de inimicitiis et odiis semper inter Christianos futuris Sur. V: 15. de Judaeorum ignorantia et perpetua repudiatione, Sur. III: 110. V: 70. eos nunquam mortem esse exoptaturos, Sur. II: 93. ubi maximum dicitur miraculum, quod Deus eos a morte concupiscenda evocaret. Porro Romanos fore Persarum victores, Sur. XXX: 1. Meccanos fore se inferiores, Sur. LIV: 46. Sed aliae referuntur praedictiones, a Muhammede factae, ab earum autoribus postea excogitatae, sed non nisi post eventum; manifesto indicio,

eas ex eventu esse ortas; quae de singularibus agunt rebus, et fatis, cum in Alcorano tantum generales exstent, a quibus proferendis abstineo, videri possunt apud Maraccium l. cit.

§. CXXXVIII. Denique ipsius Muhammedis testimonio, de missione sua divina, quippe in re propria, et ab homine fanatico ac ambitioso profecto, tanquam exigui, aut nullius, valoris, misso, eo magis, quod nudum sit, et nullo superstructum fundamento, ad Muhammedanismi propagationem, et stupendum ejus ac subitaneum in orbe progressum, in quo sese maxime fundare solent, teste etiam Septemcastrense l. cit. c. 9 et 11., pergo, ut ejus rationem, absque ut divinae originis sit signum, pandam; quae ad statum Christianismi, et regnorum, seu populorum, hujus temporis conditionem, praeterea ad modum propagationis Muhammedanismi, adtendenti, facile sese offeret. Christianismus utique veram suam naturam inmutaverat, et in superstitionem, morumque corruptionem, degeneraverat, in varias sectas distractus erat, et mutuis odiis ac vexationibus flagrabat; a vero publicae rei studio, et virtute bellicâ, multum desciverat. Religio vero Muhammed. ex omnibus istius temporis religionibus ac opinionibus ea ratione erat conflata, uti mox patebit, ut in eam facile viderentur coadunari posse; et homines, carnis magis quam spiritus studiosi in re religionis, in ea sibi complacere potuerint. Sed praecipua incrementi causa in armis et bellis quaerenda est, quorum fuerunt studiosissimi, et peritissimi, in disciplina militari valde occupati, ut Busbeq. tradit. Vid. et Relandus diss. miscell. X., de jure eorum militari. Fuerunt etiam ad ea omnibus modis excitati, ex principio quoque salutis et omnigenae felicitatis. Gladium esse clavem coeli dixit Muhammed, eosque, qui in bello pro religione occiduntur, martyrii coronam, et vitam paradisiacam consequi, declaravit, uti Sur. II: 149. X., et alibi saepe. Fuit quoque per arma ubique terrarum haec religio intro-

introducta, ut mox narrabo, et potuit eo facilius, quod Graecorum et Perſarum regna, quae ſola obicem ponere poterant, fuerunt per inteſtinos motus et mollitiem fracta: ut nemini non ex hiſtoria notum eſt. Sed ad incrementum ejus etiam haud parum contulit aviditas poſſidendi ſervos, rapiendi Chriſtianos, eoſque promiſſis ac vi ſubjiciendi Muhammedaniſmo. Servi autem eorum ſunt vel aere emti, vel bello capti, et Mamluci adpellantur, Vid. Hottinger. l. cit. et Smith. epiſt. II. Ceterum, ut id obiter obſervem, licet Muhammedani inperio cum religione propagando intenti ſemper fuerint, perſecutoribus, ſolius religionis cauſa, non ſunt adcenſendi, cum omnibus libertatem ſub tributi conditione, modo ſeſe quietos teneant, relinquere ſoleant: ipſe Muhammed in Alcorano omnem violentiam prohibuit.

ORIGO MUHAMMEDANISMI.

§. CXXXIX. Cum divinae miſſionis, et revelationis, quam Muhammed praetendit, et unde origo Iſlamiſmi a Muhammedanis repetitur, nullum ſit, niſi valde ſubleſtum, fundamentum, in ſolius Muhammedis teſtimonio poſitum, eoque nulla ratione, nullo ſigno, ſive miraculis, ſive praedictionibus, aut de ipſo, aut ab ipſo prolatis, munito, ipſa quoque fides et religio eorum nihil divini ſpiret, ut ex modo dictis eluceſcit, ipſe denique Muhammed, quippe illiteratus, mercaturae adſuetus, et libidini ac rapinis deditus, ex propria penu eam depromere non potuerit, in veram ejus originem merito inquiritur, quae ſeſe adtendenti ad convenientiam inter eam et religiones, tunc vigentes, haud difficulter prodit. Uſus autem eſt Muhammed doctoribus aliis, qui ipſum inſtruxerunt, ut hic illic in Alcorano quoque, ut ſupra obſervavi, innuitur. Sic ex. gr. Meccani Sur. XVI: 103. introducuntur, ipſi objicientes, *profecto docet eum homo*: ubi Gelal. adnotat, *erat hic Cain Chriſtianus*, *cujus*

cujus aedes Muhammed frequentabat. Celebratur etiam Magister ejus Bahira, monachus Bosrensis in Syria Damascena, Nestorianus, de quo supra dixi. Vid. Georgius Monachus in dialogo cum Abusalama, Principe Arabe. Desumsit autem Muhammed ex religionibus, tunc dominantibus, Judaeorum, Sabaeorum, et Christianorum, quarum mentio fit in Alcorano, nec non Koreiscitarum, ex quorum tribu erat, quae maxime placebant, et inde suam religionem concinnavit. Quod cum a Pocockio, Hottingero, novissime a Millio, libris supra citatis, aliisque, satis sit erutum, et illustratum, summa rerum capita tantum perstringam.

§. CXL. Koreischitae, nobilissima Arabum tribus, ut ait Beidavius ad Sur. III: 165., prae reliquis Arabibus erant cultus Dei studiosissimi: qui, ut tradit Faik in MSS. apud Millium, jactabant, *nos sumus populus Dei, non sumus sicut reliqui homines, non egredimur e circulo Dei,* scilicet Templi Meccani. De Deo quoque et ejus cultu rectius ceteris differebant. Habebant quidem idola sua, de quibus Pocock. et Hottinger., locis cit., consulendi sunt, sed minorum Deorum loco, summo Deo subjectorum. De attributis Dei multum sunt philosophati, crediderunt esse genios et Angelos, et futuram esse resurrectionem mortuorum. Erat quoque Templum Meccanum apud Arabes a longo tempore celebratissimum, quo peregrinationes institutae sunt, et preces directae. Denique varii ritus, ut circumcisionis, ablutionum, lapidum projectionis in valle, et alii, ipsis in usu fuerunt. Attamen in doctrina de uno Deo, rejectis sociis, omnibus idolis et imaginibus, de vita post hanc vitam, de resurrectionis modo, et judicio ultimo, de Alcorano increato, ejusque sanctitate summa, de traditionibus, aliisque ritibus religiosis, de creatione, Angelis, daemonibus, homine, multa cum Judaeis habent communia, a quibus etiam varias ablutiones, jejunia, preces, et alia, derivarunt, ut supra suis locis observavi. Fabulae denique Rabbinicae passim, et ubique, sese produnt. Recte itaque statuitur, Muhammedanam

medanam religionem originem suam debere Judaismo. Fuit autem ingens Judaeorum copia in Arabia, incoluerunt munitissimam et opulentissimam urbem Chaibar, multi Meccae et Medinae erant. Vid. Abulfed. c. 45. et ibi Gagnier. Frequens denique eorum fit mentio in Alcorano, licet passim minus honesta, ne cum Judaeis, a quibus tam multa receperat, videretur colludere. Adpellat eos, ex. gr., Sur. II: 105 et III: 63. *populum*, seu familiam, *libri*, quod legis litterae tam pertinaciter adfixi erant, etiam *infideles* Sur. III: 89., quod nec in Christum, nec in se, crederent, quodque loca de Muhammede agentia corruperint, vel decurtarint, quare eorum maxime hostem se declaravit. At enim quae de Christo, ejusque actis, et religione, habet, sumsit, ut supra vidimus, a Christianis, quorum haud exigua ibi quoque fuit copia. Ebn Calican tres Arabum tribus Christianas memorat, Bahra, Tanuch et Taglab. Sic et Taitae in Provincia Naged Higjazi erant Christiani, teste Abulfeda de *Arabum tribubus*, qui etiam in *Geographia* tradit, Arabiae Regem, in urbe Hirae sedem habentem, dictum Almondar, Christianismum esse amplexum. Interea fuerunt illi Christiani maximam partem Nestoriani, vel Eutychiani: ex quorum nimio contra Nestorianos zelo hausisse videtur Muhammed, quod Christum per Mariam tantum transiisse dicat, absque ut ex ea aliquid acceperit, Christum quoque passum esse neget. Christiani Catholici quippe Mariam urserunt esse Deiparam, eamque mire extulerunt, et Eutychiani veram carnem vulgo censiti sunt Christo eripuisse. Denique multas phrases, et parabolas, ex Novo Test. transumsit. De Sabaeis quidem restabat agendum, sed cum illud paucis fieri nequeat, nec alia ab iis habuisse Muhammedem constet, quam quae Judaeis etiam conveniunt, hac opera supersedeo, et ad Hottingerum, D'Herbelotum, Hyde, Prideaux, aliosque, remitto, hujus rei studiosos.

ORTUS ET PROGRESSUS MUHAMMEDANISMI.

§. CXLI. Muhammed, poſtquam ſeſe ab anno aetatis 38*vo* ad opus, quod in animo habebat, praeparaſſet, ſolitariam degendo vitam, ſeſeque in lectione ac meditatione exercendo, ut ſanctitatis et commercii cum Deo famam conſequeretur, ſeſe anno 40*mo*, ut ſupra in ejus vita narravi, Legatum Dei nuncupavit, et ſectae privatim promovendae triennium inpendit. Quo temporis ſpatio in partes ſuas traxit, primum Chadigam uxorem, dein, miniſtrum ſuum Zayd Ebn Hareth, et tertium Ali, nepotem ſuum, filium Abutaleb, avunculi ſui, licet alii eum Zaydo praeponant, ipſe quoque Ali ſeſe ſemper primum venditaverit. Ab aliis Abubeker, Muhammedis ſucceſſor, cui quartus competit locus, pro primo habetur, Abulfed. c. 8. Hujus exemplum brevi ſunt quinque alii ſecuti, adeo ut novem principes civitatis habuerit adſeclas, quando Legati Dei perſonam publice adſumſit, inſtituto quoque Veziro ſuo Ali, ut refert Abulfeda: quae prima eſt Vezirorum conſtitutio. Vox illa proprie denotat *bajulum* onus ferentem, inproprie *conſiliarium*, inperii adminiſtratorem, ſub Rege vel Principe, Ali vero in Veziratu caruit ſucceſſoribus. Sed ann. 132. Hegirae, qui eſt aer. Chriſt. 749. regnante Merwado, ultimo Ommiadarum Calipha, Vezirus religionis renunciatus eſt Abumoſlema, quem alii exceperunt, donec ſub Turcarum dominio ad eam elati ſint, quam nunc habent, dignitatem. Poſtquam duos annos publice praedicaverat Muhammed, ſecta ad triginta novem adſeclas crevit, inter quos viri opibus et dignitate conſpicui fuerunt, uti Hamza, unus e patruis ejus, et Omar, litterarum peritus, Abulfed. c. 9 et 10. Quo incitati progreſſu Koreiſchitae, et irritati, eum perdere ſunt adgreſſi, ſed inpediti ab Abutalebo, avunculo ejus, licet nomen ei nondum dederit. Narrant quidem

Arabes,

Arabes, apud Pocock. specim. hist. Arab. p. 172. aliquos ejus socios, his motibus permotos, aufugisse in terram Al-habasha, seu Habessyniam, seu Aethiopiam, ad Regem Al-nagjashium, quod nomen idem est ac Almelec, seu rex, ad quem ipse Muhammed scripsisset. Exules porro, instituta coram Rege disputatione, fidem Muhammedanam ipsi persuasisse; vid. Abulfeda c. 11., sed cui narrationi tuto fidere non licet. Ceterum, cum Abulfeda tradat, eos per mare navigantes se eo contulisse, Aethiopiam intelligi, non Asianam, sed Africanorum, manifestum est.

§. CXLII. Cum vero, Abutalebo defuncto, Meccenses in Muhammedem vehementius insurgerent, confugit ipse Medinam, tunc Jetrib dictam, ubi bene est receptus, cum paulo ante fidem Islamiticam adoptassent Medinenses. Venerant enim ad ipsum viri septuaginta tres et foeminae, sese ipsi tradentes, ex quibus duodecim electos Apostolos Medinam misit, qui multos converterunt, Abulfed. c. 17., et Elmacin. Hist. Sarac. Adpellati sunt praecones illi Medinenses *Ansarii*, seu *adjutores;* fuerunt vero non Christiani, qui Islamismum susceperunt Medinae, ut nonnullis visum fuit, sed Arabes idololatrae, ex tribu Chazregutarum. Vid. Gagnier ad Abulfed. l. c., Pocock. specim. hist. Arab. p. 41. Incidit haec Muhammedis fuga Medinam in annum aetatis ejus 51*mum*, aer. Chr. 622., et aeram Muhammedanam peperit, quae *Hegira* adpellatur, ab Imaro institutam, cum Meccenses antea aera Elephantina, et belli inpii, fuerint usi. De quo vid. Prideaux in vita Muhammedis. Exstruxit porro ibi aedes proprias, et Templum, et, quod probe notandum, nova via Islamismum ab eo tempore propagare coepit. Cum enim hucusque prophetam et doctorem sese praestitisset, variisque fatigatus esset Meccae disputationibus, absque ut notabiles fecisset progressus, ad arma et bella animum adplicuit, eo magis, quod propriam, et sibi addictam, nactus esset civitatem Medinam, et spe dominatus in orbe erigendi sese lactare coeperit, ambitioni litans.

Videtur itaque antea religionem tantum reformare, spiritu fanatico ductus, in animo habuisse, sed nunc, ejus praetextu, vel et religionis suae propagandae, quam veram credidit, ac idololatriae, inter gentiles non tantum grassantis, sed et Christianos quoque, ut putabat, destruendae, studio ductus, inperium aliquod novum in mundo condere in animum induxisse. Quo fini omnes de fide et religione disputationes severe prohibuit, bellum tanquam unicum medium commendavit, omnibusque in eo occisis paradisum promisit.

§. CXLIII. Gessit ipsemet Muhammed varia bella, nec eadem semper fortuna, verius latrocinia. Primum, quod ipsi praeclaram conciliavit famam, est Badrense, quo Koreischitarum caravanam diripuit, reportata victoria ann. Hegirae 2*do*, teste Abulfeda, c. 27., qui hoc, et reliqua bella, fuse enarrat: vid. et Elmacinus. Sed in praelio Ohodensi, in monte Ohed prope Meccam, inferior discessit, ipse aegre elapsus, Abulf. c. 31. Quare Abu-sofien, dux infidelium Meccensium, clamasse fertur, *bellum varios habet successus, praelium Ohodense successit Badrensi.* Sed Muhammed, dominatum armis quaerens, solenniter est inauguratus, sub arbore a. Hegirae 6*to.*, quae, aquarum fluxu sublata, cito periit. Dein ann. 8*vo* occupavit Meccam, occasione a Meccensibus praebita, ut praetendit Muhammed. Cum enim pactum cum ipso initum fregissent, saltem ex opinione Muhammedis, ipse cum 10 millibus Muslimorum eos adgressus est, et Mecca se in ejus fidem tradidit, exceptis paucis, quos interfecit. Brevi post sibi universam fere Arabiam subjecit, latius propagaturus inperium, nisi mors ipsum abstulisset, anno Heg. 11*mo*, ut supra narravi. Stupendum plane post ejus mortem habuit Muhammedanismus incrementum fere continuum, usque ad Aaronem Calipham, qui ann. Hegirae 193., aer. Chr. 808. mortuus est: quando inperium varie est distractum, et labefactatum.

§. CXLIV. Successor ejus Abubeker primus est, qui cum Romanis,

Romanis, seu Graecis, bellum gessit, occasione captata, quod, ut Sigebertus refert, milites Saraceni fuerint ignominiose a spadone Heraclii tractati, in distribuendis donativis, et spreti. Quam injuriam ut ulcisceretur Calipha, quatuor misit in Syriam et Palaestinam Duces, Amiraeos dictos: quales Muhammed instituisse fertur, ut Principes sint et Satrapae urbium, vel provinciarum, Caliphae subjecti. *Chaliphae* nomen, a חליף *substitutus* fuit, successit, competit successoribus Muhammedis, qui divinis praesunt rebus et humanis, et *Amiraei* est ab אמר *dixit*, *jussit*, et praecepit, quod satrapis est datum sub Calipha. Omar vero, qui ipsi post biennium successit, inperium longe lateque promovit, adpellatus propterea eximie *Emir Elmuraminim*, h. e. princeps credentium; unde Graeci corrupte fecerunt *Miramolinum*. Cepit Damascum et Phoeniciae provincias, ipsi AEgypto tributum inposuit, Hierosolymam post biennii obsidionem occupavit, exstructo etiam ibi delubro. Quem casum acerbe deploravit, et tanquam corruptionis invalescentis vindictam divinam consideravit, Zacharias, Patriarcha Hierosolymitanus, in exilium abductus, in epistola ad fideles suos ibi relictos, in Bibl. M. P. vol. XII. Praeterea Palaestinam subjugavit, Syriam, cum ipsa Antiochia, sibi subjecit, denique totam Mesopotamiam, et Alexandriam AEgypti. Imo Persicum regnum fere destruxit, occupata Medaina, in qua thesauri regis erant, usque ad ter millies mille millia aureorum. Hic, licet tantus heros, suorum dolo est occisus, cum 10 annos praefuisset, a. Heg. 23., aer. Chr. 643.

§. CXLV. Sub Ostmanno, successore ejus, primam susceperunt in Africam expeditionem, eamque tributariam fecerunt, Cyprum etiam invaserunt cum 1700 navibus, et subjugarunt totum quoque regnum Persicum. Quid? quod in ipsa Sicilia jam sedes fixerint, cum Olympius Roma adversus eos narratur profectus. Praefuit et ipse ann. 10. Sed post ejus mortem scissi sunt, causa successoris in ejus


locum. Arabes enim et Persae elegerunt Alim, Syri vero et AEgyptii Maviam, qui Damasci posuit regni sedem. Unde schisma inter Persas et Turcas originem habuit, cum Persae Alim pro vero et unico successore Muhammedis agnoscant, quem mirifice extollunt. Sed Ali brevi est per contrariam factionem e medio sublatus, una cum filio ejus Chusano, ita ut Mavia successerit. Quo regnante Africa bellis, varia fortuna gestis, fere vastata est, Sicilia sub jugum missa, ipsa CPolis septem annorum passa obsidionem; non tamen expugnata, Saracenis, adhibito etiam igni Graeco, repulsis. Praefuit ann. 26, usque ad a. Heg. 61., aer. Chr. 680. Sub Abimelecho vero, seu Abdulmelicho, qui Izid, Maviae filium et successorem excepit, universa Africa in eorum potestatem est redacta, Carthagine quoque deleta, ita ut ditiones eorum jam fuerint usque ad Visigothorum confinia extensae. Regnavit annos 21, usque ad Heg. 87., aer. Chr. 705. Walid, successor ejus, qui ad a. Heg. 57. aer. Chr. 715. praefuit, totam fere Hispaniam subjugavit, et Soliman, frater ejus, in ipsas penetravit Gallias. Deinde Izidt, aliquis successorum, Galliam Narbonensem occupavit, capta etiam Norbona. Sed, cum Tolosam adgrederetur, ab Eudone, strenuo illo Gallorum Duce, victus, fugatus, et caesus est a. Heg. 103. aer. Chr. 721. Sed frater ejus Hizjamus inperium valde dilatavit. Post mortem vero Aaronis inperium Saracenicum varie fuit scissum, cum quod duo exorti sint Caliphae, alter Bagdadensis, alter AEgyptius, tum Praesides Provinciarum, uti in Africa, Hispania, et alibi, jugum excusserint, adeo ut valde fuerit debilitatum, et deletum fuisset, nisi Christiani nimis ignavos se praestitissent, nec Turcae sec. XI. fuissent exorti, qui illud contra eos tuiti sunt, et Turcicum condiderunt inperium. De quo cum hic non sit agendi locus, summariam Turcarum dedisse, per anticipationem, notitiam suffecerit.

§. CXLVI. Turcae, vel potius Turcomanni, vi nominis Nomades, agrestiorem vitam degentes, origine sunt Scythae,

thae, et ejus quidem regionis, quae inter Tanain et Rha fluvios intercurrit media. Quorum jam meminit Herodot. l. IV. c. 22., ubi Scythiae populis accensentur Ιυρκαι, qui a Mela l. I. c. 19. *Turcae* vocantur. Hi cum essent bellicosi, a Graecis aeque ac Saracenis saepe in auxilium sunt evocati; sicut Heraclius a. 626. fecisse narratur. Caspiis portis apertis, secundum *historiam miscellam*, contra Persas; sed rectius per Caucasias portas censentur admissi, cum ad septentrionem Caucasi montis habitarint, nec contra Persas, sed, bello contra eos confecto, contra Agarenos, ut tradit Otto Frisingensis. Postea vero, dubio marte cum Saracenis congressi, Iberiam, seu Georgiam, vastarunt a. 764. sub Constantino Copronymo, ut habet *historia miscella*. Denique sec. XI. cum evocati essent a Muhamede, Inbreelis filio, Persiae et Mediae rege, contra Indos et Babylonios, et, bello cum Babyloniis confecto, nolentes a Rege ad bellum cum Indis retinerentur, arma contra ipsum sumserunt, eo eventu, ut totam occuparint Persiam, sub duce Trangolipix, seu, ut Hyde docuit, proprie Togrulpich, cujus filius Axanes, vel, ut Joh. Scylitzes, et Zonaras, eum adpellant, Asmones, aut verius Selguch, ut Panvinius, bellum Graecis intulit, quos in praelio cum Diogene, eorum rege, ad internecionem fere delevit, ann. 81*mo* sec. XI., a quo tempore totam occuparunt Asiam, sede regni posita Iconii et Nicaeae. Contentione dein inter Turcas de summa imperii exorta inter Axanem et Cutlumusem, nepotem ejus, res per summum eorum pontificem ita est composita, ut Axanes haberet Persiden, Cutlumuses Asiam inferiorem.


§. CXLVII. Denique, ut illud obiter subjungam, Tatari, Scythiae quoque populi, ad ortum maris Caspii, in Persiam, Armeniam, et Asiam irrumpentes, Turcicum illud regnum fere devastarunt, ortumque dederunt terribili Osmanidarum, seu Turcarum proprie sic dictorum, inperio sec. XIII. Scilicet Ertucules, Turca Asiaticus, vel Parthus, Tataros fugiens, venit ad Aladinum, Turcarum Sultanum Iconiensem,

niensem, suamque virtutem ipsi adeo comprobavit, ut post ejus mortem, partem regni fuerit adeptus. Hujus filius est celebratissimus iste Osman; qui regnum illud fundavit, quod adhucdum durat, cujus historia recte petitur ex Annalibus Turcicis, a Leunclavio, cum supplemento et notis, editis. Conditum autem est sub finem sec. XIII*tii*. Ceterum Tatarorum regnum fundavit Zingiz Chan, qui tamen Euphratem non transiit, quod dein fecit Hulacu; sed famam longe lateque propagavit deinceps potentissimus omnium Temurlenc, h. e. *claudus*, vulgo Tamerlanes, ipsius Bajazethis, cognomento Gilderuc, h. e. *fulminei*, celeberrimus victor, a. 99. sec. XIV.



SECULUM OCTAVUM.

SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CXLVIII.  Rimus Graecorum, hic memorandus, est *Germanus*, primum Cyzici, dein CPolitanus Episcopus et Patriarcha, in locum Johannis, depositi a. 715. Cyzici adhuc Episcopus, quia subscripsit, ut Philippici Inperatoris, acerrimi Synodi VI. adversarii, inpetum vitaret, *Oeconomiae Silentii*, quae fidem quidem continebat Orthodoxam, sed phrases Synodi VI. silentio premebat, labes Monothelismi ipsi est inmerito inusta. Imo Patriarcha CPol. ordinatus, mox, Synodo habita, Monotheletas nominatim condemnavit, et duarum voluntatum ac operationum fidem stabilivit; teste autore *libelli Synodici*. Cum vero deinceps Leoni Isauro, qui imaginum cultum volebat e medio sublatum, sese nimis flagrante studio opponeret, Patriarchica domo, non sine conviciis et pugnis, ejectus, jussu Inperatoris, deposito Episcopatu, in monasterium secessit, a. 730, cum annos 14, et quod excurrit, sedisset. Vid. Stephanus diaconus CPol. in *vita Stephani junioris*, in Analectis Gr., seu monument. Cotelerii tom. IV. et Theophanes, ac Cedrenus in *compend. hist.* Hujus viri supersunt tres Epistolae pro Imaginibus in Actis Synodi Nicaen. II., nec non *tractatus* de sex Synodis Oecumenicis, a Moyne in Var. Sacr. editus: ut et forte de *retributione*

legitima, contra Origenis opinionem, de *restitutione* omnium creaturarum in integrum, quo Gregorium Nyssenum ab ea opinione defendit esse liberum. Excerpta ejus dedit Photius. Adtribuuntur quidem ipsi *orationes* de Cruce, a Gretsero editae, et varii *sermones*, in laudes Mariae, ad insaniam usque superstitiosi, ut in Mariae *fascias* et *zonam* in *manipulo rerum CP.*, et alii similis generis tractatus, a Combefisio publicati: sed quorum autor est longe recentior Germanus, qui sec. XIII. vixit, ut a Gretsero, et aliis, satis est comprobatum. Quod idem de Theoria ejus, seu allegorica expositione Missae, ac rituum sacrorum, statuendum est, quam nonnulli nostro Germano male vindicant.

§. CXLIX. Misso *Cosma* juniore, primum Monacho, dein Episcopo Majumae, cujus celebre est nomen in hymnis et carminibus Graecis componendis, unde *Melodi* nomen ei adhaesit, qui etiam cum Johanne Damasceno *canones*, seu *cantica sacra* et *troparia*, antiphonatim canenda, primus in Ecclesiam Graecam introduxit, nec non *Andrea Cretensi*, Damasci nato, dein Diacono CPol., tandem Archiepiscopo Cretensi, cujus exstant aliquot sermones, in primis panegyrici, a Combefisio editi, in *auctario* Bibl. P., non spernendi, quoad doctrinam et officia moralia: cognoscendus prae reliquis omnibus est *Joh. Damascenus*, cujus longe celeberrimum est nomen, et scripta scopo nostro utilissima sunt. Damasceni nomen ipsi patria peperit, alias a familia et gente Mansur adpellatur, nomine Arabico familiae ejus proprio, Damasci enim, quae Arabiae contermina, et Calipharum sedes erat, lingua Arabica a longo erat usitata; denique Chrysorrhoas ob eloquentiam dictus fuit. Parentem habuit Sergium Mansuri, Quaestorem generalem Principis Saracenorum, et ipsi Caliphae Abdolmelecho familiarem. Vid. Theophan. ad ann. 6tum Justiniani Rhinotmeti, et ex recentioribus le Quin ad *vitam Damasceni*, qui majores ejus etiam a perduellionis crimine in Heraclium liberavit. Educatus in domo paterna, et institutus a Cosina Monacho, una cum illo, cu-

jus

jam modo memini, qui, e Calabria profugus, propter Saracenorum infestationes, secesserat Damascum, poësios et musices peritiam, qua excelluit Johannes, hausit. Mortuo Patre, non eodem tantum, sed majore adhuc, mactatus est honore a Saracenorum Principe; adeo ut, eum πρωτοσυμβουλον *primum a consiliis* fuisse, tradat autor vitae ejus. Cum vero Leo Isaurus bellum indixisset imaginibus a. 726., Johannes inter alios pro illis strenue dimicavit, nonnullis scriptis epistolis ab a. 727, aut 728., quarum tres, *orationum* nomine, supersunt, in principio istius belli scriptae, antequam Episcopi Orientis anathema pronunciarint in Inperatorem, ut le Quin, ad vitam Johannis, et in monito, orationibus praemisso, observavit. Sed sintne orationes illae Johanni nostro adscribendae, non sine ratione dubitat Dupinius, et negat Oudinus, qui legi meretur. Narrat praeterea autor *vitae Johannis*, Leonem Isaurum, ipsi, ob imaginum nimiam defensionem, offensum, effecisse, ut in malae fidei suspicionem venerit apud Saracenum, eo cum effectu, ut manum ipsi amputaverit, sed quam Maria, sua intercessione, reddiderit integram. Quo factum fuisset, ut in monasterium Laurae Sabae, haud procul Hierosolyma, se contulerit. Quae tota narratio fabulam sapit, uti Spanhemius hist. Imaginum sect. II., jam probavit, nec inprobabile est, Johannem Clero Hierosolymitano ante fuisse insertum, et vitae monasticae nomen dedisse, quam Leo se imaginibus opposuit: quod ex oratione ejus de *Mariae adnunciatione* jam collegit Le Quin. Ceterum, praeter has orationes, alii ejus libri pro imaginibus non supersunt. Oratio enim adversus Constantinum Copronymum, seu Caballinum, post Synodum Copronymianam a. 754., quae ejus nomen praefert, spuria est, ut ipse Le Quin in *praemissa admonitione* fatetur. Denique, ut vitae ejus historiam absolvam, Presbyter Hierosolymitanus a Johanne Patriarcha factus, teste autore vitae ejus, ultimam vitae partem in Palaestina, et Laura Sabae exegit, post ann. 754., et ante Synodum VII., defunctus. Vita ejus

quae exstat in Oper. ejus ex editione Le Quin, conscripta est a Johanne, Hierosolymitano Patriarcha, sed non sine fabulis, qui postremis Nicephori Phocae temporibus refertur vivus a Saracenis combustus, quod eum autorem habuerint futurae invasionis Nicephori in regnum suum.

§. CL. Inter opera ejus, quae novissime cum eruditis Dissertationibus, et Notis, edita sunt a Le Quin, ordinis F. F. Praedicatorum, eminent Libri quatuor de *fide Orthodoxa*, *de Haeresibus*, *et Parallela*, quorum primi sunt dogmatici, secundi generis historici, et tertii morales. In libris de *fide* praecipua doctrinae Christianae capita tractat scholastice et systematice, 1. de Deo, Trinitate, et vicinis materiis 2. de Creaturis et creatis 3. de Incarnatione Christi, in primis de duabus in Ipso naturis, et quaestionibus eo pertinentibus, 4. de sacramentis, cultu et ritibus religiosis. Sunt hi libri ad praecipua fidei dogmata, quae tunc in censum venerunt, cognoscenda, summae utilitatis, et ad opiniones Veterum intelligendas. Singulare vero est, quod de satisfactione Christi, gratia, bonis foederis gratiae, Oeconomiis foederum, et praedestinatione, parum vel nihil in illis reperiatur. *Parallela*, in quibus de rebus Divinis, humanarum rerum statu, virtutibus et vitiis, disseritur, contexta sunt ex Script. S. locis, et Patrum testimoniis, vel eo nomine utilia, quod nonnulla Veterum monumenta hic tantum sint conservata. Scripsit praeterea scholia in Epistolas Pauli, sed quae nihil fere praeter epitomen Chrysostomi continent, nisi quod Theodoreti, et Cyrilli Alex., scrinia subinde compilaverit. De haeresibus denique, et contra eas, ut Monothelit., Manichaeorum, et aliorum, multa scripsit. Ceterum Johannes, Criticae ignarus, falsa et vera secum permiscuit, fabulosis narrationibus, et spuriis operibus, facilis credidit, quod tamen cum multis Veterum habuit commune. Praeterea tricis dialecticis nimium indulsit, et subtilibus suis distinctionibus, divisionibus, et definitionibus, viam ad Theologiam scholasticam stravit, teste

Dialec-

Dialectica ejus. Attamen, praeterquam quod multum lucis eo adspeferit Veterum opinionibus, facilem sese ea in re ac perspicuum praestitit, quo nomine *Dialecticae* lectionem commendare ausim. Sed paradoxum est in Johanne, quod ad perfectionis apicem contenderit, non tantum singulari erga eucharistiam reverentia ac devotione, sed et ardentissimo in Deiparam studio; ut ex homiliis ejus asceticis ineditis observavit Le Quin ad *vitam* ejus. De opinionibus vero Johannis postea suis locis exponam.

§. CLI. Cum plures Graecorum alicujus nominis non supersint, ad Historicos et Chronographos pergam, postquam verbo dixero, hujus quoque seculi, et non sequentis, esse *Theodorum Abucaram*, Carae, vel Carrhae, Episcopum, cujus opuscula primus edidit Gretserus ad calcem Hodegi Anastasii. Sed aliqua quoque sub nomine Theodori Hagiopolitani, seu Antiocheni, a quo tamen noster diversus est, Canisius Antiq. Lect. t. II. p. II., ubi Basnagius opusculum ejus addidit de *unione et incarnatione*, ab Arnoldo Norinbergensi primum editum. Sed omnia illa parvi sunt momenti. Primum inter Historicos locum tenet *Georgius*, Tarasii Patriarchae CPol. σύγκελλος *Syncellus* h. e. concellaneus, cellae particeps, secretorum conscius, conscientiae arbiter, et negotiorum ac studiorum socius, a *cella*, et sacrario, adpellatus concellaneus, et ἀπὸ τῆ κελλίῳ σύγκελλος *Syncellus*. Quorum Syncellorum illustris erat hoc tempore dignitas, ita ut in Patriarcharum locum saepe successerint. Interfuit Synodo Oecumenicae VII., et magno ornatur elogio ab Anastasio in Praef. hist. Eccles. Scripsit vero *Chronographiam* ab Adamo usque ad Diocletiani tempus, morte impeditus ulterius perducere. Edidit, ipso teste, hoc opus a. 792. Vid. Theophanes in principio historiae. Comprehendit haec Chronographia luculenta excerpta ex Julio Africano, Eusebio, et aliis, magno numero, ita ut, secundum Theophanem, nemo ante ipsum ejusmodi ἐκλογῶν volumen composuerit: non ergo solius Eusebii compilavit scrinia, sed et alia adhibuit

hibuit monumenta. Utiliſſimum quidem eﬅ propterea hoc opus, ſed utilius foret, ſi ultima fuiſſet inpoſita manus, nec mutilum et incaﬅigatum eſſet, ſimul multivaria Calligraphorum corruptione non foedatum. Plura de Georgio dabit Leo Allatius in *diatriba de Georgiis*, et J. Goar in praefat. editionis ſuae, quae eﬅ noviſſima. Exﬅat etiam in Corpore Byzantino.

§. CLII. Continuavit hoc opus *Theophanes* ab anno aer. Chr. 285., ſeu Diocletiani 1*mo*, uſque ad annum 813., ſeu Leonis Armenii 1*mum*: cujus vitam, conſcriptam, ut videtur, a Theodoro Studita, exhibet editio nova, a Goare inﬅituta, et a Combefiſio perfecta. Fuit Iſaurus, et, licet conjugatus, cum uxore Monachus, ſeu perpetuae continentiae ﬅudioſus, Abbas monaﬅerii Agri, vel Sigriani, quo utroque venit nomine, in Sigriana regione prope Cyzicum. Membrum fuit Synodi Nicaenae II., et acerrimus Imaginum propugnator, etiam propterea confeſſor, qui a Leone in carcerem eﬅ compactus, licet ſenex et moribundus, ac multa paſſus: dein in Samothraciam, inſulam Thraciae, in mari Aegaeo, relegatus, ibi interiit ann. 816. Exﬅat opus ejus quoque in Corpore Byzantino.

§. CLIII. Inter Latinos principem meretur locum *Beda* Venerabilis, qui de patria ſua, ﬅatu, et aetate, teﬅatur ipſe ad calcem Hiﬅ. Anglorum tom. III. Elogium vero hiﬅoricum, adcurate conſcriptum, proﬅat in *Actis* Benedictin. Mabillon. ſec. III. p. 1. ad calcem vitae Bedae. Natus eﬅ in territorio monaﬅerii Ingyrvenſis, in agro Dunelmenſi a. 673., educatus et inﬅructus a Benedicto, et dein Ceolfrido, Abbatibus, in monaﬅerio Petri et Pauli ad Wirimundam et Ingirvum, ubi totum vitae tempus exegit. Evocatus quidem eﬅ a Sergio Papa Romam, a. 701., ad graviſſima tractanda negotia, ſed recuſavit. Creatus eﬅ anno aetatis 19. Diaconus, et a. 30. Presbyter, a. 703., ex quo ſeſe totus ad ﬅudia et opera conſcribenda vertit: ſuperfuit ad a. 735., ex peripneumonia mortuus, anno aetatis 63. Nomen

men nactus est celeberrimum, cum per ingentem scriptorum copiam, tum per severius vitae monasticae institutum, unde *Venerabilis* epitheton etiam originem repetiit, ipsi jam a nono seculo datum, ut ex Amalario, Jona Aurelianensi, et aliis, liquet; istud enim epitheton tunc Monachis illustrioribus fuit datum, ut in elogio citato docetur. Fabulam vero redolet, quod Petrus Equilinus in *catalogo sanctorum* de ejus origine, refert, scilicet, cum aliquis discipulorum, invitis Musis, hoc adornasset epitaphium,

Hac sunt in fossa Bedae ossa,

nec recte flueret, post somnum reperisset angelica manu scriptum

Hac sunt in fossa Bedae Venerabilis ossa.

Nec minus fabulosum est, relatu tamen dignum, quo Senatus Populique Romani decreto illo titulo legatur condecoratus, in quodam monasterii Ursicampi apographo, ut refertur in elogio Bedae citato, quia inscriptionem aliquam Romae, P. P. P. S. S. S. R. R. R. F. F. F. a nemine intellectam, hoc modo explicuit: *Pater Patriae Perditus est, Salus Secum Sublata est, Ruit Regnum Romae, Ferro, Flamma, Fame.* Scripsit de omni fere scientiarum genere, et exstant opera Grammatica, Arithmetica, Astronomica, Historica, Exegetica et Moralia, sed nobis in primis inserviunt Libri de *Sex aetatibus, de Temporibus, Hist. Eccles. Anglorum* libri quinque, a Julii Caesaris adventu in Britanniam, ad annum 731. usque, *Epitome historiae Anglorum*, denique *commentaria in totam Script. S.*, vel, ut Sixtus Sen. in *Bibl. sacra* observat, explicationum volumina, in quatuor ordines distincta est adgressus, in Rhapsodias, quae Patrum mysticas expositiones continent, Quaestiones, Homilias, et Commentarios; exstant opera 8 Vol. in Fol. ex nova edit. Co-

lonienfe. Martyrologium vero Bedae genuinum publicavit Henfchenius in Prolegom. ad Act. Sanct. Menf. Mart.

§. CLIV. Poft Bedam palmam meruit *Flaccus Alcuinus*, Lat. Gr. et Hebr. peritus, non Bedae, quippe a. 735. mortui, quo vix natus erat, fed Egberti ac Alberti difcipulus, qui, alter poft alterum, Epifcopi fuerunt Eboracenfes, condifcipulus Eanbaldi, qui a. 780. in fede Eboracenfe fucceffit, adeoque educatus et inftitutus in monafterio Eboracenfe. Nec coenobii Cantuarienfis Abbas fuit, in locum Hadriani a. 710., ut putat Baronius, aetate quoque non ferente, ut recte ad eum Pagi, fed Eboracenfis Ecclefiae Diaconus, et Scholae ejus magifter, ac moderator, fed, num monafticae an canonicalis profeffionis? difputatur. De quo vid. Mabillon. in *elogio* ejus *hiftorico*, ad calcem vitae ejus in Actis Benedictin. fec. IV. p. 1. ubi multa occurrunt, ad vitam ejus illuftrandam. Dein a. 782. in Franciam transfretavit, a Carolo M., ad litteras in Gallia inftaurandas, vocatus, ut refert Anonymus in *vita Alcuini*. Quo et ipfe Carolus, jam 40 annos natus, ufus eft Magiftro, non quidem in Grammatica, et Script. S. notitia, qua jam erat imbutus, fed in artibus liberalibus, ut Rhetorica, Dialectica, et Aftronomia. Vid. Alcuinus in epift. dedicatoria, libris de *Trinitate* praemiffa. Deinde in patriam reverfus, altera vice a. 793. petiit Galliam, ut Elipandi et Felicis, feu Adoptianam haerefin retunderet: quando concilio Francofordienfi a. 794. interfuit: ut in praef. ad libros contra Elipandum tradit. Qui duplex in Franciam adventus probe eft obfervandus, ficut Anonymus in ejus vita etiam duos ejus adventus diftincte memoravit. Quod fi prima vice a. 793. demum in Galliam veniffet, Caroli vix potuit effe praeceptor. Praefectus dein eft in Gallia variis monafteriis, ut eo ipfum retineret vinculo Carolus, et apud Turonos publicas aperuit fcholas, ad quas undequaque magno numero confluxerunt: ut ipfe teftatur epift. I. ad Carolum: Abbas quoque S. Martini conftitutus Turonis a. 796. tefte Chronico

Chronico Turonense: Scripsit porro a. 798. Epistolam ad Lugdunenses, in qua eos admonet, ut ab Hispanico errore sibi caveant, quem triplicem memorat, 1. quod Christum filium Dei adoptivum dicerent, 2. salem adjicerent sacrificio corporis Christi, 3. una mersione tantum uterentur in baptismo; licet id propter Arianos fecerint, et consensu Gregorii M. l. I. ep. 41. ad Leandrum; sed quam epistolam in dubium vocat Alcuinus. Qui epist. 81. ad Paulinum Forojuliensem alium adhuc perstringit Hispanorum errorem, quo, trina usi mersione, ad singulas mersiones tres nominabant personas Divinas, adeoque ter Trinitatem. Scripsit quoque septem libros contra Felicem, et cum eo in concilio Aquisgranense disputavit, Carolo praesente, eo, ut fertur, successu, ut eum ad saniorem redegerit, pro eo saltem tempore, mentem. Quod frustra tentavit in Elipando, scripta ad eum epistola, quippe a quo atrocis stili retulit responsum, quo ipsi exprobat divitiarum affluentiam, et 20 millium servorum famulitium, Austriam quoque per ipsum concitari, etc. Acciderunt haec a. 799. Conscripsit tamen postea libros contra Elipandum, et Leidrado, Archiepiscopo Lugdunensi, cum aliis in Hispaniam, litium illarum componendarum, et Orthodoxiae fulciendae, ergo misso, tradidit publicandos a. 800. Unde factum narratur, ut Elipandus fuerit conversus; utique eum pie esse mortuum refert Tamayus in Toletanorum Episcoporum catalogo. Interea Felix ad haeresin suam rediit, teste Agobardo, Archiep. Lugdunense, in principio libri ad Ludovicum Augustum contra dogma Felicianum. Mortuus est Alcuinus, testibus omnibus Annalistis, a. 804., et vitam ejus scripsit autor fere aequalis, quae editioni operum ejus ab Andrea du Chesne praemissa est. Constant ex Script. S. expositionibus, haeresios Felicianae refutationibus, homiliis, Epistolis, aliisque opusculis de Dialectica etc. et morali. Sunt nonnulla praeterea, quae vel falso ipsi inscribuntur, vel dubie. Utique 1. Liber de *divinis officiis*, seu expositionis

Romani Ordinis, est seculo X. posterior. 2. De *baptismi cerimoniis* non est ejus, sed Amalarii Trevirensis sec. IX. a. 812. Vid. Sirmondus ad Theodulphi opuscula. Extstat etiam in Antiq. Lect. Canisii tom. II. 3. *Confessio fidei* a Chiffletio edita, sitne Alcuini, cujus nomen praefert, dubium est. Abjudicat ei Dallaeus in tractatu posthumo, cujus rationes exhibet Du Pin in Bibl., sed multis vindicat Mabillon in Analect. t. I., mihique evicisse videtur, confessionem, si forte non Alcuini, autoris tamen esse aequalis. Mss. enim est seculi IX., ut ipse cum aliis, qui viderunt, testatur, nec aliquid ab eo tempore alienum habet.

§. CLV. *Paulinus*, primum Grammatices professor, dein Aquilejensis Patriarcha, etiam Forojuliensis dictus, a sede Aquilejensi Forojulium translata, Alcuino familiaris, et Carolo quoque gratissimus, qui eum rebus, non in Italia solum, sed et in Gallia ac Germania, componendis, praefecit, mortuus a. 802., eo nomine cognoscendus est, quod libris contra Elipandum ac Felicem sese praestiterit celebrem. Libellus contra Elipandum, etiam *sacrosyllabus* dictus, in lucem prodiit ad calcem Synodi Parisiensis de Imaginibus a. 824. et ad calcem Alcuini edit. Duchesnii, ubi etiam tres ejus libri contra Felicem reperiuntur. Liber vero de *salutaribus documentis* adparet in Adpendice Tom. VI. operum Augustini, et Epistola ad Leonem Patriarcham in Miscell. Baluzii tom. IV., sicut ibid. t. VII. epistola Synodalis ad Carolum ex Synodo Altinensi a. 802., in causa Johannis, Patriarchae Gradensis, habita, qui nefarie erat a Johanne, Duce Venetorum, occisus, quia Christophorum Olivolensem Episcopum consecrare nolebat. Mitto fragmenta aliqua epistolarum in Miscell. Baluzii tom. VI.

§. CLVI. Acerrimis Adoptianorum adversariis etiam adnumerandi sunt, sed et eo solum nomine memorandi, *Etherius*, Episcopus Uxamensis in Hispania, et *Beatus* Asturicensis Presbyter, et Abbas Benedictinus, ut observavit Mabillon. in *observat. praeviis* ad vitam Beati in Actis Benedictin.

tin. sec. IV. p. I. in *adpendice*, circa ann. 785., autores duorum libellorum *de adoptione Filii Dei*, contra Elipandum Toletanum, in Antiq. Lect. Canisii tom. II. Quibus in libris quaedam etiam se offerunt, quae reali Christi praesentiae in Eucharistia, et missae pro defunctis, favent. Ceterum hunc Beatum non tantum *Antiphrasium*, seu minime beatum, adpellat Elipandus in epistola aliqua, inter opera Alcuini, sicut Felix ab Orthodoxis *infelix* nuncupabatur, quibus ineptis lusibus se invicem lacerare solebant, solent etiamnum, sed *et carnis inmunditie foetidum, ac ab altari Christi extraneum, pseudo-Christum, et pseudo-prophetam.* Quae sintne pura puta convicia, an aliquid veri habeant, definire nequeo. Intactus quoque praeteriri non debet *Ambrosius Autpertus*, vel *Ansbertus*, Gallus, Monachus Benedictinus, et inde Abbas S. Vincentii in Samnio. Supersunt enim ejus libri decem Commentariorum in Apocalypsin in Bibl. Patrum, nec non historica de monasterio suo relatio apud Ughellum in Italia S. tom. VI., denique liber de conflictu vitiorum et virtutum in adpendice Oper. Augustini tom. VI., lectu dignus. Commentarius vero multa quidem ad doctrinam et mores spectantia continet Catholica, ut de Trinitate, incarnatione, praedestinatione, et gratia, in quibus Augustini vestigia premit, sed in explicatione libri, praeter sensum moralem et mysticum generalem, quem ubique quaerit, nihil lectu dignum reperitur, nihil de fatis Ecclesiae, nisi respectu Antichristi, ejusque persecutionis ultimo tempore, secundum receptas opiniones. Ceterum ipse primus Papae Decretum ad librorum suorum confirmationem requisivit, uti Mabillon. in *observationibus praeviis* ad ejus vitam notavit, in Actis Benedictin. sec. III. p. I. ubi plura de ipso exhibet, et autorem esse memorati commentarii demonstrat.

§. CLVII. Denique inter scriptores nomen quoque tenet ipse *Carolus* M., celeberrimus ille Francorum Rex, per libros, qui ejus nomen praeferunt. Ipse enim nihil scripto

reliquit, teste Eginhardo in ejus vita: qui etiam indicare videtur, eum nequidem litteras exarare potuisse, utique non recte et debite. De quo vid. Schminck. ad Eginhard. vit. Caroli cap. 25., ubi varias examinat opiniones, ipse restringit ad calligraphiam. Quod tanti non est. Praeter Epistolas, et capitula de rebus Ecclesiasticis, hic illic in Conciliorum tomis dispersa, animadversionem nostram merentur 1. *Capitularia*, constitutiones civiles et Ecclesiasticas, quae, sicut edicta, adpellabantur capita et capitularia, complexa, ab Ansegiso Abbate, forte Fontanellense, primum collecta, a. 627., ex decretis Caroli et Ludovici, dein a. 835. a Benedicto Levita Moguntinensi, et postea ab aliis. Quorum locupletissimam collectionem dedit Baluzius in *Capitularibus Regum Francorum*. Quod opus quantivis est pretii, et saepe in progressu a nobis adhibendum. In specie 2. Capitulare ejus de Imaginibus, non frangendis quidem, sed nec adorandis, contra Synodum Nicaen. II., quatuor continens libros; et in Synodo Francofordiense editum, indeque Romam missum. Primus edidit Johannes Tilius, Meldensis Episcopus, sub ficto nomine, *Eli Phili*, h. e. Eliae Philyrae, a. 1549. In Eli respicitur ad Eliam, seu Johannem baptistam, et φιλυρα *Philyra* est *tilia*. Publicavit quoque hoc opus Goldastus in sylloge Inperialium decretorum de *cultu Imaginum*, et in constitutionibus Inperialibus tom. I. Novissime autem in lucem dedit, additis eruditis prolegomenis, Heuman, sub titulo, *Augusta concilii Nicaeni II. censura*. Esse autem hos libros genuinos, cordati fatentur Romano-Catholici, et Dallaeus ac Spanhemius de *Imaginibus*, nec non Basnagius hist. Eccles. lib. XXIII. fusius demonstrarunt. Doctrinam, iis comprehensam, postea suo loco exponam. 3. Codex Epistolaris Carolinus, collectionem comprehendens Epistolarum Paparum ad Principes et Reges Francorum, editus a Gretsero. 4. Praefatio praefixa homiliario Pauli Diaconi, et epistola encyclica de ritibus baptismi, et litaniae Carolinae, in Analectis Mabillonii.

§. CLVIII.

§. CLVIII. Agmen horum scriptorum claudat *Theodulfus*, qui in fine seculi, et initiis sequentis, floruit, primum Abbas Floriacensis, dein Episcopus Aurelianensis, in florente gratia apud Carolum, et in initio quoque apud Ludovicum Pium: sed qua excidit, cum tanquam socius conspirationis Bernardi, Italiae regis, contra Ludovicum est accusatus, simul depositus, et in monasterium Andegavense detrusus: sed postea absolutus quidem est, verum brevi defunctus, a. 821. Opuscula ejus edita sunt a Sirmondo Oper. t. II. quae comprehendunt *capitula* 46 ad Presbyteros parochiae suae, quae omnem merentur adtentionem, *librum* de ordine et ratione baptismi, denique de *Spiritu S.* ex Patre Filioque, et *praefatio*, Bibliis ab ipso correctis praemissa, qua Canonem Script. S. recenset, in quo libri, sic dicti, Apocryphi comparent. *Paraenesin* vero ejus ad Judices emendatius edidit Elmenhorstius.

§. CLIX. Inter Historicos Latinos, qui subjungendi sunt, praecipuum tenet locum *Paulus* Diaconus Warnefridi Aquilejensis, et Desiderii, ultimi Longobardorum regis, cancellarius, dein, illo a Carolo superato a. 774., et ipse captivus, ut refert Leo Ostiensis in Chronico Casinensi, aestimatus quidem Carolo ob eruditionem, sed ob fidem in veterem Dominum, ob quam diligi debuisset, invisus, ac in exilium missus; dein, Monachus Cassinensis factus, vitam tranquille exegit. Sed Sigebertus de *scriptoribus Ecclesiast.* tantum habet, eum a Carolo M. *propter scientiam litterarum* fuisse in Galliam evocatum, et honorifice habitum. Videntur itaque, quae Leo Ostiens. refert de captivitate et relegatione in insulam, fabulam redolere Monachalem: vid. Oudinus de Script. Eccles. Opera, quae aetatem tulerunt, sunt praecipua, 1. Historia miscella, cujus priores 11 libri sunt 10 Eutropii, paucis ab Ipso hic illic additis, et 5 sequentes Pauli ipsius, Eutropium continuantis, a tempore Juliani ad Justinian. I. Reliqui a Landulpho Sagace adjuncti sunt. 2. Historia Longobardorum l. VI., varie editi,

praeclare a Lindenbrogio cum Jornande et Isidoro. 3. Denique, praeter vitas sanctorum, ut Gregorii I., Benedicti, et aliorum, aliaque opuscula, memorandus est *Homiliarius*, selectas complexus homilias, ex Orthodoxorum Patrum libris collectas, in Euangelia, Dominicalia, et anniversaria; cui epistolam praefixit Carolus M., et autoritatem addidit. Quod opus varie prodiit. Nec spernendus est historicus *Fredegarius*, patria Burgundus, historiae Francorum, post Gregorium Turonensem, scriptor celebris. Condidit chronicon ab orbe condito ad ann. 641., seu Chlodovei II. annum 2dum, libris quinque, ita ut liber IV*tus* sit epitome Gregorii Turonensis, et V*tus* ejus continuatio, sed accesserunt variae variorum continuationes ad a. 748. Exstant quatuor libri apud Canisium Antiq. Lect. t. II. sub titulo, *collectionis historiae Chronographicae;* quintus vero ad calcem Gregorii ex editione Ruinarti comparet, et alibi.

§. CLX. Catalogo scriptorum praecipuorum, quaedam subnectenda sunt de statu *studiorum* in Ecclesia Occidentali, praecipue in regno Francorum. Crassa regnavit hac parte ignorantia usque ad extrema seculi, seu Caroli M. tempora. De Clericorum inscitia omnes testantur Annales, et exempla prostant apud Aventinum in Annalibus Bojorum, et in quaesitis Bonifacii Moguntini, ac Paparum ad ea responsis, bene multa. Testatur quoque et illud, quod in Episcopis et Presbyteris nihil aliud fere fuerit requisitum, quam ut orationem Dominicam, symbolum fidei, Psalterium, exorcismos, computum festorum, scirent, nec non legere ac cantare possent. Sufficiebat, si Missalem, psalterium, lectionarium, antiphonarium, poenitentialem, et martyrologium, haberent. Vid. Regino, de quo postea suo loco, et ad eum Baluzius. Capitulare Hattonis, Episcopi Basileensis, et Abbatis Augiensis, sec. IX. in Spicilegio Dacheriano tom. VI. requirit tantum, ut sacerdos habeat *sacramentarium*, *Lectionarium*, *Antiphonarium*, *baptisterium*, *computum*, *canonem poenitentialem*, *Psalterium*, *homilias per circulum*

circulum anni, Dominicis diebus et singulis festivitatibus aptas. Quo fini inquisitio fieri debebat, et ab Episcopo interrogari Presbyter, num bene legere possit. Ipse Carolus in constitutione de *emendatione librorum* apud Baluzium in Capitular. t. I. testatur, *obliteratam pene, majorum suorum desidia, fuisse litterarum officinam.* Quo rerum statu Carolus, ab Alcuino, Theodulpho, et aliis, adjutus, omnem ignorantiae pellendae, et studiis revocandis, inpendit operam; ut ex concilio Cabilonens. II. et Parisiens. sub Ludovico Pio, liquet, constitutiones quoque ejus de scholis per singula Episcopia et Monasteria erigendis, ibid. apud Baluzium evincunt. Adserit quoque Monachus Engolismensis, in vita Caroli ad a. 787., nullum in Gallia fuisse ante Carolum artium liberalium studium, ejusque fundamenta jecisse Carolum, artisque Grammaticae et computatoriae magistros Roma transtulisse in Franciam. Opem ipsi in scholis erigendis tulerunt, praeter Theodulphum Aurelianensem, de quo ex Capitularibus ejus, uti cap. XIX. et XX., illud constat, varii Episcopi, ut constitutiones Ecclesiasticae in Capitularibus ostendunt. Celebriores fuerunt scholae in Palatio Regis, schola Turonensis ab Alcuino instituta, Fontanellensis coenobii, Fuldensis, autore Bangulfo Abbate, Metensis, denique Lugdunensis. Praecipuae quoque Episcoporum aedes, seu Cathedrales Ecclesiae, totidem factae sunt Collegia, in quibus alebantur Viri docti, et pii, ad juventutem praeparandam ad ministerium sacrum. Qui primum dicti sunt *Regulares*, regulae Corbejensis coenobii adstricti, dein *Canonici*, ut a Monachis distinguerentur. Quorum stipendia erant e proventibus Ecclesiae, inde *Praebendae* adpellata. Unde orta sunt Collegia Canonicorum Moguntiae, Coloniae, Treviri, Salisburgae etc. Nec tamen hoc seculo fuerunt scholae, in quibus vel Medicina, vel Jus Canonicum, vel Theologia, docebatur, sed artes tantum liberales, artes legendi, scribendi, computandi, canendi, et similes. Scientiarum circulus situs erat in septem artium scientia, quarum tres,

Grammatica, Rhetorica et Logica *trivium* vocabantur, unde scholae *triviales*, quatuor reliquae Arithmetica, Musica, Geometrica, et Astronomica, *quadrivii* nomine insigniebantur. Nullae adhuc locum habuerunt Academiae, diu post demum erectae, ut suo loco patebit. Fabulosa sunt, quae de Academiae Parisiensis originibus hoc seculo multi tradunt. Schola ibi demum erecta est post Caroli M. tempora, et primus ibi dialecticam et Musicam docuit Remigius, Antissiodorensis Monachus; uti habetur in vita Odonis Cluniacensis, qui ibi ad ann. 882. versatus est. Vid. Launoius de *scholis per Occidentem*, nec non Mabillon. praefat. ad Acta Benedictin. sec. IV. p. I., ubi de scholis Parisiensibus, Palatinis, et Monasterialibus, hujus, et in primis sequentis seculi, disserit. Licet vero Carolus serio studiis resuscitandis incubuerit, res tamen ex voto non successit, quare Ludovicus fuit supplicatus a concilio Paris. a. 829., ut opus Patris promoveat. De quo ad sec. sequens.

DOCTRINA ET FIDES.

§. CLXI. De praecipuis doctrinae Christianae capitibus in Ecclesia Orientali satis constat ex Joh. Damasceno de *fide Orthodoxa*, ejusque libello de *recta sententia*, nec non Basilii Ancyrani, Tarasii CPolitani, et Theodori Hierosolymitani confessionibus, in actis Nicaen. II., ubi etiam adprobatae sunt; ipsius praeterea Synodi Nicaen. confessione, quae act. VII. prostat. Quibus addi poterit professio fidei Mich. Syncelli, apud Montfalcon. Bibl. Coislin. p. 90. Denique in Occidente ex confessionibus Bedae ad Esdr. l. I. c. 3., Paulini Aquilejensis in lib. contra Felicem et Elipandum, Concilii Arelatensis VI. a. 813., Caroli M. in *constitutione* adversus Felicem, missa ad Synodum Francoford. apud Goldastum l. cit., et ex prolixiore l. III. c. 1. de Imaginibus. Antiquam confessionis fidei formulam, hoc sec., forte jussu Caroli, compositam, exhibet Martene Antiq. Eccl.

Eccl. rit. l. p. I. Expositio quoque praecipuorum religionis articulorum Benedicti Anianensis edita est a Baluzio Misc. t. V., quam cum sua confessione in Orientem misit Leo. III. ibid. tom. VII. Ex quibus monumentis in genere manifestum est, doctrinam, in specie de Trinitate et Incarnatione, eandem, ac antea, fuisse in utroque orbe Christiano, rejectis haeresibus superiorum temporum, et septem conciliis Oecumenicis adsumtis; praeterea nihil fuisse discriminis, nisi in capite de *Processione Spiritus. S. ex Patre Filioque*, cum Latinorum confessiones additamentum *Filioque* habeant, Graecorum vero omittant, vel *per Filium* habeant, absque tamen ut propterea scissae fuerint Ecclesiae. Inceperunt nihilominus hac super re lites, ut ex legatione Imperatoris CPol. ad Pipinum a. 767. patet. Fuerunt enim duo ejus capita, unum de repetendis Italiae provinciis Papae donatis, alterum de additione vocis *Filioque* in Symbolo: unde orta est Synodus in villa Gentiliaco. Tarasii CPol. phrasin *per Filium* quoque reprehendit Carolus de Imagin. l. III. c. 3., tanquam quae Spiritum S. faciat creaturam. Cum vero haec quaestio partem schismatis Graecorum sec. IX. fecerit, ibi plura hac de re proferam.

§. CLXII. Quod ad canonem Script. S. adtinet, ut nonnulla in specie enarrem, Joh. Damascenus Orth. fid. l. IV. c. 17. canonicis tantum adsignat eos, quos Protestantes agnoscunt, V. T. libros, nulla Apocryphorum facta mentione, tantum inter N. T. canonicos recenset Canones Clementis Romani, dictos Apostolicos. Enumerat quidem Johannes codicis Hebraei libros canonicos, attamen addit, reliquos libros esse quidem utiles, sed non numerari, nec in arca haberi, nulla addita crisi, nec in Parallelis, aut alibi, inde testimonia producit. Ex quo recte colligitur, eos Canonicorum loco non fuisse ab ipso habitos. Canon tamen secundus concilii Quinisexti adoptavit canones Carthaginenses, qui apocryphos adnumerant Canonicis; ut videtur. De quo in superioribus suo loco egi. In Ecclesia Latina autoritatem

toritatem canonicam eos habuisse libros, ex catalogo, a Theodulpho confecto, apud Sirmond. Oper. t. II., elucescit, nominatim enim exprimuntur, qui in canone Hebraeo desiderantur, eosque in Ecclesia Dei inter divinas scripturas *honorari* et *praedicari*, adfirmatur; sunt autem *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Tobia*, *Judith*, et duo *Maccabaeorum* libri. Denique de Epistolis Johannis posterioribus et Judae adserit Beda in eas Epistolas, generali Ecclesiae consensu illas *pro genuinis et indubiis haberi.* De *Apocalypsi* Johannis tradit Ambrosius Ausbertus circa fin. *commentarii* sui, *apud Orientales, secundum quorundam sententiam, dubitari, ac nequaquam plenae autoritatis putari.* Quod sibi instar miraculi esse dicit. Notari postremo meretur capitulare Aquisgranense Caroli M. a. 789., quo, cap. XX., canon Laodicenus sec. IV. recipitur, qui inter canonicos libros eos tantum V. et N. V. recenset, quos Protestantes admittunt, excepta Apocalypsi Johannis. Praeterea animadversione dignum est, Biblia jussu et opera Caroli M. multis modis *purgata* et *emendatiora* esse reddita in Ecclesia Latina: uti *constitutio* Caroli inter Capitularia Baluzii t. I. p. 203. habet, his verbis. *Inter quae jam pridem universos Vet. ac Nov. Instrumenti libros, librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examussim correximus.* Factum illud est a. 797., sed Graecos codices Nov. Test. fuisse in consilium, ut oportebat, adhibitos in corrigendis Bibliis, nullo constat indicio. Imo *e Scriptoribus, qui jam florebant*, inquit Millius in Prolegom. N. T. n. 126., *haud reperias, praeter unum et alterum, cui verbulum exciderit de canone, aut textu originario N T. Imo vero*, sic pergit, *Latinus Hieronymianae versionis prorsus jam ad se traxerat eruditorum studia sub auspiciis Caroli M.* Ex Beda tantum exhibet Graec. Cod. Act. Apost. collationem. Illud addatur, in Euangeliis etiam fuisse adpositas distinctionum notas, ut sunt in Euangeliis Syriacis et Graecis: quo referri debet, quod Theganus de *gestis Ludovici Pii*, apud du Chesne, et in collectaneis Pithoei, tradit

tradit de Carolo, eum *quatuor Euangelia, in ultimo ante obitus sui diem, cum Graecis et Syris optime correxisse.* Ab hoc itaque tempore ingens codici Latino accessit autoritas.

§. CLXIII. Praeter Scripturam, autoritatem fere divinam tribuerunt Traditionibus, ac Synodorum universalium definitionibus. Vid. Joh. Damascen. fid. Orth. l. IV. c. 12. et 16., de Imagin. Orat. I. §. 23 et II: 16. Imo in confessione Basilii Ancyrani, in Act. Nicaen., anathema dicitur illis, *qui se, nisi ex Vet. et Nov. Test. evidenter edoctos, sequi nolle perhibebant doctrinas S. Patrum, Synodorum, ac traditionum Catholicae Ecclesiae.* Denique notatu dignum est, in Scriptura interpretanda paucos laborasse, neminem aliquid ex se praestitisse. Johannis Damasceni scholia sunt Chrysostomi, Cyrilli, et Theodoreti brevia excerpta. Bedae expositiones sunt passim ex Augustino, Hieronymo, Primasio, et aliis, desumtae, paucis hic illic additis, Alcuinus in comment. ad Johannis Euangelium compilavit potissimum scrinia Augustini et Bedae. Ambrosius Autpertus in comment. ad Apocalypsin pressit vestigia Primasii, Gregorii M., et aliorum, paucis, sed parvi momenti, adjectis. Petit tamen in Epist. ad Stephanum Papam adprobationem ejus, quod, ut ipse jactat, *ante ipsum nemo fecit.*

§. CLXIV. Dogma satisfactionis Christi nondum fuit, respectu modi, quo facta est, in lucem protractum, sed generalibus tantum phrasibus involutum. Joh. Damascenus Fid. Orthod. III: 27. dicit, *Christum se ipsum Patri pro nobis hostiam obtulisse, redemtionis pretium solvisse*, et ita nos a condemnatione liberasse. Sic et l. IV: 11. ubi per crucem Christi traditur *mors destructa, primi parentis peccatum exstinctum, infernus spoliatus, resurrectio donata, reditus ad antiquam beatitatem paratus* etc. Denique de Imagin. Orat. I. Christus dicitur *nostrum solvisse debitum, redemtionis pretium condignum.* Sed ubi de scopo et fructu mortis Christi differit ex professo, fid. Orth. IV: 4. et 13., ejus doctrinae vix

meminit. Nec aliter instituerunt Latini. Beda ad Ps. XXI. *poenam peccatorum* dicit *in Christum esse translatam*, ad Ps. XXIV. *morte sua temporali*, inquit, *nostram aeternam destruxit Christus*, ad Ps. LXXXVII. *Christi damnatio est nostra justificatio.* Clarius in homilia in Vigil. Paschae, ubi *pro nobis obtulisse* dicitur *hostiam*, *corpus et sanguinem suum*, homilia in Sabbato, *post reminiscere*; *caro Christi* dicitur *sufficere pro totius mundi salute in odorem suavitatis*: ad Joh. XV. *Christi sanguis sic in remissionem omnium peccatorum fusus est*, *ut ipsum etiam peccatum possit delere*, *pro quo fusus est.* Sic et Carolus de Imagin. l. I: 12. *hostia pro peccatis effectus peccata nostra portavit in corpore suo super lignum*: qui et alibi, l. III: 6. eum *diluisse* adserit *totius mundi peccata.* Alcuinus in Ps. IV. *poenitentialem*, dicit, *Christus se sacrificium pro omnibus obtulit*, et Quaest. in Genes. *Creator hominis peccatum per se ipsum expiare voluit*, *et non per Angelum*, *quia non sufficiebat unius Angeli meritum ad redemtionem totius generis humani.* Vid. etiam in Ecclesiast. c. VII. ut et Leidradi verba de *sacramento baptismi* c. 8. apud Mabillon. in Analectis.

§. CLXV. Circa media adplicationis meritorum Christi minus pure senserunt, vel locuti sunt, cum, praeter fidem et opera, praecipuum inter ea locum dederint *baptismo*, *poenitentiae*, *jejuniis*, *eleemosynae*, *continentiae*, *eucharistiae*, *martyrio*, *et purgatorio.* Luculenta in hanc rem sunt verba Caroli M. variis in locis: uti in *confessione*, in epist. ad Elipandum, etc. praemissa Synodo Francoford. in tomis conciliorum, *credimus* — — *remissionem peccatorum dari in Ecclesia*, *sive per baptismum*, *sive per poenitentiam*, *divina donante gratia*, *et bona voluntate hominis cooperante*: rursus de Imagin. l. III: 6. *ut totius mundi peccata dilueret*, *se Deo Patri in sacrificium obtulit*, *et ut hanc perpetuo in Ecclesia consequi valeret*, *spiritus ei ineffabile donum*, *et sui characteris insuperabile signum*, *et sacro sancti baptismatis salutiferum sacramentum concessit*: mox addit, illud fieri *per Spiritum S.*

per quem remittuntur peccata, sive sanguinem Christi, qui a nobis in sacramento sumitur, et pro nobis effusus est in remissionem peccatorum. Fit et per aquam baptismatis, in qua originalis noxae antiquum et obsoletum vulnus diluitur. Quo etiam refert testimonium *aquae, sanguinis, et Spiritus S.* 1 Joh. V: 8. Vid. et Alcuinus de *Trinit.* l. II. c. 9. et Leidradus de *sacramento baptismi* c. 5., apud Mabillon. in Analectis, ubi dicit: *tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in baptismate, in oratione, in humilitate majore poenitentiae: tamen Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis*: de quo postea rursus. Theodulfus in capitulari suo cap. XXXVI. septem recenset modos, quibus peccata dimittuntur, *baptismum, martyrium, eleemosynam, remissionem peccati aliorum in se, conversionem aliorum ab errore, charitatem, et poenitentiam.* Sed, quod notari velim, licet ab illis mediis suspenderint salutem, nulla tamen sua merita habuerunt pro causa remissionis peccatorum, et vitae aeternae, quam gratiae et misericordiae Dei in Christo acceptam tulerunt. Vid. Beda ad Ps. XXIII, XXIV, XXVI., et alibi saepe, nec non Alcuinus l. cit., et alii. Quam tamen doctrinam non ita tenuerunt, ut operibus, sic dictis, bonis, et aliis ritibus non tribuerint nimium. Beda, ex. gr. in Cant. l. VI. c. 8. *justitiam nostram* ponit in *eleemosyna, jejunio, et oratione*; in Joh. l. III. dicit, *cum confectus homo, ac consumtus, morti et infernalibus ministris adpropinquaverit, si fuerit quispiam sanctorum, qui nomen sancti Angeli habere mereatur, is pro hujusmodi, qui pro peccatis suis a Deo ita corripitur, poterit impetrare, si de multis operibus bonis, quae operari debuerat, saltem unum bonum opus ejus, quod tanquam sacrificium pro eo placabile offerat, valuerit invenire.* Quae satis singularia sunt.

§. CLXVI. Opinio de *purgatorio*, ut de eo in specie quid moneam, magis magisque invaluit apud Latinos, adeo ut Alcuinus de Trinit. III: 21. adseruerit, Paulum 1 Cor. III. *de purgatorio loqui, non esse dubitandum*: addit, *quem igonem*

nem aliter impii sentient, aliter sancti, aliter justi. Beda ad Prov. XI. dicit, *de levioribus peccatis, quibus obligati defuncti sunt, eos posse absolvi post mortem, vel poenis castigatos, vel suorum precibus, eleemosynis, missarum celebrationibus absolutos.* Clarius mentem exponit ad Ps. XXXVII. ubi adserit 1. correctionem purgatorii esse graviorem, quam unquam passi sunt latrones, vel martyres, vel quicquid gravius homo possit excogitare, 2. nonnullos sanctos, etsi levioribus peccatis taminatos, in purgatorium non venire, *quia ignis tribulationis, quem hic patiuntur, vel etiam poena mortis ea exurit.* Sed 3. ad Luc. III. hanc addit restrictionem, quod non tantum leviora peccata per purgatorium exurantur, sed et tunc tantum, *quando bonis hoc actibus, in hac positus vita, ut illic obtineat, promeritus fuerit.* Denique visiones quoque venditatae sunt ad firmandum purgatorium. Quale singulare est in Epist. Winfridi, Bonifacii scilicet Episcopi Moguntini, et Germanorum Apostoli, ad Eadburgam Abbatissam, exemplum in mortuo, in vitam revocato, et mira de Inferis, Paradiso, et Purgatorio, narrante. Quam epistolam ex Mss. recenset Baronius a. 716., estque 21. inter epist. a Serario editas, quaeque est superstitionis, et nugarum, plena, et Bonifacii, ac seculi hujus, genium clare depingit. Vidisse quoque narratur, ut illud obiter addam, Eucherius, Aurelianensis Episcopus, Carolum Martellum, notissimum illum heroa, in inferno inferiori torqueri, et Angelum ductorem suum audivisse dicentem, *quod sanctorum judicio, qui in futuro examine cum Domino judicabunt, quorum res abstulit, sempiternis sit poenis deputatus.* Vid. Flodoardus hist. Eccles. Remensis l. II. c. 12. et ibi scholia Colvenerii. Invaserat scilicet bona Ecclesiastica Martellus, et Laicis dederat. Attamen non defuerunt inter Latinos, qui purgatorium tale non videntur admisisse. Utique, quae Ambrosius Ausbertus, cujus supra memini, in Apocalypsin lib. IX., seu Ap. XX., habet, ei minus amica sunt. Dicit enim, *apud inferos nullum posse purgari,* et

solum memorat ignem ultimi judicii, qui *super fundamentum Christi aedificantes, alios eorum examinans, ut aurum adprobet, alios vero exurens, ut stipulam concremet. Qui etsi in illa ustione detrimentum patiantur, tamen per ignem salvantur.* Vid. etiam lib. X. ad cap. XXI. fin.

§. CLXVII. Apud Graecos non tantum nullum sese offert indicium purgatorii Latinorum, sed contra, quod ei repugnat, apud Johannem Damascenum de Fid. Orth. II: 4. et contra Manichaeos §. 75. Priore loco dicit, *illud hominibus mortem praestare, quod Angelis lapsum; post lapsum enim nulla ipsis poenitentia est, ut nec hominibus post mortem.* Ex quo vel solo elucescit, spuriam esse orationem, quae ejus nomen praefert, *de iis, qui in fide obdormierunt*: in qua multae reperiuntur fabulae de purgatorio, et animarum solatio per preces, missas, et similia. Quare a Leone quoque Allatio, et Le Quin, rejecta est. Nec tamen Orientales orationes, et missas, pro defunctis spernunt, aut iis aliquod adferre levamen, ac peccatorum remissionem concedi, negant, adeoque nec omnes cruciatus; sed quos in privatione faciei divinae, in conscientia peccati, in vagationibus etiam circa sepulcra, aliisque rebus, putant esse sitos; nullo admisso purgatorio cum Latinis. Vid. Le Quin in dissert. ad J. Damascenum, p. 63. et de Nestorianis Asseman. Bibl. Orient. t. IV. p. 344.

CULTUS RELIGIOSUS.

§. CLXVIII. Circa sanctorum, reliquiarum, crucis, in specie Imaginum, cultum accidit hoc seculo quid novi, quod Synodali decreto fuerit confirmatus, posteaquam fuisset solenniter condemnatus, et cum ipso Imaginum usu historico proscriptus, postea via introducta media inter imagines frangendas et adorandas. Ter enim in Ecclesia variatum est, bis in Oriente, et tertia vice in Ecclesiis Galliae et Germaniae, Romana vero in fide et praxi sua perseverante.

Quae cum fit alicujus momenti hiftoria, haud perfunctorie eft enarranda. Confuli ex Veteribus debent libri Joh. Damafceni de Imaginibus, acta Synodi Nicaen. II., libri Carolini de Imaginibus, praeter vitam Stephani Junioris apud Cotelerium in Monumentis Gr., vel analectis Gr., et hiftorici alii, ex Recentioribus Petavius de Incarnat. l. XV., Natalis Alex., et Maimburg. in hiftoria Iconoclaftarum, Romano-Catholici; Dallaeus, hift. Imag., Spanhemius Mifcell. Antiq. S. l. VI. et ante eos Chemnicius in *examine concilii* Tridentini p. III., Proteftantes et Reformati, Faciam ut brevis fim, et vera a falfis, aut dubiis, diftinguantur.

§. CLXIX. Studium Chriftianorum in Occidente et Oriente, quo in Imagines fuperiore feculo jam flagrarunt, ut ex fuperioribus patet, ardentius factum eft, et in religionem tranfiit, ut vulgo traditur, occafione oppofitionis Philippici Bardanis Inperatoris, Monothelifmi patroni, qui inter alia Imaginem fextae Synodi, quae Monothelifmum damnaverat, in veftibulo palatii Inperialis expofitam, dejici juffit, mox in principio Inperii a. 711., uti refert Agatho Diaconus in *peroratione*, et Johannes Epifc. CPol. in epift. ad Papam Conftantinum. Quae duo monumenta funt a Combefifio in *Auctario* edita. Quod facinus ftatim ac Conftantino Papae innotuiffet, una cum Philippici ftudio in Monothelifmum, ipfe, cum Romanis, indignatus, reftituit in Bafilica Petri Romae imaginem, quam Graeci adpellant *pancaream*, quae fex praeferebat Synodos Generales, tefte Anaftafio in ejus vita. Quod vero Sigonius de Regno Italiae l. III. tradit, decretum tunc a Papa effe factum, *quo omnes, qui fanctis imaginibus venerationem, ab Ecclefia conftitutam, denegarent*, damnati funt, illud nullo nititur fundamento: nec etiam Philippicus imaginibus in genere fe oppofuit, imo Ipfe fui et Sergii Monothelitae imaginem in ejus, quam abftulerat, locum repofuit, tefte Agathone. Motus quoque mox fedati funt, cum imago Synodi fextae eft reftituta,

five

five ab Anastasio successore, ut habet Agatho, sive a Theodosio, Anastasii successore, ut tradit P. Diaconus de gestis Longob. l. VI. c. 36. Nihil itaque ad hoc usque tempus contra Imagines actum, nihil pro iis decretum, est: quantum constat. Narrat quidem Balaeus, et ex eo alii, imaginum cultum inter Anglo-Saxones esse per Egwinum, Episcopum Wigorniensem, introductum, Synodo habita Londinense; sed nihil de eo habent Annales, nihil quoque vita Egwini, ab anonymo sec. XI. conscripta: quare nullam meretur fidem. Vid. Pagi ad Baron. a. 714.

§. CLXX. Primus, qui Imaginibus bellum indixit, et Catholicis in aliud extremum se praecipitandi occasionem praebuit, est Leo Isaurus, Inperator, hac ratione, ut Byzantini scriptores posteriores, Joh. Zonaras, et alii, narrant, motus. Leoni puero, simul pauperi, et artis sordidae, inperium praedixissent duo Judaei, sub hac conditione, ut, quicquid tunc ab ipso postularent, faceret, ab ipso admissa. Inperator factus, et a Judaeis promissi admonitus, cum illi imaginum destructionem petiissent, Inperator, ut illud inpleret, in Imagines insurrexisset. Sed multa sese offerunt, quae hanc narrationem, a Catholico-Romanis avide arreptam, evincunt fabulosam esse, quae Spanhemius jam in medium adduxit. Praeterquam quod de fabuloso Graecorum ingenio, et odio in Leonem, satis constet, altum hac de re est apud antiquiores et aequales scriptores silentium, nihil etiam simile habent Acta Nicaena, res ipsa nimis est inprobabilis et ridicula, quod Judaei regnum praedixissent, et nihil nisi imaginum abolitionem in Ecclesia, quae ipsis parum curae erat, postulassent; ne alias circumstantias falsas memorem. Paulus Aquilejensis in hist. Miscell. l. XXI. refert, anno Leonis inperii septimo, Judaeum aliquem ex Laodicaea maritimae Phoenicis ad Gizid, Arabum Ducem, venisse, eique 40 annorum principatum promisisse, si imagines Ecclesiarum, in principatu suo honorari solitas, deponeret. De Leone vero nihil habet, quam amaram illam et illicitam doc-

trinam ab ipſo eſſe perceptam. Addit vero, Gizid, promulgato contra imagines edicto, gratia Chriſti, et interceſſionibus matris ejus, omniumque ſanctorum, eſſe mortuum, et plures ſatanicum ejus edictum audire noluiſſe. Praeterea refert, quendam, Beſer nomine, apoſtatam, in Syria captivum, et Arabum dogmata ſectatum, ad rempublicam Romanorum reducem, in Leonis gratiam veniſſe, et ejus fautorem in magni hujus mali piaculo factum eſſe. Unde fabulae origo forte repeti poterit. Vid. etiam Theophanes in Leone Iſauro, ad a. 712.

§. CLXXI. Nec longe quaerendae ſunt rationes, quae Leonem eo compellere potuerunt. 1. Imaginum cultus cum magis magiſque in cultum religioſum et ſuperſtitioſum vergere coeperit, et diſerto praecepto de uno Deo, omnibus idolis vetitis, colendo, aperte contrarius deprehenderetur, Inperator, de eo admonitus, eo facile inpelli potuit, ut cultum eum e medio tolleret. Utique, hunc zelum praetuliſſe iconoclaſtas, fatetur Carolus M. de Imag. l. IV. c. 22., et Conſtantinus, Nacoliae, in utriuſque Phrygiae confiniis, Epiſcopus, primus dicitur in act. IV. Synodi Nicaenae, incentor, adeo ut *initium haereſios ex ipſo fuiſſe* adſeratur. Praeterea traditur ibidem Leo quaeſtionem moviſſe Germano, Epiſcopo CPol., e Scriptura, quae imagines vetat facere ad adorandum. 2. Teſtantur quoque hiſtorici, Nicephorus ad a. 726., et Theophanes ad a. 10*mum* Leonis, Inperatorem cum aliis adverſa Inperii adtribuiſſe irae Dei, in ſuperſtitioſum illum cultum accenſae. Accedere 3. potuit, Saracenos in Templa Chriſtianorum eam ipſam ob cauſam ſolitos fuiſſe irruere: narrat enim Elmacinus c. 13. eos ubique terrarum deſtruxiſſe idola. Hae et ſimiles rationes quin prudenti Inperatori movendo ſufficiant, dubium non eſt. Num vero ſponte per eas fuerit inpulſus, an a Conſtantino, Nacoliae Epiſcopo, ut acta Nicaena habent, incitatus, perinde eſt.

§. CLXXII. Leo itaque, ſive his ſive aliis motus rationibus,

nibus, ut filum historiae pertexam, antequam tam arduum et periculosum opus, quam solet esse dominanti populi studio, in primis religioso aut superstitioso, obicem ponere, adgrederetur, prudentia usus est et lenitate. Edictum enim non, nisi Politico et Ecclesiastico senatu consulto, et cum ejus consensu, publicavit: testibus Historicis. Theophanes habet, eum celebrasse *silentium* h. e. conventum intra silentiarium, vel secretarium: sic et historia Miscella, Acta Stephani apud Baronium a. 726. dicunt, *senatorum classe accita et coacta*, Libellus denique Synodicus refert, *Synodum in palatio fuisse institutam.* Patet quoque ex act. IV. Nicaen., Inperatoris consilium fuisse ab Episcopo Nacoliae, et aliis, adprobatum. Praeterea, humanissimis Litteris Gregorium II. Papam ad deponendas imagines, et ad Synodum Universalem, invitavit, teste epistola Papae responsoria in Tomis conciliorum Generalium, et Germanum, CPol. Patriarcham; in partes conatus est blande attrahere. Denique non frangendas mox jussit Imagines, sed ita collocandas, ut idololatrici cultus eriperetur occasio. In Actis apud Baron. l. cit. haec ejus occurrunt verba: *non huc spectat mea sententia, ut eae prorsus deleantur, sed hoc ajo, sublimiore loco eas collocandas esse* etc.: ut extra conspectum et aditum populi forent.

§. CLXXIII. Edicto de Imaginibus, ita e medio tollendis, earumve cultu inhibendo, in publicum dato, non populus tantum, ad superstitionem semper pronus, non Monachi, eodem passim spiritu acti, sed et praecipui Ecclesiarum rectores et doctores, vulgo saepe non meliores, aut ejus auram captare soliti, eodem torrente abrepti, sese ei ingente mox opposuerunt furore, nec historicum tantum imaginum usum defenderunt, sed earum cultum et adorationem praecipue urserunt. Quam enim ob rationem ablatas volebat Inperator imagines, illi eas retinendas esse contendebant. Quae disputatio hoc demum tempore nata est. Inter imaginum propugnatores eminuerunt, Gre-

gorius III. Papa, Germanus CP. Patriarcha, et Joh. Damascenus. Quorum genuinam sententiam ex Gregorii litteris ad Leonem, et Germani litteris in act. IV. Nicaeni, ac S. Damasceni libris de Imaginibus, ante in lucem proferam, quam in historia pergam; ut eo rectius, et sine praejudicio, de statu controversiae judicetur. Hypotheses eorum huc summatim redeunt. 1. Unicum verae et divinae adorationis objectum esse Deum Triunum. 2. Mariam et Sanctos esse colendos, ut amicos Dei, et intercessores nostros, per quos multa bona nobis largitur Deus, et quorum causa miracula patrantur, adeoque non qua Deos, sed quatenus Dei singulari favore gaudent, et cum eo arcte conjuncti sunt, imo quem, natura sua colendum, in se habent, ejusque naturae participes sunt, instar ferri igniti, quod tangi nequit, non quatenus ferrum est, sed ignem participat. 3. Cultus eorum partes esse Templorum exstructionem, Deo quidem, sed eorum nomine, donorum oblationem, commemorationem, cantica, et Psalmos, denique intercessionis eorum inplorationem. 4. Eodem modo esse eorum reliquias ac imagines honorandas et colendas, quatenus ipsi sancti, quorum sunt imagines, sic honorentur, et amor noster erga eos hac ratione demonstretur, simul vividius per eas afficiamur. 5. Christi quidem incarnati, sed non divinae naturae, aut Trinitatis, faciendas esse imagines, factasque colendas ac adorandas, non quidem divina adoratione, sed honoratione, ut per incensa, cereos accensos, corporis prostrationem, et oscula, ac dona, nec, ut cultus in imaginem directe tendat, et in ea terminetur, sed in objectum expictum dirigatur.

§. CLXXIV. Rationes, quibus hanc adorationem superstruxerunt, proferuntur sequentes. α. Gratia divina iis adest, miracula ad eas patrantur, et multa bona conceduntur: in quibus recensendis copiosi fuerunt. β. Crucis signum et reliquiae ita in Ecclesia honorantur. γ. Ecclesiae haec quoque consuetudo est: quam ab antiquissimis temporibus derivare

vare conati sunt. 4. Contra earum ablationem provocarunt ad traditionem a Christo deductam, ad honorem Christo et sanctis deferendum, sine quorum contumelia e medio tolli non poterant; addiderunt, imagines esse instar librorum illiteratis, et reales commemorationes. Argumenta contraria ut enervarent, contenderunt 1. eum cultum unius Dei adorationi non magis adversari, quam sanctorum et reliquiarum, qui receptus est in Ecclesia, cum divino non honorentur cultu 2. nec sapere idololatriam, cum imagines non per se, et propter se, sed per et propter objecta expicta, honorentur. 3. In Decalogo Mosaico quoque non esse vetitum, quia idola ibi tantum prohibentur, seu falsorum et fictorum Deorum et Divorum repraesentamina, Judaeis vero imagines non fuisse permissas propter indolem eorum idololatricam, nec tamen eos omne genus imaginibus caruisse, cum Tabernaculum, velum, aliaque ejus instrumenta, et Cherubim, totidem fuerint imagines, quas honorarunt.

§. CLXXV. Sed intra disputationis, et edicti, limites haec res non mansit, verum in atrociora longe facinora, pro infelici et Antichristiano hujus temporis genio, erupit, quae ab historicis, sed hostibus Leonis, invidiose admodum, nec semper ex vero, narrantur. Dabo narrationis eorum aliquam notitiam. Leo Inperator, ut refertur, Germanum CPol. non eo tantum compulit, ut Patriarchatu se abdicaverit, suffecto ei Anastasio, Leoni favente, sed et Satrapas misit in domum Patriarchicam, ut eum pugnis et conviciis inde deturbarent, ut narrat Theophanes, et autor vitae *Stephani junioris*, qui addit, eum in exilium esse deportatum, et strangulatum. Dein exscindendarum imaginum initium sumsit Leo, secundum eundem autorem, ab Imagine Christi, quae in aede Deiparae Chalcopratiana, ab urbis tractu, ubi erat, ita adpellata, (de qua narratur in *Originibus* CP., eam antiquitus fuisse aedem a Constantino M. aedificatam, et Judaeis concessam habitandam, dein a Theodosio

[illegible] Judaeis ejectis, de ea Templum Deiparae factum,) [illegible], unde ipsa imago vulgo fuit modo Chalcopra[illegible] aerea, aut aenea, dicta, etiam *Antiphonetes*, [illegible] *sponsor et fidejubens*. Vid. Combefisius in histo[illegible]. Lepida miraculi, per hanc imaginem facti, [illegible] Inperatore, historiola, incerti autoris, reperi[illegible] M. P. vol. XII., qua Theodorus aliquis merca[illegible] pecuniae summam narratur foenori accepis[illegible]mio Judaeo, vadem se praestante Christo in [illegible], quae inde nomen sponsoris accepisset, quam [illegible] miraculose per hanc imaginem nactus, eam coram [illegible] Abrahamio, hoc miraculo ad Christianam fi[illegible]. Sed imaginem super atria Inperatoria fuisse, [illegible] vitae Stephani. Nec tamen sine gravi tumul[illegible] confracta fuit imago. Mulieres enim, zelo [illegible], irruerunt in Spatharium, qui manus ei [illegible], eumque interfecerunt, quod scelus morte quidem [illegible], sed coronam martyrii simul ipsis inpetra[illegible] Martyribus fuerunt adscriptae. Praeterea duode[illegible] collegii Professores, cum Magistro eorum [illegible], quorum sine consilio Inperatores nihil fere [illegible], immisso in collegium igne, vivos combus[illegible], et alii Graeci posteriores, narrant. De[illegible]chos et Duces insidiatus est ipsius Papae [illegible]: licet effectu frustraneo, cum Romani et [illegible] ejus defensionem conspiraverint. Patrimo[illegible] Romanae in Calabria et Sicilia, in fis[illegible] dioeceses Illyricianas, Calabriam, Siciliam, [illegible], usque ad Thraciam, a Romano Patri[illegible]: ut ex Hadriani Papae Epistola ad Caro[illegible]. Interea Gregorius quoque non quievit, [illegible] ad Leonem, quae supersunt; in qui[illegible] ignarum, stupidum et nugacem, minas [illegible] novo etiam exemplo Inperatorem Satanae [illegible]municavit, imo Romam et Italiam ejus subduxit

subduxit Inperio, eo etiam usque, ut de novo Inperatore eligendo fuerit deliberatum, quod Papa avertit. Ita Anastasius in ejus vita refert. Denique, Synodo coacta, imaginum cultum sancivit, et contrariam opinionem pronunciavit haereticam, cujus meminit Cedrenus, praeter alios: sed ejus nihil superest, praeter fragmentum in epist. Hadriani ad Carolum. Additur insuper, Italos et Romanos fuisse per Papam a tributis Inperatori solvendis prohibitos.

§. CLXXVI. Historia narrata quaeritur sitne ea tota vera, nec ne? Protestantes Papae facinora faciles admittunt, sed Leonis nonnulla negant: contra instituunt Romano-Catholici. Ex mea opinione dubiis sunt accensenda, quae Papae inputantur, nec Leonis per omnia vera sunt. Papam prohibuisse tributum, Inperatorem excommunicasse, et populum Romanum ejus subtraxisse inperio, tradit quidem Theophanes in Chronogr., ubi dicit, *Papam vetuisse tributa solvere, et Romam, atque Italiam, ac totum Occidentem, a Leonis obedientia, tam civili, quam Ecclesiastica, et ab ejus inperio subtraxisse.* Sed P. Diaconus l. VI. c. 49. de gestis Langobardorum refert, Papam obstitisse, quominus novum crearent Inperatorem, et Anastasius, eum admonuisse eos, ne a fide Inperatoris desciscerent. Paulus Diaconus Hist. refert, Papam, *tributa Romanae urbis prohibuisse, et Italiae*; scripsisse quoque ad Leonem, *non oportere Inperatorem de fide facere verbum* etc. Postea tamen refert, Papam removisse Romam et Italiam, *nec non et omnia tam Reipublicae ac Ecclesiastica jura in Hesperiis ab obedientia Leonis, et Inperii sub ipso constituti.* De excommunicatione Inperatoris nihil quoque constat, nisi quod in epistolis ipsi minatus fuerit, et ipsum satanae tradiderit. Quae, qua ratione secum sint concilianda, quidve veri subsit, non adeo clarum est. P. de Marca concord. sacerd. et Inper. l. III. c. 11. vera esse negat, et populo adtribuit, quae Papae inputantur, Graecos vero scriptores putat in unam conjecisse fascem, quae postea contigerunt, qui etiam recte demonstrat, Inpe-

 rium

rium Graecorum in Romanos duraſſe. Vid. etiam Giannone *hiſt. de Naples* t. I. p. 400., eruditus, et candidus admodum, hiſtoricus. Conferantur Baronius, qui cum aliis admittit Papae facinora, et Pagi in *breviario*. Natal. Alex., et Dupinius diſcipl. Eccleſ. Diſſ. VII., qui negant.

§. CLXXVII. Quod vero ad Leonis adtinet facinora, imaginem fuiſſe dejectam, et in zelotas propugnatores fuiſſe ſaevitum, non negaverim, nec Theophani fidem detraxerim, tradenti, a Leone fuiſſe animadverſum in viros, *pietate et doctrina praeſtantes*, modo per eos, ſtilo hujus autoris, intelligantur cultus imaginum acerrimi patroni, longe vehementiores, quam decebat, et pax publica ferebat, a ſeditione non abſolvendi. Memoratur ex. gr. Theophylactus aliquis martyr, qui Inperatorem adpellavit *ſceleratum*, *Antichriſtum*, *proditorem Chriſti*. Sed factum in collegium et Profeſſores fabuloſum eſſe, evicit jam Spanhemius, cum primus, qui narraverit, ſit Cedrenus, ab hoc tempore nimis remotus, ſilentibus omnibus aliis. Quae praeterea de ſtudio interficiendi Gregorium narrantur, unius Anaſtaſii tantum nixa teſtimonio, certis non ſunt adnumeranda, cum nihil de eo habeat P. Diaconus, aut ullus antiquior, nihil etiam ipſe Papa in epiſt. ad Leonem, qui illud tantum memorat, Inperatorem ſe Roma vinctum voluiſſe abducere, ſicut Martino a Conſtantino contigerat. Denique et illud fabulam manifeſte redolet, quod Germanum juſſerit ſtrangulari, ut libellus Synodici tradit. Nicephorus in Breviar. Hiſt. a. 730. enim diſerte refert, Germanum *ſe recepiſſe in domum paternam*, *ibidemque vitae reliquum ſummo ſilentio tranſegiſſe*. Vid. etiam Cedrenus in *compend. hiſt.* Hiſce addendum eſt figmentis, quod Leo in Joh. Damaſcenum patraſſet. De quo in ejus vita monui. Ceterum, ut illud utriusque partis facinorum narrationi ſubjungam, cum Epiſtolae Papae ad Leonem, quibus indigniſſime tractatus eſt, quaeque tentatam defectionem Romanorum ab Inperatore praeceſſerunt, non ſint, ut putatur, a. 726. exaratae,

ratae, ut ad eum ann. recte demonstravit Pagi ad Baron. sed a. 730., adeoque post depositum Germanum, et deturbatas imagines, bellum in Imagines ante facinora Papae inceperit, necesse est.

§. CLXXVIII. Gregorius III., qui a. 731. successit, decessoris vestigia insistens, ut filum historiae resumam, Synodo Romae congregata, cultum imaginum, edito *constituto*, sancivit, earumque depositores, destructores, et profanatores, nulla personarum facto discrimine, excommunicavit, imagines superbe et sumtuose erigi curavit, teste Anastasio. Construxit etiam Oratorium, in quo reliquias, undequaque conquisitas, recondidit, ad eas colendas, etc. Continuatae dein sunt lites, post Leonis et Gregorii obitum, a. 741. per eorum successores. Papae quidem nihil alicujus momenti egerunt sub Constantino, Leonis successore, qui eos liberalitate sua in ordinem redegit, sed Inperator opus, a Patre inceptum, promovit, et ad finem perduxit. Tradit quoque Cedrenus, ipsum sanctorum invocationem, et reliquiarum cultum, etiam vetuisse, de quo mox. Adgressus autem illud est post firmatum inperium, et multa praeclara gesta, ab a. 752., insigni quoque usus prudentia. Synodum non tantum convocari jussit, sed et ad eam pacatius celebrandam animos instituit praeparare. Tradit utique Theophanes, eum particulares primum conventus in praecipuis urbibus indixisse a. 752., quibus ad damnandas imagines redderentur paratiores. Deinde Synodum convocavit Universalem a. 754., quae sex Mensibus est absoluta, in Hierae palatio, seu Heraeo, e regione CPolis, in littore Asiatico ultra Bosporum, cui 338 interfuerunt Episcopi, quot nulla ad hoc usque tempus habuerat Synodus Oecumenica. Praesederunt duo insignes Episcopi, Ephesinus, totius Asiae Exarchus, et Pergensis, Pamphiliae Metropolita: cum CPolitanus Patriarcha demum fuerit, stante Synodo, electus. Reliqui autem Patriarchae fuerunt absentes, partim quod Iconoclastis adversarentur, ut de Syriae Episcopis constat,

partim per Saracenos inpedirentur, uti Antiochenus, Hierofolymitanus, et Alexandrinus, qui fub Saracenorum jugo gemebant omnes. Acta vero Synodi perierunt, opera et ftudio Iconodulorum, fragmentis tantum fuperftitibus in actis Synodi Nicaen. II., ubi refutantur, unde, quid hic fuerit actum, colligi debet. Sed addenda funt monumenta aliorum hiftoricorum, acerrimorum hoftium, ut Theophanis, Nicephori in Breviario, ut et vita Stephani jun. in Analectis Graecis.

§. CLXXIX. Eruam ex his monumentis hypothefes Iconoclaftarum de Imaginibus, et rationes, quibus fuperftructas fuerunt, et Iconodulorum everfae. Poft orthodoxam fidei editam confeffionem, et fex praecedentes Synodos Oecumenicas adfumtas, haereticis omnibus damnatis, *Imagines* abfolute, et omni modo, cultus et adorationis refpectu, profcripferunt, adeo ut non tantum non fint adorandae, fed ne quidem in Ecclefia, aut alicubi, ubi fuperftitionis eft metus, collocandae. Iconolatras condemnarunt in genere, quocunque id fecerint praetextu, anathema in fpecie, et nominatim, dixerunt Germano CPolitano, Georgio Cyprio Monacho, ab eo ejufdem nominis, Pifidiae Epifcopo, jam fub Leone Ifauro in exilium miffo, diverfo, et Johanni Manfur, feu Damafceno. Rationes, quibus Chrifti aut fanctorum imagines non effe fingendas, demonftrarunt, funt 1. refpectu Chrifti, eum per imaginem non poffe repraefentari, cum fit θεανθρωπος *Deus*, et *homo* in una perfona, nifi Neftorianifmus adoptetur, aut Eutychianifmus. Cum enim divina pingi nequeat natura, Chrifti non poterit dici imago, nifi ftatuatur, vel divinam naturam cum humana effe commixtam, quod Euthychianum cenfebatur, vel duas effe in Chrifto perfonas, quod Neftorianifmum, ut putabatur, faperet. Humana vero feorfim non poteft pingi, quia eft Theanthropos, et nec fine divinae naturae unione objectum adorationis. 2. Secunda ratio, ad omnes fpectans imagines, fuit, decalogum diferte omne genus imagines, quae

quae ad cultum, ejusque objectum, pertinent, prohibere. 3. Tertia habebat, alias imagines a Deo non esse nobis datas, quam hominem ipsum, et S. Eucharistiam, cum homo sit ad imaginem Dei conditus, et in eucharistia elementa panis et vini per Spiritus S. ad ea accessum, et cum illis unitionem, unicam et veram constituant Christi, ex divina et humana natura compositi, *imaginem*, τύπον. Qua voce haec Synodus est usa. De quo postea suo loco. 4. Ultima ratio erat, imagines, earumque cultum, repugnare *traditionibus* Patrum, quo fini provocarunt ad Epiphanium, Eusebium Caesariensem, Amphilochium, Athanasium, Gregorium Nazianz., Chrysostomum, et alios.

§. CLXXX. Sed quid de Mariae et sanctorum invocationibus censuit haec Synodus? Exstant inter ejus canones in act. VI., Synodi Nicaen. II. duo, quibus Maria non tantum sublimior dicitur omni creatura visibili et invisibili, et sancti *τίμιοι honorabiles* coram Deo, sed et intercessionis eorum imploratio praecipitur sub anathemate. Sed autor refutationis illorum actorum, quae canonibus illis subjungitur in actis Nicaenis, observat, tanquam rem omnibus notam, hos duos canones postea codicibus illius Synodi esse erasos, adeoque qualemcunque sanctorum invocationem esse abnegatam. Confirmat illud non tantum autor *vitae Stephani* apud Surium, fide non adeo dignus, sed et Theophanes ad ann. 22. Constantini, qui prohibitas fuisse preces narrat ad Virginem Mariam et Sanctos, in specie formulam illam Θεοτόκε βοήθει *Dei genitrix adjuva.* Refert quoque Cedrenus, eos sanctorum et reliquiarum honori sese, ac Imaginibus, opposuisse: denique adserit autor *collectaneorum de haeresibus* etc., apud Canisium Antiq. Lect. t. II. p. III. Iconomachos *reliquias sanctorum* non colere, quin per ludibrium adpellare *ossa mortuorum*, nec prodesse. Tradit etiam Paulus Diaconus Hist. l. XXI., Leonem quoque errasse *circa castissimae Deigenitricis intercessiones, omniumque sanctorum, quorum et reliquias sceleftissimus*, inquit, *ut magistri ejus Arabes*,

bes, *abominabatur*. Quod etiam habet Theophanes in Leone Isauro, et Cedrenus in *compend. hist.* de Constantino Copronymo., p. II. Quibus quid veri subsit, non ausim definire.

§. CLXXXI. Ceterum habuerunt hanc Synodum pro Oecumenica VIIma Graeci hoc tempore, Latini negarunt, et eam atro notarunt carbone; sicut et adhucdum faciunt Romano-Catholici. Sed dubium mihi non est, quin legitima et universalis fuerit Inperii Graecorum, quam late patebat, Synodus. Fuit enim ab Inperatore indicta, ex ingente Episcoporum numero composita, et decreta sunt unanimi consensu facta. Papa quidem absens fuit, quia imaginum cultui patrocinabatur, Inperatoris etiam obsequio renunciaverat; sed Paparum, aut ejus legatorum, praesentia, aut consensus, non necessario requiritur, ut Universalis sit Synodus, uti ex CPolitana I. sub Theodosio, et CPol. II. sub Iustiniano, aliisque, satis constat. De absentia reliquorum Patriarcharum supra dixi: nec ea huic magis, quam Synodo Oecumenicae VI., praejudicium creare poterit, cum et ibi non adfuerint; ut Monachi in epist. ad Synodum Nicaen. testantur, in actis illius Synodi. Num autem veram sententiam sanciverit, an erroneam, nihil ad eam legitimam, aut illegitimam, facit constituendam; ut facile patet.

§. CLXXXII. Synodo terminata, et imaginibus proscriptis, in eas, earumque cultores, sed acerrimos patronos, praecipue Monachos, passim est saevitum; ut ex vita Stephani jun. in analectis Gr., aliisque monumentis, elucescit, licet iis fides non sit per omnia habenda. Vid. de hac persecutione, quae a. 762. incepit, quoque Theophanes, ac Nicephorus in Breviario. Paulus Diaconus Hist. lib. XXII., morte ejus narrata, in fine Inperatorem depingit, unquam *sanguinibus multis infectum*, *et daemonum invocationibus ac sacrificiis*, *persecutionibus quoque sanctarum Ecclesiarum*, *rectaeque ac immaculatae fidei*, *nec non et Monachorum perduellionibus*, *et violationibus Monusteriorum*, *malisque variis*,

super-

supercrescentem, non minus quam Diocletianum, vel aliquem Tyrannorum. Quod idem habet Theoph. ad annum ejus 35*tum*, qui etiam refert, Constantinum, morti proximum, postulasse, ut Maria, Dei genitrix, *hymnis et laudibus celebraretur.* Vid. etiam Cedrenus. Quibus, quippe furiosis imaginum patronis, temere credendum non est. Vid. Spanhem. hist. Imag. sect. IV. Est quoque ipsius vitae monasticae oppugnatio hinc nata, cum Inperator voluerit, ut monachi uxores ducant, et domos, non monasteria, inhabitent. In adversariis in ordinem redigendis licet modum non tenuerit, imo tyrannice egerit, Inperator, Praefectus quoque, dictus Draco, in monachos admodum saevierit, eos vinciendo, lacerando, cremando, aliisve modis occidendo, excusandi etiam nullo modo sunt Iconolatrae, qui pro re, in ipsorum quoque oculis non necessaria, tanto studio pugnarunt, ut seditiosos ubique concitarint motus. Inter quos nomen habet Andreas Calybites, ἐκ καλύβης, seu tuguriolo ad Blachernas, cum Andrea Cretensi non confundendus, ut fecit Baronius, qui CPolin properavit, ut sese edictis Inperatoris palam opponeret. Vid. Theophan. ad a. 21., qui addit, Inperatorem ab ipso fuisse adpellatum novum Valentem et Julianum. Quem insanum zelum morte debuit luere. Stephanus praeterea junior, monachus ad radices montis Auxentii Bithyniae, cujus meminit Theophanes ad Constantini 20. annum, et vita conscripta est a Stephano CPol. diacono, 42 ann. post ejus mortem, in Analectis Gr., fuit iconodulorum princeps, et acerrimus Iconoclastarum adversarius, qui ipsius Constantini imaginem, nummo inpressam, in solum projecit, et pedibus conculcavit, Inperatore inspectante. Quare in exilium a. 764. missus est in Preconesum insulam, dein inde retractus, pane et aqua vivere coactus per 11 Menses, quando mortuus est a. 767. Post cujus obitum Inperator narratur a Theophane, et Nicephoro, juramentum ab omnibus exegisse subditis, *ne quisquam imagini venerationem exhibeat.*

§. CLXXXIII. Testantur Annales Francorum, ut quid in Gallia fuerit hac in causa actum enarrem, habitam esse Synodum a. 767. apud Gentiliacum, vix una leuca Parisiis, jussu Pipini, praesentibus Papae et Inperatoris Legatis, inque ea de processione Spiritus S. ex Patre Filioque, et de imaginibus, esse actum, absque ut, quid fuerit decretum, memoretur. Ex iis vero, quae sub Carolo M. et Ludovico deinceps gesta sunt, de quo postea, haud inprobabiliter colligitur, usum historicum imaginum fuisse adprobatum, religiosum prohibitum. In constitutionibus Inperialibus apud Goldast. tom. I. p. 16. traditur, decretum fuisse, *sanctorum imagines factas aut pictas, ita ad ornatum et decus Ecclesiarum ferri posse, ut ad cultum, venerationem, et adorationem, quod idololatrae faciunt, non habeantur.* Sed quid Romae actum est? Synodo a Papa Stephano, III vel IV., coacta, vulgo traditur in ea lectam et adprobatam esse Synodicam Theodori Hierosolymitani, Cosmae Alexandrini, et Theodori Antiocheni, Patriarcharum Orientis, pro cultu imaginum. Cujus Synodicae primus meminit Hadrianus Papa in epist. ad Carolum M., post Synodum Francoford., altum vero est silentium in actis Nicaenis, et apud Theophanem, sed nec cum dura servitute sub Saracenis, nec cum epistola Hadriani ad Constantinum et Irenem, ubi dicit, *omnem populum, qui est in Orientalibus partibus in toto Oriente errasse* hac parte, usque ad eorum Inperium, conciliari potest ejusmodi Patriarcharum Synodus, et epistola Synodica. Attamen sancitam Romae esse venerationem imaginum, et acta Synodi CPol., modo memoratae, anathemati subjecta, constat ex Anastasio, et tractatione Hadriani ad Carolum de Imaginibus, can. 12. act. VI., ubi dicitur, statutum esse, *adorare ac venerari sacras imagines:* simul fragmenta quaedam Synodi exhibentur. Interfuerunt quidem duodecim Galliae Episcopi, sed eos in hunc cultum consensisse, non traditur.

§. CLXXXIV. Sub Leone IV., Constantini Copronymi filio

filio et successore, res fuerunt tranquillae, cum ipse mitius cum Iconodulis egerit, donec sub vitae finem, cum Irene, uxor ejus, imagines in pulvinari habere ac colere, contra datam fidem, esset deprehensa, a moderatione discesserit. Removit enim eam a consortio, teste Cedreno, et aulicos, qui reginae in eo opem tulerant, durius tractavit, ut Theophanes refert. Sed, Leone post brevis temporis regnum defuncto, et Irene vidua inperium administrante, longe aliam res induerunt faciem, et imaginum cultus publico Synodi, Oecumenicae quoque habitae, decreto est sub anathemate sancitus. Quae distinctius enarrari merentur. Quietos quidem sese in initio tenuerunt Iconolatrae, quamdiu Paulus esset Patriarcha CPol., sed, illo se abdicante, et monasticam vitam amplexo, eique suffecto Tarasio, a. 784., capita erexerunt, teste Cedreno ad 4*tum* Irenes. Tradunt quidem acta Nicaena, et ex iis Theophanes, Cedrenus, Zonaras, ac alii, Paulum cecinisse palinodiam, et conscientiae angoribus vexatum, quod in gratiam Leonis se cultui imaginum opposuisset, monasticum habitum, poenitentiae ergo, induisse: cujus veritatem praestare nequeo. Cum enim Paulus post Leonis mortem adhuc sederit, ab a. 780. ad 784., fidem silentio involvere, aut se abdicare, non habebat necesse: nititur etiam Irenes tantum testimonio; narratur enim a Cedreno, Irenem eum in monasterio convenisse, et facti rationem ab eo quaerentem, hoc ab ipso audivisse: probabilius forte est, eum Irenes artibus ad abdicationem et vitam monasticam esse compulsum, quia imaginum cultui minus favebat. Interea rumor, sive verus sive fictus, iste de Paulo sparsus multum Iconolatrarum moliminibus profuit. Praecipui autores et promotores causae Imaginum fuerunt Irene, pessimorum morum, omnium consensu, foemina, Hadrianus Papa, de quo postea, et Tarasius Patriarcha CPol., de laico propterea in eam sedem evectus: cujus electionem Hadrianus negavit se habiturum legitimam, nisi imaginibus instaurandis operam inpenderet; ut ex ejus epist., Synodo

modo Nicaenae praemissa, patet. Initium per epistolas ab Imperatoribus, et Tarasio recenter electo, ad Hadrianum factum est, quibus Papae valde adblandiuntur, eum quoque adpellantes *primum sacerdotum, in quo dignitas erat principalis sacerdotii*: licet CPolitanum nuncupaverint Imperatores, in litteris ad Hadrianum, *universalem Patriarcham*, quod aegre tulit Hadrianus; invehuntur autem in Iconoclastas, et imaginum cultum se restitutum velle declarant. Quo Hadriani responsoriae etiam collineant. Sed ut in credulae plebis animos iconolatria facilius illaberetur, multa miracula, adparitiones, etc., in lucem prodierunt. Antiquissimorum temporum praedictiones etiam hanc in rem fictae sunt. Inter quas memoratu digna est, quam Theophanes habet, ad ann. I. Irenes, et Paulus Diaconus Hist. l. XXIII. ac Cedrenus, ad a. 779., ubi traditur, repertam fuisse in vatis alicujus monumento, a fossore rustico, hanc inscriptionem: *Christus nascetur ex Maria Virgine et credo in eum. Sub Constantino et Irene Imperatoribus, o Sol! iterum me videbis.* Quae inscriptio censebatur a Platone profecta.

§. CLXXXV. Sed cum usitatius, et efficacius, non sit medium Synodo Oecumenica, quae superiori CPol. opponatur, eo mox animos adpulerunt Imaginum patroni. Coacta itaque est, jussu Imperatorum, CPoli a. 786., sed, post unam alteramve sessionem, translata Nicaeam Bithyniae; occasione impetus militum, quos multi Episcopi incitarunt in Iconodulos CPoli congregatos, iisque necem minitantium, *si infirmarent, et transgrederentur, ea, quae Constantino fuerant visa*; ut acta Nicaena habent, et Epistola Tarasii ad Hadrianum, post Synodum scripta, et actis subjuncta. Hanc ob rationem dissolvit Irene Synodum, Legiones Thraciae sibi devinxit, et CPolin. transtulit, seditiosos milites exautoravit, et, ut pacatior esset Synodus, extra CPolin jussit habendam. Electa autem est Nicaea, quia, ob primam Synodum contra Arianos celeberrima, et huic Synodo videretur auctoritatem aliquam additura. Inchoata

ata est ibi a. 787. Sept. 24., et Septem actionibus finita tertio Idus Octobr. Praesedit sub auspiciis Irenes, quae propterea *institutrix*, *doctrix*, *praeses concilii*, novo exemplo adpellatur, et perstringitur, in libris Carolinis de Imaginibus, Tarasius Patriarcha, ut ex libello Synodico, Photio de Synodis, ipsis quoque actis, manifestum est. Secundum tenuerunt locum Legati Papae, Petrus, Archipresbyter Ecclesiae Petri, et Petrus, Abbas Sabae. Licet ad Synodum proprie non fuerint legati, sed ob alias caussas ibi praesentes, adeo ut pro legatis ad Synodum non potuerint haberi, ut Theodorus Studita l. I. ep. 38. adnotavit. Adfuerunt praeterea duo Monachi, Johannes et Tomas, qui se ferebant trium sedium Patriarchalium Orientis legatos, quia ipsi Patriarchae ob Saracenos venire non poterant: Theophanes eos duorum, Antiocheni et Alexandrini, adpellat legatos, sed in actis Synodi pro tribus sedibus legatione functi habentur, uti et apud Photium in epist. I. ad Bustraciae Principem. Interea vere nihil aliud fuerunt ac Monachorum Palaestinae missi, ut ex litteris eorum ad Tarasium, quae ibid. in actis Nicaen. exstant, clarissimum est. Vid. etiam Theodorus Studita l. I. ep. 38., ubi, eos falso legatorum Patriarcharum Orientis personam praetulisse, adserit, additque, a suis Catholicis, seu iconolatris, eam scenam esse adornatam. Unde elucescit 1. Legatos ab Imperatoribus et Tarasio ad Patriarchas Orientis, ut eos ad Synodum vocarent, missos, ad eos non accessisse, metu Saracenorum absterritos, et Monachorum Palaestinae, in quos inciderant, dissuasionibus obedientes, 2. nullas a Patriarchis adtulisse litteras, nec 3. illos duos ab ipsis esse delegatos, sed tantum a Monachis Palaestinis, inconsultis et repugnantibus Patriarchis 4. fuisse praeterea Johannem et Tomam, Monachos idiotas, ignorantes, et inexpertos, ut ipsi in litteris fatentur, adeoque 5. falso dici Syncellos Patriarcharum, Antiocheni et Alexandrini, falso quoque legatorum Orientis personam vel praetendisse, vel ipsis in Synodo fuisse

datam,

datam. Protulerunt vero duo isti Monachi epistolam Synodicam Theodori Hierosolymitani ad Antiochenum et Alexandrinum, Patriarchas, quae in actis Nicaenis recitatur, qua cultus imaginum fortissime adseritur, imo Maria *πανάμωμος δεσπόινα ἡμῶν plane immaculata nostra Domina* adpellatur; contra genuinam antiquitatem. Sed; sicut Theodori hujus Synodica ad Synodum Romanam, cujus supra memini, ita et haec ejus videtur ficta; nec Theophanes ejus fecit mentionem, nec imaginum cultus adeo erat per Orientem receptus, ut in ea epist. traditur. Adfuerunt autem in universum membra 350., sed maximam partem Monachi et Archimandritae, inter quos ipse Theophanes, autor Chronographiae, acerrimus imaginum patronus. De quo supra egi.

§. CLXXXVI. *Prima* actione, ut gesta Synodi enarrem, Tarasius brevi oratione Synodum initiavit, et lectae sunt Constantini Porphyrogeniti, ejusque Matris Irenes, litterae ad Synodum, quibus rationes Synodi coactae explicant, et Hadriani litteras, secundum *jus Synodicum*, praelegi praecipiunt, ut ex iis fides intelligatur Catholica. Praeterea tres Episcopi, Basilius Ancyranus, Theodorus Myrensis, Theodorus Armorii, qui antea imaginibus erant adversati, libello fidei pro earum cultu oblato, et haeresi Iconoclastarum ejurata, admissi sunt ad Synodum, manifesto indicio, Synodum non fuisse convocatam, ut veritatem investigaret, sed tantum imaginum cultum confirmaret. Actione *Secunda* recitatae sunt, et adprobatae, litterae Hadriani Papae pro cultu imaginum. *Tertia* vero lectae sunt Tarasii litterae ad Patriarchas Orientis, et Monachorum responsoriae, una cum Theodori Hierosolymitani ad Patriarchas Orientis. De quibus modo exposui. *Quarta* sessione testimonia Scrip. S., et Patrum, pro colendis imaginibus, in medium sunt producta, simul miracula eo fini enarrata. Inter quae occurrit lepida historiola imaginis Christi, Beryti a Judaeis ad imitationem crucifixionis Christi contumeliose tractatae, ac percussae, ex latere sanguinem et aquam emittentis. Quam

fuse

fuse enarrat Athanasius junior, hujus sec. apud Lambecium, in Biblioth. Vindebon. Caesar. Meminit etiam Sigebertius in Chron., qui hunc casum contigisse refert Constantini et Irenis, ejus uxoris, tempore. *Quinta* decretum est formatum, quo cultus iste est sancitus, et scripta contra imagines damnata, ac igni addicta sunt. *Sexta* refutata sunt acta Synodi sub Constantino Copronymo, et Synodo dictum est anathema. Denique *Septima* confessio fidei est recitata, et sub anathemate sancita.

§. CLXXXVII. Definitiones Synodi, quas una cum earum fundamentis candide exposuisse operae pretium fuerit, huc redeunt summatim. Imagines 1. Christi, omniumque sanctorum, sola divina natura excepta, esse proponendas in Ecclesiis, sacris vasis, vestibus, parietibus, ac tabulis, domibus, et viis: sed pictae tantum memorantur imagines, quae vel colorum varietate, vel tessellis, segmentisque musivi operis, constant, nulla statuarum facta mentione 2. non tantum ad prototyporum memoriam et desiderium, sed et ad honorariam et relativam adorationem, non quidem, quae Deo debetur, et latria dicitur, nec quae in imaginibus terminatur, sed quae in externo consistit honore, uti prostratione corporis, incensis, luminibus, osculatione, ac veneratione, idque in honorem tantum prototyporum: *Imaginis honor*, diserte dixerunt, *ad primitivum transit*, *et qui adorat imaginem*, *adorat in ea depicti personam*. Adpellant ἀσπασμὸν, τιμητικὴν διάθεσιν, προσκύνησιν, quatenus *salutationem*, et *secundum protensionem amicitiam* denotat, ut epist. Synodica ad Inperatorem distincte exponit, οὐ κατὰ λατρείαν vel λατρευτικὴν, ἀλλὰ σχετικὴν, καὶ ὁμωνυμικὴν καὶ ὑποστατικήν; quae phrases in epist. Germani CPol. ad Tomam Claudiopol, Gregorii *II.* ad Leonem Inperatorem, et actis Nicaenis, ubique recurrunt. Nullum itaque voluerunt imaginibus cultum esse deferendum, qui ipsis proprius est, et absolutus, ac in iis terminatur, sed totus est relativus, ac ad prototypa tendit; adeoque 3. quo cultus genere crux Christi, Euangelia, vasa

ſacra, et reliquiae honorari ſolent in Eccleſia. Hunc cultum qua ratione ab idololatria in Script. S. vetita abſolverunt, et cum unius Dei cultu conciliarunt, ex dictis facile elucеſcit, ſed in variis Script. S. locis, Patrum teſtimoniis, et miraculis, per imagines factis, fundarunt. Citarunt, ex. gr. ex Script. S., homines ſe invicem adoraſſe, aut etiam res inanimatas, uti Jacobum virgam ſuam, Judaeos ſcabellum pedum Dei, et Hieroſolymam, ſerpentem quoque aeneum erectum, Cherubinos, aliaque cultus ritualis ſimulacra. Similis farinae ſunt Patrum teſtimonia et miracula, ficta paſſim, in libris Carolinis jam refutata. Teſtimonia Veterum non tantum ſunt primis tribus ſeculis poſteriora, ſed et ſequentium uſque ad ſec. VI. vel genuina non ſunt, vel parum ad rem faciunt; de quo ad ſingula ſecula ſatis expoſui.

§. CLXXXVIII. Haec eſt famoſa illa Synodus Nicaena II, quam Iconoduli quidem cenſent fuiſſe Oecumenicam, ſed haud majore jure, quam CPolitana ſub Conſtantino ab altera parte habetur, niſi quod Papae legati, licet ad eam directe non miſſi, adfuerint, et Papae acceſſerit confirmatio. Interea pro univerſali Synodo eam vero vocis ſenſu haberi non poſſe, libri Carolini de Imaginibus l. IV. c. 28. ex eo etiam demonſtrant, quod Epiſcopi Galliae, Germaniae, Britanniae, aliarumque ditionum, ei non interfuerint, nec omnes Eccleſiae ſint conſultae. Vid. et l. III. c. 11. Hadrianus vero Papa eam quidem, expreſſa epiſtola ad Eccleſias aut Inperatores data, non confirmavit, attamen poſtea defendit in epiſtola, ſeu libello reſponſorio, ad Carolum M., ejus libris oppoſito. De quo mox. Unde, quod notandum eſt, patet, Hadrianum acta Synodi omnino adoptaſſe, etiam ante Synodum Francoford. Vid. et P. Allixius diſſert. de *conciliorum definitionibus examinandis* cap. 3.

§. CLXXXIX. Duabus Imaginum epochis, priore confractarum et oppugnatarum ſub Leone Iſauro, et Conſtantino Copronymo, poſteriore cultus et adorationis ſancitae ſub

sub Irene per Synodum Nicaenam, enarratis, ad *tertiam* pergo in Occidente sub Carolo M., qua nec frangendas, nec adorandas, aut colendas, esse imagines, decretum est in Synodo Francoford., adeoque media via, inter duo extrema, strata. Decretum Synodi Nicaenae, una cum ejus actis, sed minus integris, cum ad Carolum esset delatum, ipse studio unius Dei cultus accensus, mox *capitulare*, h. e. volumen per capitula divisum, quatuor complexum libros, componi curavit; quod tribus annis post eam Synodum confectam est, teste praefatione ejus, adeoque a. 790., postea publicatum et confirmatum in Synodo Francofordense ad Moenum a. 794. de qua mox. Missis quae de libris Carolinis supra dixi, eorum doctrinam de Imaginibus, earumque cultu, in clariorem proferam lucem, postquam, sanctorum et reliquiarum cultum admitti, praemiserim, licet *venerationem* iis rectius tribui, quam *adorationem*, censeatur. Sic lib. IV. c. 27. *quia igitur solus Deus adorandus est, martyres vero, et quilibet sancti, venerandi potius sint quam adorandi*, ibid c. 23. *venerantur sancti — — sed nec adorari debent cultu divino* etc. Sic alibi saepe, ex gr. l. II: 22. *sanctis — — — sive quia viriliter certaverunt, ut ad nos incolumis status Ecclesiae perveniret, sive quia eandem Ecclesiam adsiduis suffragiis et intercessionibus adjuvare noscuntur, veneratio exhibenda est*. Vid. etiam l. III: 16. et praefat. l. IV: denique in praefat. l. I. circa fin. — — — *solum Deum adorantes, et ejus sanctis opportunam venerationem exhibentes*. Attamen utitur autor *adorationis* vocabulo de Maria l. IV: 22., dicens, *unde necesse est, ut, quisquis eam adorare desiderat — — — illo mentis aciem figat*. De *reliquiis* eodem modo, quo de sanctis, loquitur, et eas imaginibus esse praeferendas, simul honorandas, seu venerandas, disputat. l. III. c. 24. Sed nihil de adoratione habet: venerandas autem eo nomine esse constituit; *quia aut in corporibus sanctorum, aut circa corpora fuisse, et ab his sanctificationem, ob quam venerentur, percepisse, creduntur*.

dantur. Nec alio modo de cruce et ejus signo differit l. II: c. 28. et IV: 26.

§. CXC. Quibus praemissis, quid de Imaginibus hic! doceatur, exponendum est. Illud 1. extra controversiam est, imagines in Ecclesiis, earumque usum ad ornatum, et rerum gestarum memoriam, ac inperitorum instructionem, admitti, adeoque earum confractionem et abolitionem damnari: quod ubique in libris Carolinis occurrit. Sic imagines a quibusdam in Basilicarum ornamentis bene esse constitutas, dicit l. I: 17, 27., ubi eas abolere dicit esse temeritatis, Vid. et l. II: 23. IV: 4. Attamen, eas nullo Script. S. textu esse praeceptas, agnoscit l. I: 18. nec pro rebus necessariis habitas ad cognitionem, ibid. c. 15., sed pro re indifferente l. II: 21., ubi haec notabilia exstant ejus verba: *Imagines vero, omni sui cultu et adoratione seclusa, utrum in Basilicis, propter memoriam rerum gestarum, et ornamentum, sint, an etiam non sint, nullum fidei Catholicae adferre poterunt praejudicium, quippe ad peragenda nostrae salutis mysteria nullum penitus officium habere noscantur*, Praeterea ad memoriam renovandam, aut instructionem, non esse necessarias, probat l. II. c. 22., nec Deum esse in imaginibus cognoscendum, adserit l. IV: 2.

§. CXCI. 2. Illud quoque, ipsis Romano-Catholicis confitentibus, constat, libros Carolinos decretis Synodi Nicaenae II. esse oppositos, respectu cultus imaginum, et ea hic refutari: quippe quod ex ipsa lectione eorum, ubi totidem verbis illud saepe dicitur, et collatione cum Actis Nicaenis, dubio procul sit: quare huic rei non inmoror. Sed 3. inter Catholicos et Protestantes controvertitur, num decreta Nicaena, et libri Carolini, respectu cultus imaginum re ipsa differant? Sunt utique ex Prioribus multi in ea opinione, Carolum minus recte mentem Patrum istius Synodi percepisse, acsi divinam adorationem imaginibus defendam, easque per se et absolute colendas esse, decrevissent, adeoque adorationem latriae, et non minorem, inferiorem,

riorem, ac relativam adorationem, seu venerationem, in *illis* libris refutasse. Tantum Petavius dubius haeret, imo in eam inclinat opinionem, *omnimodam adorationem* respui et refelli; quae Protestantium est hypothesis. Ex mea opinione a. dubio procul est, qualemcunque adorationem, et venerationem religiosam positivam refutari a Carolo, sola veneratione negativa relicta, in non violandis, nec frangendis, aut abolendis, imaginibus sita; ob has rationes. 1. Imagines ad ornamentum, et rerum gestarum memoriam, tantum esse retinendas, et non adorandas, ubique in his libris inculcatur, argumento, adorationis voce omne illud comprehendi, quod ornamentum et commemorationem excedit. 2. *Nullis modis* permittitur adorare imagines, et *omni modo* ubique rejicitur adoratio. 3. Ipse ille adorationis modus expresse damnatur, qui sanctis, eorumque reliquiis, crucis signo, euangeliis, templis, et vasis sacris, licite, et ex usu Ecclesiae, exhibetur. Externi quoque ritus adorationis, Graecis in usu, diserte rejiciuntur, ut sunt thymiamata, luminaria, oscula, et complexus. Vid. l. II. c. 31. et IV. 18. ubi primitiae et munuscula adduntur. 5. Denique nominatim memorantur, et refutantur, ratiocinia Graecorum, quibus errorem palliare et defendere solebant, ex. gr., quod imaginis honor in primam formam transeat, eas ut Deum non adorent, nec illis divini servitii cultum inpendant, sed, dum illas adspiciant et adorent, illo mentis acumen defigant, ubi illi, quorum sunt imagines, sunt, l. III. c. 16, 17. Sic et omnes vocum novitates, et stultiloquae adinventiones, rejiciuntur in Praefat.

§. CXCII. β. Haec licet vera sint, inficias non iverim, Carolum minus recte mentem Nicaenorum percepisse, quicquid contra disputet autor *dissertationis Criticae*, praemissae editioni librorum Carolinorum Heumannianae, totamque disputationem refutatoriam Carolinam pro hypothesi habere, Graecos ipsos imagines materialiter honorare, et eo cultus genere adorare, quo Deus adoratur. Disputat non

tantum Carolus, nullam inesse imaginibus sanctitatem, nec propterea sanctas esse dicendas, ne quidem talem sanctitatem, qualis reliquiis, locis et rebus sacris, adest, nec inde tantum argumentatur, quod solus sit adorandus Deus, quae ubique sese in illis libris offerunt, sed praeterea 1. reliquiarum, crucis, aliarumque rerum sacrarum, venerationem admittit, imaginum vero repudiat, argumento, in illa adoratione quid plus, quam in aliarum rerum veneratione, a Graecis fuisse, secundum ipsum, quaesitum et positum; cum ceteroquin tanta cum vehementia contra imaginum cultum non disputasset. Graeci enim alio cultus genere non prosequebantur imagines, ac reliquias. Verum quidem est, Carolum ne illam quidem reverentiam concedere imaginibus, sed hoc inde est repetendum, quod Graecos existimaverit imaginibus aliquid sanctitatis materialiter tribuere, et majore religione eas colere: a quibus ut longius discederet, eo est delapsus. 2. Graecorum defensionem, se imagines divino non adficere cultu, et in prototypa oculos tantum habere defixos, pro colore et fuco habuit, quo errorem palliabant, sed veram opinionem eorum a Constantino, Constantiae Cypri Episcopo, esse expressam tenuit, cujus verba, a Graeco textu longe aliena, haec dicit fuisse, in Synodo Nicaena, l. III. c. 17. *suscipio et amplector sanctos et venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali et vivificae Trinitati emitto.* Sed longe aliter mentem suam exposuerat Constantinus, his verbis: *suscipio, et cum honore amplector,* τιμητικῶς ἀσπάζομαι, *sanctas et venerandas imagines,* καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν, *ut,* vel *sed, latriae adorationem soli supersubstantiali et vivificae Trinitati* ἀναπέμπω *defero.* Quae verba acta Graeca Nicaen. Synodi act. III. habent. Accedit 3. autorem librorum Carolinorum l. III. c. 16. diserte fateri, *a Doctis quibusque vitari posse hoc, quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen scandalum generare, qui nihil aliud in his, praeter id*

qui vident, venerantur et adorantur. Dictis lucem infundunt verba Jonae Aurelianensis de *cultu imaginum* l. I. quibus opinioni Claudii Taurinensis, *imagini nihil inesse divini*, nec honorandam esse, nisi relate ad prototypum, respondet, *Una reprehendimus et detestamur, quia cum eorum*, scilicet *iconolatrarum* Graecorum, *scientiam non subterfugit, imaginibus nihil inesse divini, majore digni sunt invectione, eo, quod debitum honorem Divinitati inpenderint infirmo et egeno simulachro. Quantumque hujusce erroris sectatores et defensores a vera exorbitent religione, non opus est, per singula mea declarare narratione, id ipsum etiam Orientales, qui eodem sceleratissimo mancipantur errori, se objurgantibus respondere solent. Tribuat Dominus sua gratuita pietate, ut tandem aliquando ab isto et illi ab eadem eruantur superstitione.*

§. CXCIII. γ. Ita ergo de toto hoc negotio est habendum, ut autumaverim. 1. Carolus contra Graecos fuit animatus, quod, eos imagines, et propter insitam sanctitatem venerari, et divina aliquali adoratione prosequi, censuerit. Quod cum ex voce *προσκυνήσεως adorationis*, tum ex verbis Constantini vitiose editis in versione Latina, tum ex anathematismis, in eos, qui non adoraverint, pronunciatis, quippe quibus locus non erat, si imagines tantum voluerint venerandas, collegisse videtur. 2. Quam ob causam, ut vitetur omnis idololatria, et plebi ac imperitis occasio imagines religiose colendi eripiatur, omnem omnino cultum, omnimodam adorationem proscripsit, cum imaginum nulla sit ad Christum et sanctos relatio, qualis est reliquiarum etc., quare nec eam voluit imaginibus exhiberi venerationem. 3. Quod si sinceriora ad Carolum fuissent delata acta Nicaena, Graeci ab adoratione sub anathemate sancienda abstinuissent, in miraculis proferendis modum tenuissent, denique mentem moderatius et clarius expressissent, forte in imaginum cultu relativo et inferiore admittendo minus fuisset difficilis Carolus, utique in Graecorum Synodo refutanda minus vehemens. Fassus utique et ipse est, ut modo notavi,

notavi, imagines a Doctis coli sine vitio posse, admisit praeterea reliquiarum, aliarumque rerum similium, venerationem fere eandem. Quod utique ab imaginum ejusmodi cultu parum abest; ut recte in Gallis animadvertit Anastasius in epist. ad Johannem VIII. Papam, in Conciliorum tomis. Qui crucem religiose veneratur, eum imagines, quippe praestantiores, multo magis debere, disputat quoque Nicephorus, Patriarcha CPolit., in Antiq. Lect. Canisii t. II. p. II.

§. CXCIV. Dictis lucem et robur inpertietur, sed et ab iis mutuabitur, canon *secundus* concilii Francofordiensis ad Moenum, jussu Caroli coacti a. 794. cui ex Gallia, Germania, Britannia, et Italia interfuerunt ad minimum 300 Episcopi: de quo infra recurret occasio agendi. Verba Canonis haec sunt. *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus CPoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum ita ut Deificae Trinitati,* (forte legendum *vivificae* Trinitati, ut est in Graeco non tantum textu, sed et in libris Carolinis l. III: 27.) *servitium, aut adorationem, non inpenderint, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnibus modis adorationem et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Illud 1. nunc satis constat, Synodum Nicaenam II. hic intendi, et condemnari; quod et ipsa evincunt verba, et annales Francici vetusti uno ore fatentur, et testantur: ut multis ostendit Dallaeus de Imagin. l. IV. c. 4. nec non autor Dissert. crit. praemissae librorum Carolinorum editioni Heumanni. Quare illud, contra Vasquez., Suares, Binium, aliosque, qui Synodum Iconoclastarum hic damnari opinantur, agnoscunt cordatiores Catholico-Romani, praeter Baronium et Bellarminum, Natalis Alexander, Sirmondus in Concil. Gallican., aliique. Audit quidem, ut id obiter observem, *CPolitana* Synodus, licet Nicaeae sit habita, sed vel quod pro Orientis Inperio CPolis habeatur, vel ibi inceperit, et finita

fuisset

fuisset, nisi turbata fuisset: ut supra narravi. Addatur, acta, finita Synodo, fuisse CPoli relecta et confirmata. Sed 2. dubium magis est, quid in Synodo Graecorum damnaverit Fracofordiensis? omnimodam adorationem, an divinam tantum, quae *Latria* dicitur? Prius contendunt Protestantes, et inter eos in primis Dallaeus l. cit., posterius Catholico-Romani: tantam fatetur Natalis Alexander, eum quoque venerationis modum repudiari, quo per incensa, et luminaria, similesque ritus, coluntur imagines, solamque adorationem negativam admitti. Petavius vero existimat, Synodum Nicaenam hic non damnari, sed insulsam tantum Constantini illius Episcopi sententiam, sicut in depravatis actis Latinis Nicaenae Synodi expressa fuit, adeoque *latriam* tantum, non illam venerationem imaginum, quam Synodus Nicaena stabilivit.

§. CXCV. Mihi quidem dubium non est, quin supremam non tantum adorationem, sed qualemcunque, adeoque omnimodum cultum religiosum, damnaverit Synodus Francofordiensis, cum quod verba illud diserte significent, tum capitula Carolina, hic adprobata, illud fecerint, ut supra demonstravi, tum denique, quod Ecclesiae Gallicanae sequentium temporum eodem modo instituerint; ut postea, suo loco, patebit. Nihil itaque, nisi venerationem negativam, agnovit Synodus. Praeterea et illud mihi certum est, idem, quod supra de Carolinis libris observavi, hic locum habuisse, Synodum scilicet in eam delapsam esse opinionem, quia veram, et proprie dictam, adorationem putavit a Sydono Nicaena esse sancitam. De quo ex ipsis verbis canonis clare constat. Sed illud mihi videtur dubium, num, licet omnem adorationem imaginum rejecerit, etiam honorationem per incensa, luminaria, aliosque ritus similes, num, inquam, non admiserit Synodus adorationem Christi, et invocationem sanctorum, *coram imaginibus*, ita ut coram iis sese prostraverint, non eas, sed Christum, ita adorantes, cum, ut se eum, cujus erat imago, adorare hoc ritu significarent,

ficarent, tum etiam per imaginis contemplationem in precibus fierent ardentiores. Ratio dubitandi est, ab altera parte, quod ejus rei nulla fiat in libris Carolinis mentio, sed ab altera, quod Gregorii M., Papae Romani sec. VI., per omnia adprobaverit sententiam. Sic enim habet ultimum capitulum, in capitulari Synodi, ad Hadrianum misso, quod actis Synodi Nicaenae Latinis est subjunctum, ubi, postquam Gregorii sententiam a se adoptari dixerint, haec addunt verba Francofordienses; *permittimus imagines sanctorum, quicunque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quamque extra eam, propter amorem Dei et Sanctorum ejus; adorare vero eas nequaquam cogimus, qui noluerunt: frangere vero eas, vel destruere, etiamsi quis voluerit, non permittimus.* Capitulum hoc deficit quidem in editione Tiliana librorum Carolinorum, sed apud Goldastum reperitur, et in responsione Hadriani, l. cit., quare illud non repudiaverim; imo, si vel in libris Carolinis non exstitisset, potuit tamen inter capitula, a Synodo Francoford. ad Hadrianum missa, locum habuisse, quia non ipsi illi libri, sed capitula tantum, inde excerpta, seu lemmata forte, quod opinatur Petavius, Papae sunt tradita. Cum vero in hoc capitulo dicunt, *adorare eas nequaquam cogimus, qui noluerunt*, Synodum Nicaenam in eo damnant simpliciter, quod *adorationem sub anathemate* sanciverit, nec ulterius extendenda sunt. Non enim pro re licita, et indifferente, habent adorationem, ut ex libris Carolinis, et aliis monumentis, liquet, sed ad eos tantum pertinent verba, qui adorare nolebant, qui ad id nequaquam cogendi sunt; cum recte faciant, quod non adorent.

§. CXCVI. Capitulis Synodi a Carolo ad Hadrianum missis, Papa ea inprobavit, excepto ultimo capitulo, modo memorato, quod a reliquis esse diversum observavit. Exstant Papae litterae responsoriae ad calcem actorum Synodi Nicaenae Latinorum. Ex quibus nonnulla discimus notanda, 1. imagines, vel historias pictas, prius sacro chrismate ungi fuisse solitas in Ecclesia Romana, et tunc a fidelibus

venerari;

venerari; cap. 39. 2. cultum imaginum constitui non in *vera cultura, quae solam divinam naturam decet*; sed in *osculo et venerabili salutatione*, cap. 54. in *prostratione corporis coram imagine*, ibid cap. 25., ubi ad ultimum capitulum Caroli respondetur, ubi Gregorii M. recipitur doctrina. 3. Synodum Nicaenam, a Papa esse adprobatam, quatenus nullam aliam ac modo dictam, sancivit adorationem; absque tamen ut emissis litteris facta fuerit adprobatio. Denique 4. nullam occurrere expressam Synodi Francofordiensis damnationem, forte quod Papa censuerit, Synodum non tam longe a sua abesse opinione, cum quod *negativam* stabiliverit adorationem, tum in mentem Gregorii M. concessisse fuerit visa. Differentia hac ratione itaque tantum circa *modum* venerationis supererat; quatenus Francoford. Synodus nullum voluit cultum positivum, nullos ritus ad honorandas imagines, Romana vero Ecclesia ritus honorationis externos admisit.

§. CXCVII. Praeterquam quod ex superiore historia elucescat, creditum adhuc fuisse, decreta Synodorum, etiam a Papa adprobata, reprobare licere, quod multis ursit P. Allixius in dissert. de *conciliorum definitionibus ad examen revocandis*, ex ea discimus, quoad imagines, Ecclesias Orientis et Occidentis in negativam quidem consensisse venerationem, Iconoclastis ubique terrarum condemnatis, sed circa *positivam* in diversa abiisse, cum Francofordienses Patres, Ecclesiae Galliae, Germaniae, etiam Britanniae, nullam talem voluerint. Acta enim Nicaena, in Britanniam a Carolo missa ad regem Offam, ibi damnata esse, tradit Rogerius ex Regis istius vita ad a. 792., nec non Matth. Westmonasteriensis, et alii. Habuerunt quidem Anglicanae Ecclesiae jam hoc sec. imagines pictas, sed ab omni dulu religioso abhorruerunt, ut ex Beda lib. I. *de vita Biscopi Abbatis* sui patet. Ipse enim, ut ibi refert, *pictaras imaginum sanctarum, praeterea imagines euangelicae historiae*, et *visionum Johannis Euangelistae, Roma detulit, et in Ecclesia sua collocavit*,

[illegible] *intrantes Ecclesiam, etiam litterarum ignari, [illegible] vel semper amabilem Christi, sancto-[illegible] in imagine, contemplarentur adspectum, [illegible] gratiam vigilantiore mente recole-[illegible] discrimen examinis, quasi coram oculis ha-[illegible] se ipsi examinare debuissent.* Graeci vero [illegible] admiserunt venerationem, sed ita, ut [illegible] imagines, quam earum prototypa, honorarentur, [illegible] veneratio, ac quae in prostratione corporis, [illegible] et luminaribus sita est: quo ipso cultus [illegible] ligna, et reliquiae Sanctorum, honorabantur in [illegible] sine ulla contradictione. Videntur tantum Orien-[illegible] cultum et fortius expressisse, et vehementius ur-[illegible] in Iconoclastas non tantum, sed in omnes, qui [illegible] recusaverint, anathema pronunciaverint. [illegible] benignius egit, et moderatius, ipse Papa Hadrianus, [illegible] quoque, et Ecclesias Galliae ac Germaniae, veritus [illegible] tanto fervore fuerunt Orientales in imaginum cul-[illegible] ut magnam religionis partem in eo collocarint, [illegible] anathemate sanciverint, et, multis miraculis divini-[illegible] approbatum, opinati fuerint. Quae etiam ratio est, [illegible] inciderit cogitationem Carolus, imagines Deo [illegible] aequari ab Orientalibus, et hostes Christiano-[illegible] adversarii Catholicorum, iis inpegerint cultum ima-[illegible] Numinum. Memorat utique Joh. Damascenus [illegible] c. 101. *χριστιανοκατηγόρους Christianorum accusato-*[illegible], eos colere *imagines, ut Deos;* sive fue-[illegible] Saraceni, ut Nicephori CPolitani fragmentum, [illegible] excerptum, tradit, sive ex ipsis Christi-[illegible] adversarii.

[illegible] Licet vero Iconolatrae studiose inculcave-[illegible] Idololatras, cum Christum et sanctos, et [illegible] per imagines colerent, nec ab unius Dei [illegible] cum imagines honorarent, non divino mo-[illegible] non imaginum, sed Christi et sancto-

rum

rum respectu, a superstitione tamen absolvi nequeunt, 1. quod modo a Christo aut Apostolis non praescripto, aut permisso, coluerint Imagines, 2. iisdem etiam ritibus, quibus in veri Dei cultu, uterentur in venerandis imaginibus, 3. multa praeterea miracula patrari, et bona concedi causa imaginum, crediderint. 4. Denique tanto studio eum cultum urserint, et dissentientes propterea vexarint, hoc usi falso praetextu, quod, qui imagines respuunt, in ipsum Christum et sanctos, quorum sunt imagines, hostilem faciant inpetum. Ad quae 5. accessit, plebem et inperitos imagines respexisse, tanquam numina tutelaria, et devotionem in ipsas imagines direxisse: a qua crassa superstitione ipsos genuinos Romano-Catholicos non esse alienos, Protestantes saepe urserunt. Sed de cultu imaginum, et reliquiarum, ex mente eorum, longe moderatius disseruit J. Fronto, edit. Fabricii, ad calcem Philastrii de haeresibus, etiam Dupinius in Hist. concilii VI. Nic. Ipse Petavius Dogmat. Theolog. l. XV. c. 13. imagines inter ἀδιάφορα *indifferentia* retulit, *quae ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam ipsam religionis adtinent.*

§. CXCIX. Hac tractatione absoluta, Ecclesiae conditio, qualis respectu sanctorum, reliquiarum, et Imaginum cultus, praecipue in Oriente et Italia fuit, facile sese prodit. 1. Cultus iste publico Synodi, pro Oecumenica habitae, decreto, et Paparum autoritate, est hoc demum seculo sancitus. Synodus enim Nicaena Imaginum non tantum, sed et sanctorum, ac reliquiarum, adorationem firmavit; ut acta ejus docent. Imo canon ejus VII*mus* vetat, Templa consecrari absque sanctorum martyrum reliquiis. Ambrosius Anspertus ad Apoc. VI. lib. IV., adserit, sanctos adpellari in Script. S. *montes et petras, in quibus procul dubio tutissima paventes latibula, firmaque inveniunt refugia, dum eorum intercessionibus se tota committunt fiducia.* Angelorum vero adorationem, ante Christum quidem non fuisse prohibitam, quia tunc sanctis superiores habebantur, sed post eum, quia tunc

his aequati sunt, illegitimam esse, statuit, ibid. ad c. XIX. lib. VIII. Quod vero Johannes c. XXII., altera vice Angelum adorare voluerit, contra superius interdictum, illud vel ab eo repetit ibid. l. X., quod Johannes, visionum stupore perculsus, interdicti fuerit oblitus, vel quod istam et superiorem visionem conjunxerit, et *hoc, quod supra jam fecerat, a se factum repetierit.* Quo ipso insinuat, pericopam illam c. XXII: S. 4. ab eo loco esse alienam: haud ita male; cum ex cap XIX. videatur huic loco inserta, et seriei orationis repugnet. Invaluit etiam jam consuetudo *Sanctos* publico adprobandi judicio. Nomen *canonizationis* licet postea demum innotuerit, res ipsa jam obtinuit: ut ex capitulis Francorum, et aliunde, patet. Vid. Mabillon. Act. Benedictin. sec. V. in praefatione. 2. Crevit magis magisque omnigena superstitio, praecipua religionis pars habita, et fundamentum spei. Quod libri Carolini, quoad imagines, ubique notarunt, et reprehenderunt. Quo pertinet, quod reliquiae studiose conquisitae, quaquaversum missae, revelationes fictae, et miracula narrata sint, imo nihil fere boni, nulla fere victoria erat, quae Sanctis, et eorum reliquiis, ac imaginibus, non fuerit ex parte adscripta. Exempla abunde suppeditat Baronius in Annalibus. Theophanes in *Heraclio* omnes fere victorias Mariae Deigenitrici acceptas refert, post Deum. Introducit etiam ad annum ejus 17*mum* exercitum his verbis adloquentem: *videte fratres, ut nullus belli societatem init nobiscum, quam Deus solus, et quae illum sine semine concepit mater* etc. Idem ipse in Leone Isauro Nicaeam, Bythyniae civitatem, a Saracenis oppugnatam, sed non expugnatam, esse tradit, ob sanctorum, quorum *imagines* ibi religiose colebantur, preces. Andreas quoque Cretensis in *sermonibus* suis in Mariae summis ornanda elogiis nullum tenuit modum: adpellat eam *divinam cum Deo reconciliationem, thesaurum vitae immortalis, coelum, domicilium solis gloriosi* etc. Fecit eam adorationis directum objectum, et ejus resuscitationem, ac adsumtionem in

in coelum, credidit. Quod dogma, a Dionysio Areopagita inventum, hoc seculo passim est adsumtum, festo etiam ejus instituto. Quod: Carolus M. deliberandum proposuit, et Principes postea decreverunt. De quo postea. Mitto alios Mariae laudatores et adoratores, ut Cosmam hymn. in Theogon. VI., Althelmum, apud Occidentales Saxones in Anglia episcopum, de *laude Virginum*, in Bibl. M. P., ubi in prooemio Mariam invocat, dicitque,

Maxima praecipuum quae gestas Numine nomen
Addere praesidium mater dignare precatui

etc., praeterea Joh. Damascenum, de quo supra, et alios, ut Autpertum in Sermone de *adsumtione Mariae*, in Actis Benedictin. Mabillon. sec. III. p. II., qui *de Adsumtione Mariae* tamen nihil definivit, dicit enim, *sive in corpore, sive extra corpus, adsumtam super coelos credimus* etc. Johannis Baptistae caput in Templum Emesenorum urbis translatum refert Theophanes in Constantino Copronymo, ibique adoratum, et miraculosis curationibus illustre. Imagines in plateis, jam et viis positae fuerunt adorandae, testibus libris Carolinis, ut l. IV: 26. Exemplum quoque insignis superstitionis praebet *spongia* Gregorii. II. Papae, qua ejus mensa detergebatur, ab Ipso consecrata, et ad Eudonem, celebrem illum Gallorum ducem, missa, ac pro benedictione inter milites distributa, cum contra Saracenos in Aquitania pugnaret, a. 725., cui et victoria est adtributa, et inmunitas a vulneribus. Vid. Anastasius in Gregorio, et Frodoardus, Remensis canonicus, in lib. de *Pontificibus Romanis*, in Actis Benedictin. Mabillon. sec. III. p. II. Ceterum *Spongiae*, ut notum, veteribus erant in deliciis, et ad mensas tergendas etiam adhibitae, ut illud Martialis habet, l. XIV.

Haec tibi forte datur tergendis Spongia menfis.

Gregorius quoque III. Oratorium in Bafilica Petri conftruxit, ubi facras reliquias, undique conquifitas, recondidit ad cultum, nec non fanctorum natalitia facris officiis et miffis quotidie celebrari ftatuit a Monachis trium monafteriorum, ibi Domino miniftrantium, ut refert Anaftafius. Stephano II. Papae, lethaliter decumbenti in Galliis apud S. Dionyfium a. 754. narratur adparuiffe Dionyfius Areopagita, fanitatem promittens, et ab ipfo ftipulatus, ut *altare ibi dedicaret in honorem Dei, et Apoftolorum Petri et Pauli*, unde vox Petri ad Dionyfium, *tua gratia fanitas eft ejus:* fic rem refert Baronius ad ann. 754. ex epiftola Sthephani; fed quae ficta eft a Monachis fani Dionyfiani; ut multa evincunt. Denique Cathaulfus, Carolo M. *falutaria fuafurus*, ipfi autor fuit, ut miffam Michaelis, et paffionem Petri, per regnum juberet celebrari, tefte Epiftola ejus apud Duchefnium, tom II. Scriptorum Francorum. Poftremo, ne plura congeram, divina quafi revelatione inventae hoc feculo feruntur reliquiae Dionyfii Areopagitae, Marcellini, Sthephani martyris, Laurentii, Auguftini, Gregorii M., et aliorum. De Auguftini reliquiarum varia tranflatione vid. Baronius a. 725., qui etiam ex Beda varia profert de findone fepulchrali Chrifti, de fpongia, qua potatus eft in cruce pendens, de corona fpinea. etc. repertis.

§. CC. De cultus religiofi *partibus*, ad quas, tractatione de *objecto* cultus abfoluto, pergendum eft, antequam agam, obfervandum eft, *officium Romanum* hoc feculo in Galliam effe introductum, et facra ubique in Occidente peracta lingua *Latina*, per Galliam itaque et Germaniam peregrina maximam partem. Lingua enim Latina illis in regionibus defiit effe vernacula poft feculum VII., poftquam Franci, Burgundiones, aliique populi, e Germania profecti, ibi refederunt. Unde factum eft, ut lingua Gallica fuerit a Germanica et Latina diverfa facta, licet ad Latinam propius

acceſſerit,

accesserit, inde *Rustica Romana* adpellata. Diversas enim fuisse linguas Gallorum et Germanorum, secus ac Usserius putavit, demonstravit libri ejus de *scripturis et sacris vernaculis* continuator. Nimia vero erga sedem Romanam reverentia in causa fuit, quod Pipinus primum, dein Carolus M., officia divina voluerint celebrari lingua Latina. Quare antiquus quoque cantus, una cum Liturgia, abolitus est in Ecclesiis Gallicanis, et Romanus ordo, cum Psalmodia, introductus, jussu primum Pipini, dein Caroli. Vid. lib. Carol. de Imaginibus l. I. c. 6. et *constitutio* de emendatione librorum et officii Ecclesiastici, apud Baluzium Capitul. Francorum t. l. p. 203., ubi Pipinus dicitur *totas Galliarum Ecclesias Romanae traditionis suo studio cantibus decorasse.* Vid. ibid. p. 239. Quo fini misit Carolus duos Clericos Romam, ut authenticum cantum a Romanis discerent, per quos Metensis primum Ecclesia, dei universa Gallia, ad Romanum, seu Gregorianum, cantum est revocata. Vid. Usserius de scrip. et sacris Vernaculis. Quod ut efficeretur, multum sub Pipino laboravit Paulus Papa, adjutus a Remigio, Rotomagensi Archiepiscopo, Pipini fratre, ut ex epist. Pauli 43*tia* cod. Carolini ad Pipinum patet. Carolus dein illud, ut dixi, perfecit, licet non sine aliqua difficultate. Gulielmus Durandus l. V. c. 2. diserte notavit, *eum ad id Clericos minis et suppliciis per diversas provincias coegisse, et libros Ambrosiani officii combussisse.* Quod etiam alii confirmant, ut Antoninus Florentin. in Chron. tom. II. Qui itaque idem crimen hac parte commisit, quod in Graecis, respectu imaginum, adeo reprehenderat.

§. CCI. Nec tamen intendit Carolus, ut sacra peragantur lingua ignota, licet Latinam invexerit. 1. Latinam inter et rusticam Romanam, in Gallia vernaculam, tantum hoc tempore non fuit discrimen, ut officium, saepius repetitum, intelligi non potuerit a plebe, debita adhibita adtentione. 2. Promovit praeterea omni ope Carolus cognitionem linguae Latinae per Scholas ubique erectas, ut fu-

pra observavi. Denique 3. voluit, ut, si populus linguam Latinam ignoraret, sacra quidem lingua illa, sed cum vernacula conjuncta, fierent, Vid. continuator Usserii libri citati. Conferri etiam meretur S. Basnagius hist. Eccles. l. IX. c. 4. Quare in Synodo Turonens. III. a. 813., Caroli jussu habita, decretum est, can. 17., ut *homiliae aperte transferrentur in rusticam Romanam linguam aut Theotiscam*, (Germanicam) *quo facilius cuncti possint intelligere quae dicerentur*. Quo etiam tendit canon. 45. concilii Moguntiaci a. 813., quo praecipitur, ut Sacerdotes populum doceant *Symbolum*, et *orationem Dominicam*, et *ut parentes filios suos mittant ad scholam, ut fidem catholicam discant; et*, ita additur, *qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat*. Ceterum verum quidem est, ut illud obiter observem, linguas, quibus sacra fiebant in Ecclesiis Orientalibus, plebi subinde aeque fuisse ignotas, ac Latinam in Ecclesiis Occidentalibus, ut fuse demonstrat Renaudot. in dissert. praemissa *collection. liturgiarum* Orientalium cap. 6. Sed, quod notari velim, versiones passim fuerunt adjunctae, et nonnullae tantum particulae fuerunt inter Coptitas lingua Graeca conservatae, ut ipse ibid. observavit.

§. CCII. Cum lingua Latina totum officium Romanum ad Gallicanas Ecclesias est translatum. Cujus initium factum est a cantu Romano, a Pipino invecto; ut ex Pauli Papae ad Ipsum epistola patet, qui ipsi *antiphonale*, et *responsale* misit. Duos quoque canendi peritos, a Papa missos Roma, accepit, qui Francos vera Psallendi arte inbuerent; quorum unum palatio suo praefecit, alterum Metas misit: quae urbs hac in re ita inter Francos eminuit ab hoc tempore, sicut Roma inter omnes Latinos: unde cantilena Ecclesiastica Germanice quoque adpellata est *Metametten*. Vid. Schminck. ad Eginhard. in vita Caroli c. 26. Deinde ab Hadriano petiit, et inpetravit, Carolus *Sacramentarium* Gregorianum; teste Epistola Hadriani, quae est 82. codicis Carolini. Quando edicto jussit, ut singuli Presbyteri

ri missam ordine *Romano* celebrarent: ut capitulare 371. lib. V. habet, *unusquisque presbyter ordine Romano Missam cum sandaliis celebret.* Quare omnes libri Missales ad codicem illum Gregorianum sunt exacti. Commendavit quoque ordinem Romanum Alcuinus in epist. ad Eanbaldum in Antiq. Lect. Canisii t. II. ubi vid. notae Passionei. Exstat *ordo Romanus* de divinis Catholicae Ecclesiae officiis, hoc seculo, ut putatur, confectus, in Biblioth. M. P. tom. XIII.

§. CCIII. Nec tamen hoc tempore ad Hispanos aut Britanos translatus fuit ordo Romanus, quod non nisi sec. XI. et XII. factum est. Apud Hispanos obtinuit ordo *Mozarabicus* dictus, de quo ad super. sec. dixi; inter Britones et Hibernos quinam viguerit, incertum est. Malachias vero barbaras consuetudines traditur cum Romanis commutasse; ut refert Bernardus in vita Malachiae c. 3, 8. Antiquior est ordo Gallicanus Mozarabico, qui ex eo desumtus est; utique exacta est inter utrumque convenientia. Gallicanus autores habuit Hilarium Pictaviensem, Musaeum, presbyterum Massiliensem, et Sidonium, Arvernorum Episcopum; constatque, eum, a Romano diversum, jam exstitisse sec. VI., Vid. Epistola Gregorii M. ad Augustinum Monachum. Mozarabicus vero compositus est a Leandro et Isidoro, Episcopis Hispalensibus sec. VII. Edidit eos novissime Mabillonius de *liturgia Gallicana:* qui consulendus est. Vulgavit quidem Flaccus Illyricus *ordinem Gallicanum*, sed non est verus et antiquus ordo, verum missam Pontificalem continet secundum ritum Romanum; ut Mabillon. in differt. praevia l. I. c. 3. demonstravit. Primus veram liturgiam Gallicanam detegere coepit Cardinalis Bona, et publicavit Thomasius. Mabillonius vero tria exhibet Missalia, *primum Gotho-Gallicanum*, purum putum ordinem Gallicanum, Gallis sub Gothorum imperio usitatum, scilicet apud Septimanos vel Novempopulanos; *Secundum* Francorum, et *tertium* Gallicanum vetus; in qui-

bus duobus ordo ex Romano et Gallicano mixtus repraesentatur. Luci quoque exposuit Mabillon. in Mus. Ital. t. II. *Sacramentarium Gallicanum* ex cod. MSS. ante mille annos; quod censet institutum fuisse in usum Ecclesiae et Provinciae Vesontionensis; quae maxima erat Sequanorum provincia, in qua situm est Luxoviense Monasterium, unde Columbanus migravit Bobium.

§. CCIV. Praescripsit praeterea Carolus Ecclesiis regni sui *Homiliarum* et materiam et formam. Noluit, ut pseudo-graphiae, et dubiae narrationes, praelegerentur, sed soli libri Canonici, et Catholici tractatus, et sanctorum autorum dicta legantur, et tradantur; ut capitulum Aquisgranense a. 789. in Capitularibus Francorum t. I. habet. Ubi etiam cap. 80. jussit, ut Episcopi curent, ne Presbyteri per Parochias praedicent *nova, et non canonica*, ex suo sensu, et non secundum Scripturas canonicas; praescribit quoque ibid. capita tractanda de Trinitate, Incarnatione, vita ac morte Christi, ejusque resurrectione, et ultimo judicio, de resurrectione mortuorum, de vitiis et criminibus cum exitio aeterno conjunctis, secundum Gal. V., de virtute et bonis operibus. Quod idem ursit concilium Turonense III. supra citatum, cujus canon 17. haec homiliarum capita definit, *de fide Catholica, prout capere possint, de perpetua retributione bonorum, et aeterna damnatione malorum, de resurrectione quoque futura, et ultimo Judicio, et quibus operibus possit promereri vita, quibusve excludi.* Denique in mandatis dedit Carolus, ut ex Patribus componerentur homiliae, quae in Ecclesiis legerentur: unde ortum est *homiliarium*, ab Alcuino adornatum, et a Paulo Diacono perfectum, cui praefationem praefixit Carolus, qua illud commendat, et Ecclesiis praescribit. Quae praefatio exstat in Analectis Mabillonii. Homiliarium etiam dictum est *Postillarium* a postillis h. e. explicationibus, *post illa* ex scriptura lecta.

§. CCV. Cum itaque sacra omnia fuerint formulis adligata, libri quoque *formularii* maxime in usu fuerunt, et Bibliothe-

bliothecam Cleri fere constituerunt. Jussit utique Carolus L. L. Capitularium cap. 103., curam dent Episcopi, ut Presbyteri *Missalem et Lectionarium, sive ceteros libellos, sibi necessarios, bene correctos habeant.* Fuerunt autem praecipui, *Missale*, quo singula ad missam pertinentia continebantur, *Lectionarium*, in quo lectiones et Euangelia de circulo anni erant, *Capitulare* euangeliorum, alias etiam *breviarium*, quo initia et fines Euangelicarum lectionum per singulos dies comprehendebantur, praeterea *Liber euangeliorum*, *Psalterium*, *antiphonarium*, *liber de computo*, *de ordine baptismi*, *martyrologium*, *poenitentiale*, *passionale*, *canonum volumen*, *homiliae* 40 Gregorii M. Vid. Baluzius ad libros Capitularium tom. II. p. 1105.

§. CCVI. De *ritibus* Baptismi, ut ad partes cultus publici propius accedam, eorumque ratione et significatione, constat ex Epistolis nonnullis, ad quaesitis Caroli satis faciendum scriptis de ritibus hujus sacramenti. Misit nimirum Carolus a. 812. encyclicas ad regni sui Archiepiscopos Litteras hac de re, quarum una ad Odilbertum Mediolanensem sola superest in Analectis Mabillonii: ad quas respondit Theodulfus, Aurelianensis Episcopus, de *ordine baptismi* apud Sirmond. oper. t. II. Odilbertus Mediolanensis in Analectis Mabillonii, Leidradus, Lugdunensis Episcopus, ibid., Amalaricus, Trevirensis Episcopus, in libro de *S. baptismate*, qui falso inscribitur Alcuino, de quo supra dixi. Magni, Senonensis Archiepiscopi, libellus, hac occasione scriptus, de *mysterio baptismatis*, nec non Alcuini in epist. ad Oduinum Presbyterum, superest apud Martene Antiq. Eccles. rit. lib. I. p. I. Ex quibus patet monumentis, nihil, aut parum, hac parte, aut in aliis cultus partibus, fuisse hoc seculo ortum, quare paucis defungi potero. 1. Mos obtinuit, ut infantes morituri fuerint per laicum etiam baptizati, *benedicta simpliciter aqua in nomine Domini intincti vel superfusi, cum invocatione S. Trinitatis*, ut in vita Liudgeri narratur in Actis Benedictin. Mabillon. sec. IV. p.

I. Concilium tamen Celichtianense in init. sec. IX. vetuit *infusionem aquae super capita infantum*, et voluit, *ut mergantur in lavacro.* Concessit nihilominus Papa Stephanus II., in *responsionibus* ad quaesita Gallorum, *infanti in infirmitate posito, aquam super caput fundere, cum concha, aut cum manibus*, porro, in *vino* baptizare, si aqua desit. 2. Inter ritus baptismi consequentes memoratur a Theodulfo *velaminis* inpositio capiti, ad sacerdotalem et regium scilicet baptizatorum conspectum expingendum. 3. Altaria, omniaque vasa sacra, fuerunt chrismate inuncta et consecrata, teste Leidrado; adeoque et ipsae campanae, quarum unctionis, et benedictionis, formulam libri rituales, tempore Caroli M. conscripti, hoc sub titulo, habent, ad *signum Ecclesiae benedicendum;* ut Menardus ad librum sacrament. testatur p. 207. Vid. et Bona rer. Lit. l. II. c. 21. et Martene Ant. Eccles. rit. l. II. c. 21. Nulli tamen rituales libri memorant nomen *sancti*, campanis inpositum. Cum vero Carolus in capitulari 3*tio* a. 789. apud Baluzium Capit. t. I. vetet, *clocas baptizare*, morem illum nondum fuisse receptum, inde colligere licet. Obtinuisse tamen videtur in monasteriis, unde in Ecclesiam irrepsit. Vox vero *cloca* pro campana invaluit maxime hoc seculo; licet eo sensu jam occurrat apud Adamnanum in vita Columbae, sec. VII. scriptorem, in fin., in Antiq. Lect. Canisii vol. I., ut et sonitus ejus ad Ecclesiam intrandum. Ceterum campanae Ecclesiae etiam solitae fuerunt pulsari, cum quis in agone mortis versaretur, vel modo esset mortuus, eo scopo, ut ad orationes excitarentur, vel convocarentur fideles: ut habetur apud Bedam Hist. l. IV. c. 23. 4. Formula baptismi adeo superstitiose est observata, ut, si vel recte non fuerit Latine pronunciata, dubius reddi videretur baptismus. In Bojoaria enim cum sacerdos quidam in hanc formam baptizasset, *baptizo in nomine Patria, et Filia, et spiritua sancta*, vel *spiritus sancti*, quaestio fuit inter Bonifacium, Vergilium, ac Sidonium, qui euangelium ibi adnunciabant, nata, sitne

fitne legitimus baptiſmus, nec ne? quorum duo poſteriores defenderunt, ſed Bonifacius damnavit, baptiſmum. Quaeſtione ad Zachariam Papam delata, Papa quoque pro legitimo habuit. Vid. epiſt. Zachariae ad Bonifacium a. 774. ſcripta, quae inter Bonifacianas eſt 134. Inter errores Hiſpanorum nonnullorum relatum quoque eſt, quod una uterentur merſione, nec non, quod ad ſingulas merſiones nominarent Trinitatem, ut patet ex epiſt. 61*ma* Alcuini in Ant. Lect. Caniſii.

§. CCVII. De Euchariſtia unum alterumve habeo obſervatum, memoratu dignum. 1. Miſſae, ſic dictae, ſolitariae, cum hic illic abuſive incepiſſent irrepere, a conciliis, et praelatis Eccleſiae, conſtanter reprobatae ſunt. Synodi Pariſienſis ſub Gregorio IV. a. 779. haec ſunt canone 48. notabilia verba: *irrepſit, in pleriſque locis, partim incuria, partim avaritia, reprehenſibilis uſus, et congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli presbyterorum, ſine miniſtris, miſſarum ſolennia frequentent* etc., in fin. jubetur, ut *unuſquiſque Epiſcoporum provideat, ne in ſua parochia quiſquam presbyterorum miſſam ſolus celebrare praeſumat.* Idem in capitulario Caroli reperitur apud Baluzium t. I. p. 1137. ubi uſum decernitur inhibendum, quo presbyter ſolus miſſam celebrat. Concinit capitulare Theodulphi c. 7. apud Sirmondum. l. cit., nec non concilii Moguntini a. 813. canon 43. Ratio, quare damnatae ſunt miſſae ſolitariae, inde petitur, quod modus et forma adminiſtrationis plures requirat perſonas, quae ad inperata reſpondeant. Habebat enim Eccleſia partes in ejus adminiſtratione; ut ex ſupra ſuis locis dictis conſtat. Canon Moguntiacus ex. gr. ita habet, *nullus presbyter, ut nobis videtur, ſolus miſſam cantare valet recte. Quo modo enim dicet Dominus vobiſcum, vel ſurſum corda admonebit habere, et alia multa his ſimilia, cum alius nemo cum ipſo ſit.* 2. Mentio in Eccleſia Graeca jam fit *elevationis* panis in euchariſtia, ſed nulla adorationis panis elevati. Johannes Damaſcen. de Triſagio

§. 27. inquit, *utque etiam ἐν τῇ ὑψώσει, in elevatione panis eucharistiae non dicimus, ter ſanctus, ter Dominus*, ſed *unus ſanctus* etc. Sed meminit jam Anaſtaſius Sinaita ſec. VI., ut ſuo loco notavi. Rationem ritus quidem dedit Germanus, CPolit. Epiſcopus, in rerum *coeleſtium theoria*, ubi dicitur, *elatio in altum venerandi corporis repraeſentat crucis elationem, et mortem in ea, et reſurrectionem* etc. Sed opus eſt ſpurium, ut ſupra notavi, utique dubium. Uſus quidem eſt voce *adorationis* Theodorus Studita in Anthirret. II. apud Sirmondum, ubi dicit, *corpus et ſanguis Chriſti in euchariſtia adoranda* etc. Sed ſenſu latiore, eodem, quo euangelium mox addit *adorandum*. In Eccleſia Latina *elevationis* nullum occurrit indicium ante ſec. XI., de quo poſtea. Cavebatur tamen in ea jam, *ne vel micula in terram* deciderint, quod ſi contingeret, omnes tremebant, et ſe elongabant ac reverenter recipiebant: ut eſt apud Etherium et Beatum in lib. contra Elipandum; unde et alii ritus euchariſtici peti poſſunt. 3. Conſecratio adhuc per preces, et non tantum per quinque illa verba, *hoc enim eſt corpus meum*, fiebat, ut eſt in libris Carolin. II. 27. ſicut et antea, ut ex Iſidoro Hiſpal. offic. Eccleſ. I: 25. Origin. VI: 19. liquet. Johannes vero Damaſcenus fid. Orthod. IV: 13. ſignificat, eam fieri *vi* verbi, a Chriſto, in ejus inſtitutione pronunciati, et per ἐπίκλησιν *invocationem Spiritus S.*, ubi vid. notae. Diſputat quidem Benedictus in Anthirretico altero, praemiſſo Ephraemi Syr. Oper. Syr. t. II. contra Renaudotum et Brunum, tranſmutationem, ſecundum Syros et Orientales ab antiquis temporibus, fieri mox poſt verba Chriſti, cum inſtituit ſacramentum, pronunciata, et ante preces, quibus ſpiritus ſancti illapſus ſupplicatur: ſed minus vere et ſolide. Quod hic notaſſe ſuffecerit.

§. CCVIII. Quibus levidenſi brachio perſtrictis, gravius adgredior caput, explicationem traditurus doctrinae hujus ſeculi de ſacramentis *baptiſmi* et *euchariſtiae*. Sacramentorum naturam et efficaciam, ut id praemittam, in genere deſcribi

describit Leidradus de Sacramento baptismi c. 7., quod sub *tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorum sacramentorum operatur.* Sed, ut distinctius agam, et specialius, fides Graecorum, circa naturam eucharistiae, luculenter ex Joh. Damasceno fid. Orth. l. IV. c. 13., et actis Nicaen. II., elucescit. Johannis Damasceni doctrina huc redit manifeste, divinam naturam pervadere panem et vinum, iisque vivificam addere vim eandem, quae carni et sanguini Christi, per divinae naturae unitionem, fuit indita. Cujus unitionis divinae naturae et virtutis cum pane et vino respectu, dicit α. panem et vinum esse corpus et sanguinem Christi, et non typum ac imaginem, quia typus repraesentat tantum rem, non ejus qualitates, et virtutem participat. Addit, Patres quidem hac voce fuisse usos, sed ante consecrationem tantum, et non post eam; in quo erravit: rectius dixisset, quod verum est, eos non nudum intellexisse typum, sed cum antitypo arctius conjunctum, ita tamen, ut eandem non habeat naturam, etc. β. esse *unum* idemque Christi corpus, non diversum, aut aliud, ita ut panis et corpus non sint *duo*, sed unum et idem, non tamen essentiae, seu substantiae, respectu, verum divinitatis, et divinae virtutis, quippe quam panis et corpus participant eandem; ut mox patebit. Sic, cum dixisset, *carnem Christi esse spiritum vivificum*, mox, se corrigens, subjicit, *hoc vero non dico*, ut τὴν φύσιν *naturam corporis submoveam*, sed, *ut illius vivificam et divinam naturam ostendam.* Quo verba pseudo Alcuini de *divinis officiis* c. 40., quibus *per divinitatem unum fieri corpus*, adserit, clare quoque tendunt.

§. CCIX. Addit γ. panem et vinum μεταποιεῖσθαι *transformari* in corpus et sanguinem Christi, idque omnipotente virtute Verbi Dei, sed modo ignoto. Quod verbum num *substantiae*, an *qualitatum internarum*, respectu intellexerit, quaeritur? alterutrum enim statuendum est, cum de externa et relativa qualitate, quae est signi et sigilli ad rem signi-

 ficatam

ficatam ac signatam, prorsus nequeat, quod totus orationis complexus extra dubium collocat. Pro *substantiali* mutatione facit, ut videtur, quod 1. unum idemque corpus Christi fieri dicat panem, 2. cum pane, qui a nobis comeditur, in naturam nostram converso, comparetur, 3. unitio cum divina natura non sit *μεταβολή*, ipso Johanne contra Acephalos adfirmante, ubi, *unitionem* naturarum in Domino non *μεταβολὴν* esse factam, illustrat exemplo *corporis igne candentis; candens*, inquit, *non ejus rei, quae ignescit, μεταβολὴν conversionem* denotat, *sed unionem cum igne*. Denique 4. quod vim ad hanc conversionem faciendam requirat omnipotentem, et se modum dicat ignorare. Verum ab altera parte pro qualitatum internarum commutatione, et contra substantialem, pugnant sequentes, et graviores, rationes. 1. Negat expresse, corpus Christi ad id e coelo descendere, quod fieri deberet, si ipsa ejus substantia ibi adesset. 2. Mutatio panis et vini comparatur cum ea aquae in baptismo, ubi verbo *ποιεῖσθαι* etiam utitur, et spiritus sese aquae, salva ejus substantia, tantum respectu virtutis, adjungit, quod itaque et in eucharistia locum habere debet. 3. Quo eodem clare tendit comparatio, quam adhibet, a carbone, seu ligno igni unito, desumta: sic, ait, non est *ἄρτος λιτὸς nudus* panis et *simplex*, sed *divinitati unitus*. Quo 4. etiam facit, quod verbo *μεταποιοῦσθαι* et non *μετουσιοῦσθαι* utatur: quae verba omnino differunt, et prius est Veteribus frequente in usu pro *transformatione*, et de regeneratione, ac communicatione nostra cum divina natura, in specie de unione humanae naturae cum divina in Christo usurpatur: uti ad superiora secula, suo loco, observavi. Accedit 5. hanc fuisse non solum Veterum, ad hoc usque tempus, constantem opinionem, sed et Eliam Cretensem, Johannem Damascenum imitatum, mentem hoc modo expressisse in comment. ad Gregor. Nazianzenum Orat. I. p. 201., ubi dicit, elementa panis et vini *in sacra mensa proposita, per ineffabilem quandam omnipotentis Dei vim, et facultatem, in Christi corpus*

pus et sanguinem verè commutari: etenim ne carnem et sanguinem — — conspicientes horrorem concipiamus, idcirco Deus — — propositis rebus vivificam vim inmittit, atque ea ad carnis suae operationem transfert. Haud exiguum etiam addit momentum epistola ad Zachariam Episcopum Doarorum, eique adjunctum caput *de inmaculato corpore, cujus participes sumus*, in adpendice operum Damasceni Le Quin tom. I. p. 655., sive ejus autor sit noster Johannes, ut MSS. habent, et vulgo putatur, sive alius ejus familiae Petrus Mansur, ut aliquis codex MSS. praefert, sive alius, de quo vid. Le Quin in praemisso monito. Opinio autoris huc summatim redit. 1. Sicut alimenta ab homine sumta naturaliter cum ejus substantia uniuntur, ejusque virtutem et qualitates induunt: ita panis et vinum supernaturaliter, per spiritum sanctum, per consecrationem cum iis unitum, Christi corpori in coelis adsociantur, et ejus recipiunt qualitates. 2. Sicut corpus ante et post sumta alimenta *unum* est, et manet, ita panis eucharisticus cum vino corpori Christi adglutinatus, unum est cum Christo corpus, et non duo. 3. Corpus Christi eucharisticum, cum vero ejus unum, in memoriam passionis rumpitur quidem, dum a fidelibus editur, sed non corrumpitur, aut in secessum abit, sicut nec Christi corruptum est, quippe integrum et inmortale factum, verum ad *consistentiam et substantiam animae nostrae transit, et nos ab omni corruptione vindicat.* 4. Cujus utriusque respectu, et quod unum cum Christo sit corpus, et quod ad nostrum incrementum in vita spirituali et aeterna tendat, panem dicit et vinum cedere *εἰς ἐπαύξησιν ad incrementum* corporis Christi, scilicet quatenus sacramentaliter ei adunitur, et mystice fideles, corpus Christi spirituale, augentur: ut in *adjuncto capite* §. 2. diserte dicitur.

§. CCX. Quae posteriora argumenta, quae et ex aliis generalibus Johannis hypothesibus confirmari possent, mihi prioribus longe videntur fortiora; nec sunt priora soluta difficilia. Utique ad *primum* ex praecedente thesi facile re-

 spondetur;

fpondetur: comparatio vero, quae *fecunda* erat ratio, cum pane, in fubftantiam noftram converfo, non eft extra fcopum premenda, fed eo tantum collineat, ut arcta explicetur unitas, et utraque commune illud tantum habet mutatio, quod utraque fit qualitatis internae mutatio, ficut voces φυσικῶς et ὑπερφυῶς confirmant, cum altera fiat ipfius φύσεως refpectu, fed altera fit fupernaturalis, et alius generis. *Tertia* denique ratio parum ftringit, ut ex quarto pofteriore argumento patet. Dicit quidem Johannes, unionem humanae naturae cum divina non effe μεταβολὴν, fed unitionem, verum fenfu Eutychiano ibi ea voce utitur. Poteft enim etiam fenfu orthodoxo de myfterio unionis naturarum fecundum Veteres adhiberi, uti fecerunt fuperioris temporis Patres. De *quarta* ratione fileo, cum, eam nobis non obeffe, fponte in oculos incurrat.

§. CCXI. Eundem in modum cum de aqua Baptifmi loquatur eodem in loco, et cap. 9., Joh. Damafcenus, ei non inmorabor; adeoque ad duas Synodos, in caufa imaginum habitas, CPolitanam et Nicaenam, mox pergo, ex quibus modo dicta egregie illuftrabuntur et confirmabuntur. In Imaginum refutatione provocat Synodus CPol. fub Copronymo ad Euchariftiam, ut, aliis opus non effe imaginibus, evincat, quam quae Ecclefiae eft a Chrifto tradita, in *pane* et *vino* euchariftiae confpicua; effe enim hunc panem adferit τύπον καὶ εἰκόνα *typum et imaginem* veram et perfectam corporis Chrifti: ficut enim caro Chrifti ex ipfa divinae naturae unitione *deificata* eft, ita etiam panem, per Spiritus S. adventum, et unitionem cum divina natura, effe *fanctificatum* ftatuit ac *Deificatum*. Quo nihil hanc in rem eft evidentius. Quid ad hoc Synodus Nicaena? nullam litem movet de re ipfa, tantum de nomine, nihilque habet de fubftantiae panis deftructione. Negat folum, dici debere τύπον, fed ipfum *corpus* Chrifti, cum quod Script. S. ita loquatur, tum etiam Patres praecedentes, qui non nifi ante confecrationem voce *typi* ufi funt: quod licet falfum

fit,

ſit, ad hanc quam ago cauſam nihil facit. Tota itaque quaeſtio de nomine ſupererat, quae facile tolli poterat, cum utrumque dici poſſet, et *typus*, quia Chriſti corporis non erat ipſa ſubſtantia, et *corpus*, quia ab eadem divinitate inſeſſus panis aeque corpus Chriſti adpellari queat, ac verum ejus corpus carnale. Typi quoque nomen repudiare potuerunt Nicaeni, quia plus, ſecundum ipſos, et Veteres, erat in pane, quam nuda repraeſentatio, ipſius ſcilicet divinitatis participatio. Quo fundamento nixus Joh. Damaſcenus hoc vocabulum quoque repudiavit: ut modo obſervavi. Ceterum quae de his Synodis protuli, reperiuntur act. VI*ta* Synodi Nicaenae.

§. CCXII. Miſſa Germani theoria,' opere quippe ſpurio, ad Latinos venio, poſtquam verbo memoravero, ſuperioribus per omnia convenire doctrinam autoris *invectivae* in Conſtantinum Copronymum, in auctario Combefiſii, ſive ſit Johannes Hieroſolymitanus, ſive Damaſcenus, ſive alius hujus aetatis. In fonte baptiſmali dicit aquam tantum videri, ſed fide credi adeſſe *ignem et ſpiritum*, et vim regenerationis, ſic et in euchariſtia ſeſe rem habere. Beda, licet variis locis, ab Albertino de Euchariſtia jam productis, contradicat ſubſtantiae panis in euchariſtia deſtructioni, quod, ut illud addam, etiam fecerunt Etherius et Beatus contra Elipandum in Ant. Lect. Caniſii l. cit. p. 323, 327, et 331., quam rem nunc non ago, mentem de unitione Chriſti cum pane, niſi obſcure, quantum mihi ſuccurrit, expoſuit. Homilia de Sanctis in Epiphania, ut unum alterumve locum citem, dicit, *panis ac vini creaturam in ſacramentum carnis et ſanguinis Chriſti ineffabili Spiritus Sanctificatione transferri.* Praeterea ad Pſ. XXI. tradit, ſanctos *intelligere in pane et vino, viſibiliter ſibi propoſito, aliud inviſibile*, ſcilicet *corpus et ſanguinem verum Domini, qui verus cibus et potus ſunt.* Denique de Miſſa in haec loquitur verba, in homilia aeſtiv. de temporibus in vigilia paſchae: *novam adoptionis plebem, Spiritualis AEgypti domino ſubtractam*

uni vero Domino fonte regenerationis sacramus: corpus sacri sanctum, et pretiosum agni nostri sanguinem, quo a peccati redemti sumus, denuo Deo in profectum salutis nostrae im molamus. Qualia et alibi apud eum occurrunt. Misso ope re spurio de *divinis officiis*, quod Alcuini nomen praefert sed eo est recentius, doctrinam Caroli, seu autoris libro rum de Imaginibus, paucis proferam. Lib. II. c. 27. panei et vinum effici dicitur corpus et sanguinem Christi *operan te invisibiliter Spiritu Dei.* Reprehenditur l. IV: 24. Gre gorius Neocaesareae Episcopus, quod in Synodo Nicaen eucharistiam adpellaverit *imaginem* Christi, cum *res ips* dici debeat: sed per *imaginem* intelligitur, ut mox addi tur, *praefiguratio*, ut Vet. Test. typi fuerunt. Unde quo que patet, quid in *typi* voce, Eucharistiae tributa, offen derit inter alia Veteres. Ceterum eucharistia in *memoriam* sacrificii crucis dicitur quotidie ad *remissionem peccatorum* offerri, sed super altari in coelo, argumento, habitam eam fuisse sacrificium *commemorativum*, quod a crucis sacrifici vim suam accipit.

§. CCXIII. Cui doctrinae plane convenit ordo Romanus sed Missale Galliarum antiquum, sive Gothicum, fortissim loquitur. Missa dominicalis, quae est 8*oma* apud Mabilk nium, ita habet, *precamur mente devota Te, Majestas aeter na, ut operante virtute panem mutatum in carne* (h. e. car nem) *poculum versum in sanguine* (sanguinem) *illum sumamus de calice, qui de Te fluxit a cruce ex latere.* Nihil lice de substantiali mutatione hic reperiatur, dubium tame non est, quin ejusmodi locutiones viam ad transsubstanti tionem straverint. Rursus ibid. *corpus tuum, pro nobis cruc fixum edimus, et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus.* Sed in Missa de Epiphania, *ut qui tunc aquas i vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum nostrarum v na convertat.* Quae comparatio non requirit Transsubsta tiationem, cum ipsa species et forma vini tunc periisse sed qualitatum tantum involvit mutationem. Quod The

du

dulsi locus de *sacramento baptismi* cap. 18. egregie comprobat, quo dicit, Ecclesiam *panem et vinum*, *loco V. T. Sacrificiorum*, *offerre*, *ut per visibilem sacerdotum oblationem*, *et invisibilem Spiritus S. consecrationem*, *panis et vinum in corporis et sanguinis Domini transeant dignitatem*, qui etiam ibid. cap. 13. de baptismo tradit, per *visibile hoc elementum rem illam invisibilem signari*, *ut*, *sicut aqua purgatur exterius corpus*, *ita latenter ejus mysterio per spiritum sanctum purificetur et animus. Invocato namque Deo*, sic pergit, *descendit spiritus sanctus de coelis*, *et*, *sanctificatis aquis*, *tribuit eis vim purgationis.* Quibuscum verbis conferenda sunt Alcuini epist. 113. ad Paulinum Aquilejensem, quibus panis et vinum *in substantiam corporis et sanguinis Christi* dicuntur *consecrari.* Concinunt quoque Pauli Diaconi verba in vita Gregorii M., ubi Gregorium infert dicentem, *Deum ea potestate*, *qua cuncta fecit ex nihilo*, *et corpus sibi ex carne semper virginis*, *operante sancto spiritu*, *fabricavit*, *panem et vinum aqua mixtum*, *manente propria specie*, *in carnem et sanguinem suum*, *ad catholicam precem*, *ob reparationem nostram sancti spiritus sanctificatione convertit.* Quae de eucharistia doctrina adeo jam recepta erat inter Latinos, ut Alcuinus in *confessione*, si ejus sit, notam haeresios inurat *si quis aliter doceat.* Nec parum ad dogma Transubst. contulit, quod realis corporis Christi praesentia aliquibus legatur divina revelatione manifestata; ut habet eadem Alcuini confessio, cujus et alia adtulit exempla Mabillonius in ejus defensione. Fuit itaque illud dogma apud Latinos jam in partu, seculo sequente excludendum.

§. CCXIV. *Sacrificii* conspectus, ut de efficacia eucharistiae et missa aliquid subjungam, fuit quidem vulgatissimus, ejusque vis sese ad omnia fere mala averruncanda, ac bona conferenda, censita fuit extendere; attamen *commemorationis* idea fuit cum sacrificio copulata, adeo ut eucharistia, vero suo conspectu, secundum Veteres, fuerit oblatio repetita sacrificii Christi in cruce, in unius scilicet

illius oblationis memoriam, et vim divinam secum habueris, unitam, per unionem divinae naturae cum elementis. Loca cum supra prolata huic rei demonstrandae sufficiant, uno contentus ero Joh. Damasceni testimonio. Adserit Ipse loco citato p. 271. illis, qui cum fide et digne accipiunt, *cedere eucharistiam in remissionem peccatorum, et vitam aeternam; nec non animae ac corporis praesidium.* Addit, quod singulare et notandum est, p. 272., *corpus et sanguinem Christi in nostri, tum animi tum corporis, vegetationem cedere, nec consumi, aut corrumpi, nec in secessum vadere, quod absit; sed in substantiam nostram, et conservationem, omnigenae labis propulsationem, omnisque sorditiei detersionem: morbis etiam, et omnigeris calamitatibus expurgat.*

§. CCXV. Licet *extrema unctio*, tanquam sacramentum morituris ad peccatorum remissionem adplicita, nondum fuerit in usu, sicut a Dallaeo de *extrema unctione* fuse est demonstratum; vulgata tamen fuit, et ubique in Ecclesia Latina obtinuit, aegrotorum qualiumcunque *unctio*, sacro chrismate fieri solita, ad aegrotantium sanationem. Imo ejus jam meminit, sec. IV., Innocentius Papa in epist. ad *Decentium*, ubi, *aegrotos chrismate inungi posse*, fas esse declarat, nec solum sacerdotibus, sed *omnibus Christianis uti licere, in sua, aut suorum, necessitate inungendo.* Adpellat quoque *Sacramentum*, sed voce latius sumta, ut tunc in more erat, pro quovis sacrae rei signo. Seculo dein VII. magis in consuetudinem venit hic inungendi mos, ut ex Eligio Noviomensi patet, cujus est sermo in adpendice Oper. Augustini tom. IX., sub hoc titulo: *tractatus vicesimi de rectitudine Catholicae conversationis*: cui per omnia concinit Augustini sermo 215. de *Tempore*, ex Eligio totus desumtus, et Augustini nomen mentitus, sed hoc seculo maxime invaluit, ut multa docent, indicia. Beda ad Marc. VII. dicit, *ab Apostolis hunc Ecclesiae morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet aegroti, unguantur oleo, Pontificali benedictione consecrato*; alibi ad Jac. V. addit, illud *sanationis causa cum*

precibus

precibus conjungi, praeterea oleum quidem ab Episcopis consecrari, sed Christianis omnibus se *inungere* licere. Occurrit quoque in Ordine Romano titulus, *benedictio olei ad omnem languorem quocunque tempore*; et prolixae hanc in rem exstant preces. Concinunt decreta variorum conciliorum seculi sequentis, Cabilonens. a. 813., Aquisgran. a. 836. etc. nec non celebrium Doctorum ejus seculi testimonia, ut Agobardi epist. ad Bartolom., Episcopum Narbonens., Hincmari, et aliorum. Subjungo tantum cap. 156. tom. I. Capitularium Caroli M., quo praecipitur, ut presbyter *in coena Domini duas ampullas secum deferat*, *unam ad chrisma*, *alteram ad oleum*, *ad catechumenos unguendum*, *vel infirmos secundum sententiam Apostolicam* etc. In aliis vero Ecclesiis fuerunt tres ampullae, scilicet pro chrismate, pro catechumenis, et pro infirmis. Vid. Baluzius ad l. cit.

§. CCXVI. Restat, ad tractationem de cultu religioso absolvendam, de Festis et Jejuniis agam, postquam obiter notavero, quod ad sanctitatem *Templorum* pertinet, Concilium Moguntinum a. 813. statuisse, ut *nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur*, *nisi Episcopi aut Abbates*, *aut digni Presbyteri*, *vel fideles laici*. Quod idem sancivit Carolus M. in *Capitulari* ejus anni. Theodulfus quoque Aurelianensis in *capitulari* ad Parochos idem statuit, qui, quod notandum, refert, *antiquum in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usum fuisse*, *et plerumque loca divino cultui mancipata*, *et ad offerendas Deo hostias praeparata*, *coemiteria sive polyandria esse facta*. Quoad *festa*, in genere notari meretur, Carolum primum fuisse, qui de Festorum celebratione legem tulit, quae lib. I. c. 158. Capitularium exstat, et eo nomine memorabilis, quod de festis, hoc tempore in Gallicanis Ecclesiis usitatis, inde constet. Verba haec sunt. *Hae sunt festivitates in anno*, *quae per omnia venerari debent*, *Natalis Domini*, *S Stephani*, *Johannis euangelistae*, *Innocentum*. *Octabas Domini*, *Epiphania*, *Octabas Epiphaniae*, *Purificatio Mariae*, *Pascha dies octo*, *Litania major*, *Adscensio*

 Domini,

Domini, *Pentecosten*, *S. Johannis Baptistae*, *S. Petri et Pauli*, *S. Martini*, *S. Andreae*. *De adsumtione S. Mariae interrogandum relinquimus.* Quod ultimum, nondum tunc in Ecclesiis regni Caroli usitatum, ut ex eo liquet, quod consulendos de eo velit Episcopos, haud diu post in Concilio Moguntiaco a. 813. decretum est, festorum catalogo inserendum. Ludovicus Pius illud celebrari mox jussit, ut ex lib. II. Capitularium cap. 35. liquet. Ceterum, quod notandum, nulla adhuc occurrit mentio *conceptionis*, *aut nativitatis Mariae*: prius quoque per multa secula in Ecclesia Gallicana fuit ignotum, nec antiquitus habuit Hispania; sed posterius, seu *nativitatis*, occurrit in Charta Synodi Suessionensis a. 862. pro monasteriis S. Dionysii: ut Baluzius ad libr. Capitul. observavit.

§. CCXVII. In specie observandum est, 1. Theodulfum l. cit. cap. XXIII praecipere, ut quisque *singulis diebus*, *qui amplius non potest*, *saltem duabus vicibus*, *oret*, *mane scilicet et vespere*, *dicens symbolum vel orationem Dominicam*; *vel qui plasmasti me*, *miserere mei*, *vel etiam*, *Deus propitius esto mihi peccatori!* — — *his actis*, *et solo Deo creatore suo adorato*, *sanctos invocet*, *ut pro se intercedere ad majestatem Divinam dignentur* etc. 2. jactatam hoc seculo fuisse epistolam Domini de coelo missam, ad diem *Dominicum* adcuratius et studiosius celebrandum. De quo vid. Fabricius cod. Pseudep. N. T. t. I., 3. invaluisse jam morem *publica* habendi *convivia*, festo natali Christi, in Oriente ac Occidente, loco *Agaparum* antiqui temporis, non quidem in Ecclesiis, quod per varia concilia dudum erat vetitum, sed in vicinis aedibus, quae inde *accubitorum* nomen tulerunt. Originem autem dederunt ritus Gentilium, convivia Kalendis Januariis in Templo celebrantium. Vid. du Cange in *CPoli Christiana* l. II. Denique 4. in festi *Paschatis* celebratione superstitiosus irrepsit ritus, Judaismum redolens, quo *agnum* offerre et consecrare solebant in Ecclesiis nonnullis Latinis, ejusque carnem comedere, ut agnum scilicet inmaculatum

Christum,

Christum, pro mundo oblatum, honorarent. Occurrit in ipso *Ordine Romano*, hoc seculo confecto, formula consecrandi agnum pro die Paschatis. Meminit quoque ejus, sed addita reprehensione, Walafridus Strabus, de *rebus Ecclesiast.* c. 18. et Photius sec. IX. illud Latinis inter alia objecit: de quo suo loco. Exstat etiam ejus moris exemplum in vita S. Udalrici, ut Dupinius observat in Bibl. Eccles. tom. VI.

§. CCXVIII. De Quadragesima, et ordine jejuniorum in Ecclesia Graeca, cum egregie constet ex Johannis Damasceni libro ad Domnum Cometam de *Sacris jejuniis*, Oper. tom. I., de cujus genuinitate nulla est dubitandi ratio, ut le Quin in *admonitione praemissa* demonstrat, nonnulla inde, memoratu digna, proferam. 1. Acris admodum viguit de duratione Quadragesimae contentio, dum alii *septem*, alii *octo*, hebdomadas jejunio impendi debere urgerent. Sozomen. H. E. VII: 19. narrat, Illyricos et Occidentales, nec non Libyam, ac AEgyptum, cum Palaestinis, *sex* numerare hebdomadas, sed Asianos et Syros *septem*, sed ita, ut *septima* hebdomas proprie non pertinuerit ad Quadragesimam, quae a die Palmarum terminabatur, verum propter Domini passionem ageretur. Jacobitae vero, Armeni, et Nestoriani, cum per *octo* hebdomades jejunarent, illud tanquam haereticum traductum est, et motus concitavit hoc seculo, dum Palaestini hoc aevo, a vetere more, cujus Sozomen. meminit, desciscentes, *septem* hebdomad. jejunaverint. Joh. Damascenus, licet haereticos refutet, Ecclesiam negat propterea esse scindendam, imo, quod plus est, contendit, in re jejunii non decere νομοθετεῖν *legem ferre*, aut βιάζεσθαι *vim inferre*, praeter tradita ab Apostolis et Ecclesia. 2. Ordo jejunii quadragesimalis, ut ibi tradit Damascenus, hic fuit in Ecclesia Graeca. Prima hebdomade, quam προνήστιμον *jejunii praeviam* adpellat, tantum a *carne*, et usque ad vesperam, jejunabatur, sex reliquis etiam ab ovis, caseo, et aliis ejusmodi cibis, simulque carnibus, abstinebatur. Hebdo-

mas vere passionis, quae erat septima, ex ξηροφαγίᾳ *siccis cibis*, secundum legem latam, constabat. In sancta *parascheve* omnimoda erat abstinentia usque ad Sabbati vesperam, qua omnibus eduliis, excepta carne, vesci licebat.

§. CCXIX. 3. Cum vero sex hebdomades apud Latinos, quae 42 faciunt dies, tantum 36 relinquant jejunio, quia diebus dominicis per quadragesimam non jejunabatur, ad numerum 40 dierum complendum, *quatuor* dies hebdomadis praecedentis praemittebantur quadragesimae, quorum primus dicebatur *dies cinerum*: qua ratione feria quarta quinquagesimae incipiebat jejunium quadragesimale. Quando vero illi dies quatuor fuerint adjecti, non constat. Alii illud Gregorio M., alii Gregorio II, qui hujus est seculi, adtribuunt. Primus, qui eorum meminit, est Amalarius de off. Eccles. l. I. c. 7. a. 827. Gregorio M. eos fuisse ignotos recte advertit Dallaeus de *jejunio* et *quadragesima* l. IV. c. 13., ex Gregorii homilia XVI., post Menardum in not. ad *sacramentarium* Gregorianum, ubi etiam observat, memorari quidem eos in sacrament. Gregorii, sed a recentiore manu adjectos, sicut in libris ritualibus haud raro contingit. Post Amalarium mentio eorum dierum fit a Synodo Meldensi a. 845., et Suessionense a. 853. Videntur itaque in fine hujus nostri seculi instituti. Illud dictis addo, ex Joh. Damasceno, l. cit., quoque patescere, quatuor illos dies ipsi fuisse ignotos Rationem enim redditurus, quare *Quadragesima* adpelletur, cum diebus sabbati et dominicis non jejunetur in Ecclesia Graeca, rejicit eos, qui decimas anni partes hic adtendi opinabantur, ut fecerunt Joh. Cassianus, Gregorius M., et ex Graecis Dorotheus Abbas, citati a Le Quin, in not. Ipse vero jejunandi modum destinguit, quo vel omnigena observatur abstinentia, vel a vino tantum et carnibus. Diebus sabbati et Dominicis dicit jejunari quidem, sed inperfecte, cum plenissime illud fiat reliquis quadragesimae diebus. Addit, die dominica non jejunari propter resurrectionem Domini, sabbatis

tis vero non fieri, quod ſingulare eſt, propter *oblationem* pro *ſanctis omnibus*, qui obdormiverunt, quolibet die ſabbati fieri ſolitam. Ceterum de jejunio quadrageſimae legendus quoque eſt Theodulfus in *capitulari ſuo* cap. XXXVII. etc., ubi illud declarat vi praecepti divini neceſſarium, nec ſine peccato negligendum. *Abſtinentia vero*, inquit, *in his diebus omnium deliciarum eſſe debet, et ſolet, et caſte vivendum: qui vero ovis, caſeo, piſcibus, et vino, abſtinere poteſt, magnae virtutis eſt: qui vero his abſtinere non poteſt, utatur, tantum ut jejunium uſque ad veſperam ſolenniter celebret, et vinum non ad ebrietatem, ſed ad refectionem corporis ſui ſumat.* etc. Porro a conjugibus tunc abſtinendum vult, et, fere nihil valere jejunium, adſerit, *quod conjugali opere polluitur, et quod orationes, vigiliae, et elemoſynae non commendant.*

REGIMEN ET DISCIPLINA.

§. CCXX. Summa poteſtas Eccleſiaſtica cum hoc ſeculo fere apud Papas Romanos fuerit in Occidente, eorumque autoritas valde creverit, ſeculari quoque dignitate aucta, initium ab illis ſumam, eorum ſucceſſionem, et notabiliora fata ac geſta, ſtrictim enarraturus, ut de eorum poteſtate eo rectius judicetur. *Johannes* VI., qui ab a. 701. ad 705. ſedit, nihil fere magni momenti egit, praeter Templorum ornationem, et Clericorum ordinationem. Tantum narrat Anaſtaſius, eum ab Exarcho Tiberii Inperatoris, incerta de cauſa, fuiſſe nequicquam oppugnatum, ipſo exercitu in Exarchum inſurgente, nec, niſi Papae ipſius interceſſione, placato. Praeclarum ipſius opus fuit, quod captivos a Giſulpho, Beneventorum Duce, qui Romanorum ditiones incurſaverat, redemerit, ut, praeter Anaſtaſium, refert Paulus Diaconus Geſt. Longob. VI: 27. Abſolvit quoque, Synodo Romae coacta, Wilfridum, qui, Epiſcopatu Eboracenſe deturbatus, ad ſedem Romanam adpellaverat, et ſententiam,

tentiam, quod notandum, *Petri Apoftoli, ac Apoftolorum Principis, autoritate* pronunciavit. Quam hiftoriam fufe narrat Eddius in *vita Wilfredi.*

§. CCXXI. Sed fucceffor ejus *Johannes* VII., usque ad a. 708., fefe praeter folita, et modo memorata, gefta, celebrem non tantum praeftitit, quod Synodi Quini-Sextae canones, a Juftiniano Imperatore ipfi examinandos ac approbandos miffos, emendare *prae timiditate* renuerit, tefte Anaftafio, fed praecipue, quod primus Paparum fit, cui *terreftre* aliquod conceffum eft Dominium, fi vera fit P. Diaconi l. cit. c. 28. et Anaftafii narratio de *Alpibus Cottiis*, a Cottio, ejus regionis Rege tempore Augufti, tefte Ammiano Marcell. l. X., fic adpellatis, quae totum Pedemontium, Genuam, cum ejus territorio, ac Galliae portionem, continebant, ipfi in patrimonium datis ab Ariperto, Longobardorum Rege, vel, ut P. Diaconus habet, *reftitutis*, cum antea ad fedem Romanam pertinuiffent, inde a Longobardis avulfae. Addit dein c. 43. idem auctor, eam donationem poftea fuiffe a Luitprando confirmatam. Referunt quidem nonnulli ad Johannem VI., fed contra Veterum fidem, et Hermannus Contractus in Chronico Canifiano anno 707. diferte adligat. Sed fitne vera, an ficta donatio? dubium eft, judice quoque Platina. Eftque mirum, Papas nufquam legi in poffeffionem fuiffe miffos, aut jus fuum vindicaffe, cum Alpes Cottiae mox a Longobardis ad Carolum M. fint devolutae.

§. CCXXII. Praeterito *Sifinnio*, viginti tantum dierum Papa, memorandus in primis eft *Conftantinus*, qui ab a. 708. ad 715. fedit, haud uno nomine celebris, 1. In initio Pontificatus ejus redierunt ad obfequium fedis Romanae Ravennatenfes Praefules fub Felice eorum Epifcopo, qui tamen eo non eft permotus, nifi poftquam ob tergiverfationem fuam oculis effet orbatus, et in exilium miffus a Juftiniano, qui eo crimine Papam fibi devincire voluit, vid. Anaftafius; in quo obfequio ad fec. XI. usque perfeverarunt.

verunt. Praterea Saxonum Orientalium Offa, et Merciorum Coewredus, Reges, sese Romam contulerunt, et Monachi facti ad limina Apostolorum haeserunt a. 709., ut narrat Beda hist. V: 20. a. CPolin a Justiniano evocatus, et adpulsus a. 711., summo ibi mactatus est honore, adeo etiam, ut Inperator, ante pedes ejus prostratus, eos fuerit osculatus, secundum Anastasium, qui addit, Justinianum, scelerum conscientia pressum, pro iis Pontificem *deprecari postulasse*. Ceterum cum jussu Inperatoris venerit, eo ipso, se ei adhuc subjectum esse, confessus est. Sed quid CPoli egerit Papa, non constat. Anastasius in Gregorio II. in genere tradit, eum *de quibusdam capitulis inquisitum optime respondisse*. Ex quo num cum nonnullis colligi possit nescio, eum canones Synodi Quini-Sextae, quotquot Ecclesiae Romanae non adversarentur, adoptasse. Vid. Lupus in scholiis ad hos canones.

§. CCXXIII. 3. Cum Philippicus Bardanes Monothelismo patrocinium praeberet, Synodum VI*tam*, teste Theophane, evertere conatus, libellum quoque conscribi jussisset, cui omnes subscribere debeant, ut tradit Agatho diaconus in *peroratione*, apud Conbefisium in Auctario t. II., in eo adjutus a Johanne, CPolitano Episcopo, in Cyri, ob fidem orthodoxam relegati, locum evecto, et Germano, postea CPol. Episcopo facto, teste Theophane, qui addit, aliquos, sententia scriptis promulgata, anathema dixisse Synodo VI.; praeterea imagines Synodi VI. e medio sustulisset Inperator: Papa sacram ejus, cum fidei confessione ad se directam, respuit non tantum *cum Apostolicae sedis consilio*, ut P. Diaconus VI: 34., et ex eo Anastasius, loquitur; nec tantum picturas sex Synodorum Generalium fecit et erexit, sed *statuit populus Romanus, ne haeretici Inperatoris nomen, aut chartas, aut figuram solidi susciperent: unde nec ejus effigies in Ecclesiam introducta est, nec nomen ad missarum solemnia prolatum*. Quae tacita quaedam, aut realis, fuit Inperatoris excommunicatio, antea inaudita: sed non Papae

 directo,

directe, verum populo Romano, illud facinus tribuitur. Ortum mox inde est, quod Petrum, ducatui Romano a Philippico praefectum, repudiarint Romani, et tumultus inter utriusque partes concitatus fuerit, non nisi cum multorum caede sedatus a Papa, qui sacerdotes cum *euangeliis et crucibus eo misit.* Vid. Anastasius.

§. CCXXIV. 4. Anastasio vero in Philippi locum evecto, ipse mox orthodoxae fidei confessionem misit ad Papam, qui eam adprobavit, teste Anastasio. Johannes quoque CPolitanus, qui Philippico adsensus fuerat, missa epistola communionem ejus petiit, et commissum suum, tanquam ex prudentia, et silentii, seu dispensationis, oeconomia, profectum, excusavit, dicens, se non damnasse Synodum VI*tam*, tantum, re ipsa salva, phrases ac terminos duarum voluntatum in Christo rejecisse. Edita est epistola a Combefisio in Auctario t. II., plena adulationis. Inscriptio licet sit, *Johannes Constantino fratri et comministro*, adpellat tamen mox in principio sedem Romanam *κανονικως canonice* reputari *caput sacerdotii Christi*; non itaque autoritate divina. Habent quidem ex Reformatis nonnulli epistolam pro spuria, sed nescio an satis solido fundamento. 5. Denique, lite de consecratione Episcopi Ticini, seu Papiae, quam Mediolanensis sibi vindicabat, orta, et ad Papam delata, ipse eam sibi adtribuit; ut P. Diaconus et Anastasius referunt. Hisce addatur, licet tanti non videatur, hunc Papam primum esse, qui epistolis suis praescripsit *salutem et apostolicam benedictionem:* ut est in epist. ejus ad Britualdum, Britanniarum Primatem a. 707.

§. CCXXV. Successorem ejus *Gregorium* II. ab a. 731. ad 731., celebriorem reddiderunt, praeter alia, contentiones cum Inperatoribus, causa imaginum. Mitto, quod Synodicam Johannis CPol. dicatur recusasse, etiam effecisse, ut ab Anastasio fuerit depositus, quia fabulosum est, cum unius Cedreni autoritate nitatur, Theophanes de eo sileat, mortuus quoque sit a. 715., quo Gregorius Papa factus est,

et Germanus, Episcopus CPolitanus, testibus Theophane, Anastasio, et Nicephoro in Chronico, adversetur quoque epistolae Johannis ad Constantinum Papam, modo memoratae: praetereo quoque, quae vel suis locis narrantur, vel leviora sunt, ut quod monasteriis et Basilicis instaurandis operam dederit, Romam sub ipso venerit ad Petri limina, orationis ergo, Theodo II., Bajoariorum Dux a. 716., qui primus ejus gentis id fecit, quodque Corbinianum ordinaverit, palliumque ei dederit, cum potestate euangelium ubique adnunciandi, de quo vid. vita Corbiniani a Mabillonio sec. III. Benedictino recitata, Bonifacium, qui ex Anglia trajecerat in Frisiam, creaverit praeconem fidei, et legatum sedis Apostolicae per Germaniam a. 719., dein a. 723. Episcopum Germaniae, sed nulli sedi adfixum, postquam juramento promiserat Papae obedientiam. Vid. Willibaldus et Othlonus in ejus vita, apud Mabillon. l. cit. Exstant quoque epistolae ejus ad Bonifacium, quibus eum instruxit, et ad ejus quaesita respondit, eo etiam nomine memorabiles, quod ejus et Bonifacii genium manifestum faciant. Quibuscum conferenda sunt decreta Synodi ejus Romanae a. 721., inter quae est constitutum adversus illicita conjugia ob cognationem spiritualem, vel carnalem. De spongia Papae consecrata, et ad Eudonem missa, militibus distributa, et causa victoriae, supra suo loco egi.

§. CCXXVI. Proferam alia majoris momenti. Praeterquam quod primus Paparum ad Francos, auxilii causa contra Longobardos, Inperatore neglecto, sese receperit, teste Anastasio in Stephano II., memorabile, si verum foret; maxime I. est, quod Ina, Saxonum Occidentalium Rex in Britannia, regnum fecerit vectigale Pontifici Romano, et ad limina Apostolorum se contulerit, monastica electa vita: Beda hist. l. V. c. 7. de vita ejus monastica quidem testatur, sed de regno vectigali facto nihil habet: nec alio illud nititur fundamento, ac quod S. *Petri denarius*, ab Ina, et dein Offa, institutus, ex testimonio Polydori Virgilii

l. V., praebet, quod plane subleftum, quin falsum est. Denarius enim ille, non tributi, sed eleemosynae nomine, ad scholae, ab Ina erectae, sustentationem Romae, pendi solebat, ut rudes et peregrinantes Angli ibi erudirentur, ac in fide Ecclesiae Romanae retinerentur. De quo vid. Matthaeus Westmonasteriensis, et autor vitae Offae. Ina autem denarium concessit, a singulis domibus per totum Regnum, nemine excepto, offerendum, sed Offa a familiis exegit. Instituit vero Ina, Romae versatus, scholam Anglorum adpellatam, ad quam Reges Angliae, et genus Regium, Episcopi, Presbyteri, et Clerici, in doctrina et fide Catholica erudiendi, venirent, ne quid in Ecclesiis Angliae doceretur fidei contrarium; ut Westmonasteriensis refert. Quam scholam postea auxit Offa, sub finem seculi, confirmato denario. Plura qui de denario Petri per Angliam et alia Regna velit, adeat Joh. Fabricium in Amoenit. Theolog., et Arnoldum Norimbergensem in disputatione de *Denario Petri*.

§. CCXXVII. Quod vero 2. ad contentionem Papae cum Leone Isauro, causa imaginum, adtinet, qua de re in historia cultus et Imaginum supra jam egi, narrant quidem Theophanes, Cedrenus, et alii scriptores Graeci, Gregorium tributum prohibuisse ab Italis pendi Inperatori, et Occidentem ejus obedientiae subtraxisse, postquam Inperatorem excommunicasset, et ipse ab eo defecisset: sed licet verum sit, Papam, litteris quaquaversum per Occidentem missis, monuisse Christianos, ut sibi ab haeresi Inperatoris Iconoclastae caveant, teste Anastasio, imo Christum supplicasse, ut Inperatori inmittat daemonem, sicut qui a Paulo Satanae tradebatur, ut verba ejus in epist. ad Leonem habent, attamen Inperatorem fuisse Synodice a Papa excommunicatum, tributa ab Ipso vetita, et Italiam obedientiae Inperatoris subductam fuisse, a vero abesse, Litterae Papae, P. Diaconus, et Anastasius, satis demonstrant, uti Launoius l. VII. ep. 7., Petrus de Marca *concord. sacerd. et Inper.* l. III. c. 11. Natalis

Alexander

Alexander ad hoc sec., Dupinius, et alii, evidenter evicerunt. Papa in litteris suis plane a se removet potestatem in res politicas Inperatoris, in res tantum Ecclesiasticas sibi vindicans. Praeterea, veteres Magistratus, ab Inperatore constitutos, a populis Occidentis, et non a Papa, fuisse ejectos, et novos electos Duces, ex citatis monumentis liquet. Denique, cum de novo creando Inperatore, et CPolin transferendo, cogitaretur, Papam iis restitisse, et autorem fuisse, ne id fiat, citati autores tradunt, imo ne ab *amore vel fide Romani inperii desisterent*. Quae ex historia Gregorii III. ulterius confirmabuntur, cum inde manifestum sit, nec Papam, nec Italiam, renunciasse subjectioni Inperatoris.

§. CCXXVIII. Quae licet vera sint, Papa in jura Inperii non involaverit, nec sibi potestatem deponendi Inperatorem, aut regna mutandi, adrogaverit, quod ante Gregorium VII. sec. XI. nemo sibi sumsit: inficias tamen non iverim, motus in Occidente contra Inperatorem fuisse per oppositionem Papae concitatos, ipsumque sibi nimium vindicasse in Inperatorem. Nec desunt in Litteris Papae, ac tota haec historia, haud obscura indicia autoritatis ac potestatis Papalis, jam valde evectae. De se et Germano, Episcopo CPolitano, dicit, *se a Deo potestatem et coelestia et ministeria solvendi accepisse*: adjungit tamen sibi Germanum, quem et in alia epist. adpellat *fratrem et comministrum*. Praeterea jactat in illis Litteris, *occidentem universum ad se convertisse oculos, et sibi magnopere confidere, ut et in Petrum, quem omnia Occidentis regna velut Deum terrestrem habent*. Denique in priore ad Inperatorem Epistola adserit, *se facultatem, potestatem, et autoritatem, a Petro, principe Apostolorum, accepisse, Inperatori poenam irrogare; sed quoniam*, ita pergit, *in te ipsum execrationem ingessisti, tibi habete illam cum consiliariis tuis*. Ceterum, ubi declarat, pios Inperatores haud recusasse, *Ecclesiarum Pontificibus obedire*, omnes in genere, nec solos Romanos, in oculis ha-

bet, et de rebus Ecclesiasticis, non politicis, intelligendus est.

§. CCXXIX. Successit Gregorius III., electus quidem mox post decessoris obitum, sed 35 diebus post demum ordinatus, quia electio erat ab Exarcho confirmanda. Sedit ab a. 731. ad 742., et eandem institit in Imaginibus tuendis, quam decessor, viam. Synodo Romae coacta cultum earum sub anathemate decrevit, omnesque imaginum contemtores et destructores, nullo facto discrimine, a corpore et sanguine Christi declaravit extorres: erexit quoque ubique imagines, et Inperatorem repetitis vicibus ab hac haeresi per litteras et legatos, licet frustra, abstrahere conatus est. Bonifacio, Germanorum Apostolo, pallium misit, et ad ejus quaesita respondit: de quo postea. Inter capita responsionis est, quod notari meretur, poenitentiam iis inponi, qui caballum comederint, eosque, qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem occiderint, communione ad mortem usque esse privandos, simul perpetua a carne et vino abstinentia castigandos. Sed majorem meretur animadversionem, quod, cum Luitprandus, Longobardorum rex, Romam obsessam teneret, quia Papa duos ejus duces, Trasamundum Spoletanum, et Godeschalcum Beneventanum, in regem rebelles, in patrocinium susceperat, Ipse post frustraneas litteras, rationibus moventibus ab Ecclesia et sede Romana tutanda tantum petitis, tandem Legatis cum litteris, adjunctis clavibus Petri, et particulis catenarum, ad Carolum Martellum missis, auxilium et patrocinium petierit, ac inpetraverit, sed ea conditione, ut Romanum Consulatum, seu Patriciatum, inCarolum conferret, a. 741. Vid., praeter Anastasium, continuator Fredegarii, et annales Metenses in collectione historicorum Francorum du Chesnii. Qua ratione populus Romanus, susque deque habita Inperatoris dominatione, ad *Francorum dominationem ac clementiam* se contulit, ut Annales Metenses habent, et Carolus, primus ex Francis, factus est *Patricius* Romanorum. Ceterum

terum *Patricius* idem est ac defensor, patronus, protector, et advocatus; eaque in eos conferebatur dignitas, qui ad Ecclesiarum, et inopum, defensionem adversus potentiorum vim eligebantur, et jus adferebat extraordinarium protectionis. Vid. P. Marca *Conc. Sacerd. et Inper.* l. I: 12., ubi etiam observat, Patriciatum Ecclesiae Romanae non tantum ejus defensionem comprehendere, sed et jurisdictionem, qua Reges Franciae in urbe gavisi sunt, consensu Pontificis, et populi Romani. Cujus patriciatus, qui initium a Carolo Martello sumsit, meminit Carolus M. in divisione Regni, a. 806. facta, et Ludovicus Pius a. 837., apud Baluzium Capit. Francorum tom. I., ubi ad *Ecclesiae S. Petri* defensionem refertur; pro quo Baronius falso substituit *defensionem S. Papae*; uti Goldastus jam notavit. Praeterea produxit haec Papae legatio ad Francos *nuncios Apostolicos* in Francia, qui ab hoc tempore ibi frequentes fuerunt, ita etiam, ut Apocrisiarius sedis Apostolicae adsidue manserit in comitatu Regis, Vid. Cointius Annal. Franc. a. 740.

§. CCXXX. *Zachariae*, qui successit ab a. 741. ad 752., papatum 1. celebrem reddidit, quod primus sit, qui sine confirmatione, ab Exarcho Ravennatense petita, ordinatus est, adeo ut hac parte consecuta sit Ecclesia Romana libertatem, absque tamen ut obedientiae inperii Romani fuerit subducta; quippe cujus duo prostant sub hoc ipso Papa indicia: *unum* in eo, quod Luitprandum, Longobardorum regem, qui Romano ducatui quatuor eripuerat civitates, et reliquis inminebat, non tantum suis precibus et intercessione permoverit ad eas restituendas, et a proposito desistendum, sed et, cum Ravennae exarchatum sibi tentaret vindicare, ut ab eo manus abstinuerit a. 743.; argumento, Papas curae Inperii nondum renunciasse, Inperatorios quoque Magistratus Ravennae et Romae rebus adhuc praefuisse. Vid. Anastasius. *Alterum* est, quod Synodicam, cum fidei confessione, miserit CPolin., et donationem ab Inperatore postulaverit de *duabus Massis*, ut verba habent Anas-

tasii, h. e. Mansis, vel certis agri portionibus, cui petitioni adnuit Constantinus. Quod Papae cum haeretico Imperatore commercium clare indicat, nec decessorem Imperatoris fuisse a Papa excommunicatum, nec Italiae dominio aut tributis privatum.

§. CCXXXI. Sed 2. longe celebriorem ipsum fecit, quod de regno Francorum in domum Carolinam transferendo consultus sit, et sua id perfecisse dicatur autoritate. De quo paulo adcuratius est agendum. Zachariam sibi divinam quandam adrogasse autoritatem, ponendi et deponendi reges, subditosque a juramento fidelitatis absolvendi, eamque in Chilperico, rege Francorum, deposito, ac Pippino electo, exercuisse, adfirmare vulgo solent Protestantes; nec factum negant plurimi Pontificii, sed, jure et legitime id a Zacharia factum, contendunt, ut Baronius, Bellarminus, et alii. Sed ab utrisque in historia facti discedunt Launoius et Natalis Alexander, licet diverso modo. Papam de ea translatione esse consultum, eamque calculo suo confirmasse, agnoscit Launoius l. VII: ep. 6. Sed jussu et autoritate ejus, tanquam ea gaudentis potestate, esse factum, eumque subditos fidelitatis juramento absolvisse, negat et refutat. Natalis vero Alex., Diss. II. ad hoc seculum, totum factum falsi arguit, adeoque translationem a Proceribus et populo, ne quidem consulto Papa, factam esse, disputat. Ex mea opinione 1. licet Pauli Diaconi Gest. Longob. l. VI. et Anastasii in Zacharia, silentium, qui de Papa consulto tacent, fidem historiae aliquatenus debilitet, cum Theophanes ad Leonis ann. 8vum, Anastasius in hist. ad a. 2dum Constantini, Eginhardus et in vita Caroli, et in Annalibus, aliique annales Francorum, omnes uno ore testentur, Papa consulto et consentiente illud esse factum, fidem ei detrahere non licet. Habent quidem Eginhard. in vita Caroli, Theophanes, et Anastasius, pro Zacharia Stephanum, cui illud adscribunt, sed in persona errant, ut ex ipso Eginhardo in Annal. patet, et ratio temporis evincit; cum

cum Pippinus sub Stephano jam fuerit Rex. Error in persona inde fuit, ut videtur, ortus, quod Zacharias mox fuerit defunctus et Stephanus ejus sententiam confirmaverit, altera etiam vice unxerit Pippinum a. 754., teste Anastasio in Stephano.

§. CCXXXII. Sed 3. Papa illud nec sua fecit autoritate, nec sibi eam adrogavit potestatem, multo minus subditos a fidelitatis juramento liberavit, quo obstricti erant Chilperico. Quod postremum nullus antiquorum ex Latinis aut Francis tradidit, ante Gregorium VII. Papam, et Ottonem Frisingensem; quorum hic illud Stephano tribuit, ille vero Zachariae, l. IV. ep. 2. et l. VIII. ep. 21. ad Herimannum, Metensem Episcopum, quo tempore illa doctrina demum ex orco prodiit, et ad ejus confirmationem hoc de Zacharia vel Stephano fictum est. Ex Graecis vero Theophanes et Nicephorus tantum referunt, Pippinum a perjurii metu fuisse per Papam liberatum: quod longe aliud est ac subditos juramento fidei absolvere, nec Papa in eo quid egit, quod reliqui Episcopi aeque non potuerint, qui solvendi ac ligandi potestate sese existimant praeditos esse. Legi hic meretur Blondellus de *formula, Christo regnante*, p. 159. et seq., ubi ex histor. testimoniis fuse, quae hic dixi, probat. Quod vero ad autoritatem et jussionem Papae adtinet, verum quidem est, Eginhardum in vita Caroli, nec non in fragmento Annalium Francorum, in Antiq. Lect. Canisii t. II. p. II., tradere, Papam *data autoritate sua jussisse, Pippinum Regem constitui* etc., cui alii concinunt: sed illae phrases vel nimium dicunt, et veritati facti repugnant, vel nihil aliud sibi volunt, ac consensum Papae fuisse plebi venditatum, tanquam jussum, et autoritatis plenum, propter personae dignitatem, quae, ut ejus consulta pro lege quasi habeantur, facit, licet revera non sint. Jussu autoritateve Papae illud non esse factum, ex eo 1. constat, quod Legati tantum dicantur missi ad *consulendum* Papam, num ignavus et ineptus rex tolerandus sit, an Pippinus, regia

regia jam vestitus autoritate, regio quoque nomine et dignitate ornandus? Ad quod responsum dare potuit Papa, non jubere; quippe ab animo et scopo consulentium alienum. Ita ipse autor Annalium in fragmento Canisiano, modo citato. Sic et Monachus Engolm. in vita Caroli M. refert, Francos id fecisse, cum *consilio Domini Papae Zachariae*, etc. 2. quod a Proceribus et populo Francorum universo Pippinus legatur electus. Vid. Hotomanni Franco-Gallia cap. 13. Denique 3. quod Stephanus narretur *unxisse* Pippinum, eo, consensum tantum et confirmationem rei jam ante factae, est testificatus; sicut Pippinus ante fuerat unctus a Bonifacio, Moguntiae Episcopo, et non a Papa: est utique unctio pura puta ceremonia, quae ungentis autoritatem infert nullam. Ergo, ut concludam, licet Papa fuerit consultus et consenserit, Papis nihil inde autoritatis et potestatis regna transferendi accrevit, non magis, quam cum Theologi, aut Jurisconsulti, aliqua de re consuluntur, et responsa dant. Papa autem prae reliquis est consultus, cum quod majore polleret autoritate, adeoque res per ejus consensum facilius apud populum perfici posset, forte etiam apud ipsum Chilpericum, regem ignavum et superstitiosum, tum quod Papa, qui Pippini favorem ambiebat, facile in ejus vota descensurus videretur. Ceterum Pippinus, Papa a. 751. consulto, electus, et more recepto scuto impositus, et rex proclamatus est a. 752., in urbe Suessionica: sed accessit *unctio* ab Episcopis Francorum, in specie a Bonifacio Moguntino, qui novus erat ritus, antea Francis inusitatus, et Chilpericus in monasterium est detrusus. Ex dictis, quibuscum conferendus est Launoius, itaque constat, epocham in hoc casu male figi potestatis regna transferendi, et subditos a fidelitate liberos pronunciandi, a Papis adrogatae, et ipsis datae. Quae doctrina et consuetudo non nisi cum Gregorio VII. coepit, sec. XI. fin., ut suo loco postea patebit.

§. CCXXXIII. Celeberrimus quoque est successor ejus

Stephanus

Stephanus II., ab a. 752. ad 757. non tam quod, ipso sedente, Synodus CPolitana contra imagines sit celebrata, quam quod Inperatores Graeci omnem in Romam, et Romanam remp., perdiderint potestatem, et Papae in civilibus coeperint dominari. Quae valde notabilis est historia, strictim et summatim narranda. Exarchis per Longobardos expulsis, et Graecis exarchatus, qui per duo duraverat secula, jure privatis, cum Aistulphus, Longobardorum Rex, Romanum invaderet ducatum, ipsamque obsideret Romam, Stephanus, Graecorum auxilio frustra inplorato, teste Anastasio, (unde etiam elucescit, Papas nondum renunciasse Graecorum inperio) tandem coactus confugit ad Pippinum, Francorum jam regem, ejusque opem inploravit, primum per Legatos et litteras, dein ipse, permittente Aistulpho, profectus in Franciam a. 753. Exceptus est a Pippino singularibus reverentiae signis: obviam enim ipsi Rex cum uxore, liberis, et Proceribus processit, sese coram ipso inclinavit, et opus stratoris aliquo perfecit spatio; nisi Anastasius, qui illud narrat, verbis, a more sui temporis petitis, censendus sit uti. Promisit mox ipsi Pippinus, se Exarchatum Ravennae, et reipublicae jura, redditurum esse; et Stephanus ipsum, cum uxore et liberis, Carolo et Carolomanno, unxit Regem Francorum, addito jure *patriciatus* Romanorum a. 754. ut ex Annalista Metensi, et Epistolis Papae, in codice Carolino, patet. Coegit etiam Pippinus Aistulphum, superatis Longobardis, ut Ravennam, aliasque civitates, dato juramento, se redditurum esse promitteret. Quo promisso ut Pippinus esset contentus, et a sanguine fundendo abstineret, ipse Papa effecit. Cum autem Longobardorum Rex, Pippino in Gallias reverso, et Papa Romam a. 754., promissis non staret, nec civitates, et loca, quae Pippinus Romanae donaverat Ecclesiae, restitueret, imo Romam obsidione cingeret, et vastationes ac vexationes circumquaque sine discrimine institueret, ut ex epistolis Papae ad Pippinum, et Francos, constat,

(ubi notetur obiter, eum, novo exemplo, nomine Petri scripsisse, et auxilium petiisse, quod in solis Francis esse positum testificatus est) Pippinus denuo contra Longobardos movit, et Aistulphum ad pacta praestanda coegit, nec ante discessit, quam Ravennam cum toto exarchatu, Pentapolin, ac viginti civitates, illis provinciis comprehensas, tradidisset Pontifici a. 755. Recepit eas terras Fulradus, Abbas S. Dionysii, eo fini a Pippino ibi relictus, et singularum urbium claves, una cum tabulis donationis, a Pippino factae, Romam detulit. Postea, cum Longobardi, post Aistulphum, de successione decertarent, Papa per Pippinum effecit, ut Desiderius fuerit in locum ejus evectus, sub conditione, ut civitates, ad Aistulpho adhuc retentas, sed donatione Pippini comprehensas, traderet: quod tamen Desiderius, excepto Ferrariae ducatu, quem Papae restituit, non praestitit.

§. CCXXXIV. Ut autem plenior sit et exactior donationis Pippinianae intellectus, 1. inter patrimonia, et jura, loca, fines, ac territoria civitatum distinguendum est. *Jura* enim loca etc. donationem illam constituunt et partem faciunt principatus, Papis concessi: sed *patrimonia*, sive intra sive extra donationem sita, in ducatibus Beneventano, Spoletano, et Tusco, nec non in territoriis Neapolitano et Cajetano, erant *pro subsidiis tantum et alimento pauperum Christi*, seu *luminarium concinnatione*, ut Gregorius III. loquitur in epist. ad Carolum Martellum, apud Baronium ad a. 740. erantque Paparum jam ante donationem Pippinianam; ut ex epist. Pauli Papae ad Pippinum in cod, Carolino ep. 16. elucescit. Exstat quoque memorata distinctio in ejusdem cod. Carol. ep. 11. Vid. Cointius Annal. Eccles. ad a. 760. 2. Exarchatus Ravennatensis complexus est Flaminiam, cujus pars Pentapolis dicta est, a quinque praecipuis civitatibus, praeter Ravennam, et Aemiliam, seseque a Trebia fluvio, et urbe Placentia, ab occasu extendebat ad Senogalliae, in Piceno Annonario, fines; a meridie vero ter-

minus

minus erat Apenninus, ad Septentrionem Padus et sinus Adriaticus.

§. CCXXXV. Ceterum ex Epistolis Papae ad Pippinum, et Francos, quas etiam recenset *Catalogus* testium veritatis lib. VIII., quod non erat omittendum, liquet. 1. Ecclesiam Romanam adpellatam fuisse *caput omnium Ecclesiarum*, et *fundamentum fidei*, ex opinione Papae, 2. Papas habitos fuisse Petri vicarios, imo 3. eos Petri nomine omnia jam egisse. Exstat enim inter eas epistolas *nomine* Petri scripta, in qua ipse introducitur loquens, et Pippinum ad Ecclesiae Romanae defensionem suscipiendam orans, etiam per promissa et minas compellens. 4. Eam tueri Ecclesiam habitum fuisse opus, quod coelestia meretur bona et terrestria; eam vero Longobardis relinquere crimen aeternis luendum poenis. 5. Papam nihil ardentius desiderasse, quam dominium aliquod politicum, illudque Ecclesiae Romanae procurare opus censitum fuisse Deo, sanctisque omnibus, gratissimum. Notari insuper meretur, Pippinum in tabulis donationis dici haec jura concessisse Papis *pro remissione peccatorum suorum inpetranda*. Ab hoc itaque tempore Papae vulgo censentur, cum Romae, tum in Exarchatu Ravennatense, potestatem exercuisse in rebus civilibus, et rempublicam fuisse, cujus caput erat Papa, defensor tantum et protector Rex Francorum: quo etiam referri solet, quod Inperatorum non amplius meminerint Papae, et populum Romanum vocarint *suum* in Epistolis, licet annum Inperatoris, tanquam notam temporis, nonnunquam memoraverint. De quibus postea adcuratius. Obiter adhuc notetur, hunc Papam primum censeri, qui, Papa electus, fuerit super humeros a populo portatus ad Ecclesiam Lateranensem, teste Anastasio.

§. CCXXXVI. Iisdem institit vestigiis successor ejus, simul frater, cujus nec ante nec post notum est exemplum, *Paulus* ab a. 757. ad 767., qui praecipuam collocavit operam in Pippini gratia ambienda, ut ejus ope regiones do-

natas partim manibus Desiderii, qui alias retinebat, alias invadebat, extorqueret, partim contra Graecorum Imperatorem, qui iis imminebat, defenderet: quo fini Pippinum, ipsos etiam Longobardos, conatus est contra Constantinum suscitare. Vid. Anastasius in ejus vita, nec non Litterae Papae in Cod. Carolino, quarum capita et argumenta exhibet *Catalogus* testium veritatis, l. VIII. In quarum una testatur, se post Deum, ejus genitricem, et beatos Apostolos, in nullo, quam Pippino, majorem ponere fiduciam. Ceterum hujus Papae tempore confictam esse ab aliquo Papae adulatore, seu devoto, famosam illam donationem Constantini M., cujus in vita Silvestri sec. IV. memini, eo scopo, ut jura Papalia temporalia in Italiae partes, et Ecclesiastica supra Patriarchas quoque CPolitanos, defenderentur, haud improbabiliter disputat Petrus Marca Conc. Sac. et Imper. l. III. c. 12. Utique Hadrianum ejus donationis mentionem jam fecisse, eaque usum esse, constare videtur ex ejus epist. ad Carolum M. apud Muratorium Script. Ital. t. III. p. II. Cetera celebratur a liberalitate in sublevandis egenis ac miseris.

§. CCXXXVII. Paulo mortuo, ut Papa, Longobardis aequior, eligeretur, Toto, Dux civitatis Nepesinae, jussu Desiderii, et ope Longobardorum, fratrem suum *Constantinum*, licet laicum, per vim intrusit in sedem, eumque primum diaconum, dein Pontificem, fecit ordinari. Quod Constantino pessime cessit: seditiosi enim viri, Sergius et Waldipertus, presbyteri, militum collecta manu, occidunt Totonem, et Philippum quendam presbyterum constituunt Papam. Qua in rerum perturbatione Optimates, Clerus, et populus, legitimum elegerunt Papam Stephanum, et Constantinum detruserunt in monasterium: sed unde mox a militibus violenter extractus, et crudeliter excoecatus est, eadem etiam poena sociis ejus, cum linguae abscissione, inflicta. Dein ad Synodum a Stephano vocatus, se invitum esse electum, et veniam petere, testatus est. Cum vero mox, mutato

mutato consilio, electionem suam instituerat defendere, colaphis caedi jussus, et extra Ecclesiam ejectus est, a Patribus Synodalibus, ejusque acta flammis sunt tradita. Ipsum etiam Constantinum fuisse jussu Synodi combustum, tradit Marianus Scotus, sec. XI. scriptor; nescio qua fide. Extant duae ejus epistolae ad Pippinum in Cod. Carolino: quibus electionem suam legitime, et communi consensu, esse factam, et se invitum adoptasse, inpudenter defendit, et Pipini inplorat auxilium.

§. CCXXXVIII. *Stephanus* III. hac ratione in sedem elevatus, quam ab a. 768. tenuit ad a. 772., mox in principio Synodo coacta, non ea tantum, quae modo memoravi, contra Constantinum egit, sed et, teste Anastasio, decretum fieri curavit, Episcopos, Presbyteros, ac diaconos, a Constantino ordinatos esse *reordinandos*; omniaque alia ad sacramenta et cultum Dei pertinentia, excepto baptismo et unctione, renovanda, Papas denique ex solis presbyteris et diaconis Cardinalibus, exclusis subdiaconis, esse eligendos, addito interdicto, quo sub anathemate vetitum est, armata manu in eligendo Papa uti. Restricta itaque ab hoc tempore est electio ad presbyteros et diaconos Cardinales. Eundem non tantum, quem decessores, sed longe vehementiorem spiravit in Longobardos animum, posteaquam, a Desiderio astu circumventus, et dein vi retentus in Vaticano, coactus est, litteris ad Reges Francorum scriptis, declarare, sibi a Desiderio esse satisfactum, terris, quas tamen detinebat, redditis Ecclesiae Romanae. Quae Litterae in Cod. Carolino exstant. Sed, manibus Desiderii elapsus, contrarium iis per Litteras significavit, eorumque opem inploravit. Deinde, cum de Filia Desiderii, a Carolo ducenda, ageretur, quod ille per matrem Caroli effecerat, Papa vehementer irritatus, acerbissimas ea de re ad Carolum, et Carolomannum, scripsit Litteras, quae in *Catalogo testium veritatis* etiam recensentur lib. VIII., animum non tantum exulceratum, sed et superbum, spirantes, quibus eo praecipue no-

mine sese huic conjugio opponit, quod ex gente Longobardica esset virgo, quam gentem, inique admodum, et falso, aterrimis coloribus depingit, obiter tantum adtingens, et quasi in transitu, Carolo, jam conjugato, aliam non licere ducere uxorem, priore repudiata. Obtestatur non tantum per adjurationem Carolum et Carolomannum, ut a proposito desistant, sed declarat, si quis hac in re voluntatem Papae respuat, *eum scire debere, se autoritate Petri, Apostolorum Principis, anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, atque cum diabolo, et ejus atrocissimis pompis, et caeteris inpiis, aeternis incendiis concremandum.* Provocat insuper ad juramentum fidelitatis ac obsequii, quo Francorum reges Romanae obstricti erant sedi, et postremo dicit, praesentem exhortationem et adjurationem prius in confessione Petri fuisse positam, et *sacrificium super ea, atque hostias Deo fuisse oblatas*, et sic missam. Carolus, hisce minis spretis, eam duxit quidem uxorem, verum postea repudiavit, quia *clinica* erat, et *inhabilis* ad pariendum, ut tradit San-gallensis de gestis Caroli M. l. II. in Antiq. Lect. Canisii t. II. p. III., quod num alibi traditum sit, non succurrit. Ceterum ex Epistola Papae elucescit, 1. Papas id maxime intendisse, et egisse, hoc tempore, ut a Longobardis liberarentur, et pomoeria ditionis temporalium quam latissime extenderent: 2. summam religionis fuisse constitutam in Ecclesiae Romanae obsequio et amplificatione: 3. denique Francos sese jurejurando Papis ad obsequium et defensionem obstrinxisse. Praeter haec pontificatum ejus celebravit, quod, teste Anastasio, instituerit, ut septem Episcopi Cardinales missarum solemnia hebdomadatim celebrarent in Ecclesia Lateranensi Romae. Quae prima censetur mentio Episcoporum *Cardinalium*, quales erant, qui, proximos urbi habentes episcopatus, Papae adsistebant, Romanae Ecclesiae *cardini* adnexi.

§. CCXXXIX. Ultimus, et omnium celeberrimus, seculi Papa est *Hadrianus*, qui, ab a. 772. ad 795. sedem per-

23 annos tenuit: sub quo Romana sedes a Longobardorum infestationibus tandem penitus est liberata per Carolum M., ultimo eorum rege Desiderio victo; et Carolo rege Longobardorum proclamato, a. 774. Papa nihil non egit, quo Carolus in eum incitaretur, et Desiderius omnium odio exponeretur. Inter alia, cum Romae immineret, eum excommunicationis fulmine terruit, quin absterruit, ita ut finibus Romanorum excesserit: *scripto*, scilicet, *anathematis et exsecrationis verbo, adjuravit regem per omnia divina mysteria, ut nullo modo fines Romanorum, sine ejus absolutione, ingredi atque conculcare praesumeret*, ut refert Anastasius. Carolum e contra sibi omni ope devincire studuit: cui, cum prima vice Romam venit, a. 774., obviam sunt missi pueri scholarum, qui cum ramis palmarum et olivarum laudes ei accinerent, eumque adclamationibus exciperent: directae etiam ei sunt cruces, *sicut mos est ad Exarchum aut Patricium suscipiendum*, ut habet Anastasius. Deinde, in Basilica Petri Pontifice missas celebrante, laudes ipsi sunt magna cum populi laetitia rursus adclamatae, quae erant victoriae, vel vitae diuturnioris adprecationes. Quo modo Imperatoribus Romanis adclamari solebat, cum eorum Imagines, post electionem recenter factam, in provincias deferebantur. Vid. Gregor. M. epist. 11. libri XI. Ordini praeterea Romano inserta est Missa pro Carolo. Dicitur enim in ordine Romano, apud Mabillon. Mus. Ital. t. II. n. 24. *sabbato esse institutum, tempore Hadriani, ut flecteretur pro Carolo Rege.* Cum vero postea Romam rediret a. 781., filius ejus Pippinus a Papa *de sacro fonte susceptus est*, et duo ejus filii, Pippinus et Ludovicus, *inuncti sunt oleo. In reges ille super Italiam*, hic super Aquitaniam; ut Regino scribit in Chronico. Denique in Chronico Sigeberti a. 773. traditur, in Synodo Romana, quam Papa cum Carolo habuit, datum fuisse Carolo jus eligendi Papam, et Episcopos per singulas provincias, qui a Carolo investituras accipere debeant. Fictam quidem esse Synodum, et Sigeber-

 tum

tum interpolatum, praeter alios contendit P. Marca l. cit. l. VIII, c. 12., sed vindicavit Goldastus in *replicatione* pro *Imperio*, et novissime C. Andoul, tractatu Gallico de *origine regalium* etc., ut ex Memoriis Trevoltinis didici.

§. CCXL. Nec Carolus se Papae ingratum praestitit, sed sedem ejus multis donationibus honoravit, ac amplificavit. 1. Donationes Pippini confirmavit, adjecto etiam ducatu Spoletano a. 774., quem tamen postea cum territorio Sabinense commutavit a. 781., mansit enim ducatus Spoletanus, excepta dioecesi Sabinense, in potestate Francorum. 2. Capuam, aliasque in Campania civitates, Arigiso, Beneventano duci, ereptas, dono quoque dedit sedi Romanae, a. 787., teste constitutione Ludovici Pii, qua Pippini et Caroli donationes confirmantur. 3. Magnam partem thesauri, quem Ericus, dux Forojuliensis, de Pannonia, spoliata Hunnorum regia, detulerat, Papae misit et donavit a. 796., ut tradit Eginhardus. Reliqua suo loco exhibebo, et ipsius Hadriani testimonio de his donationibus in epist. ad Constantinum et Irenem in act. Nicaenis concludam, quo declarat, Carolum *plura dona Ecclesiae Apostolicae dedisse perpetuo possidenda, tam provincias, quam civitates, seu castra et cetera territoria*, imo et *patrimonia reddidisse, quae a Longobardis detinebantur*, denique aurum et argentum quotidie *pro luminariorum concinnatione, seu alimoniis pauperum non desinere offerendo*. Ceterum, quanti Carolus sedem Romanam fecerit, quantamque ei adscripserit autoritatem, ex opere ejus de *Imaginibus* l. I. c. 6. elucescit. Declarat vero ibi 1. non ab aliis scripturis, nisi quas Ecclesia Romana inter canonicas recepit, testimonia sumenda, nec aliorum Doctorum, nisi qui a Gelasio, vel ceteris Pontificibus, adsumti sunt; dogmata esse amplectenda. 2. Sicut ceteris Discipulis Apostoli, et Apostolis omnibus Petrus, eminet, ita ceteris sedibus Apostolicas, et Apostolicis Romanam eminere. Unde de specie autoritatis, quam Romanae Ecclesiae vindicat, judicium ferri poterit. 3. Romanam porro dicit nullis Synodicis constitu-

tis

tis praelatam esse reliquis Ecclesiis, sed *ipsius Domini autoritate primatum tenere, dicentis, tu es Petrus* etc. Matt. XVI. Eam 4. *melliflua praedicationis pocula Catholicis per orbem Ecclesiis ministrare*; et 5. ab ipsa, post Christum, omnes per orbem Ecclesias petere *adjutorium ad hauriendam fidem.* Quae, et quorum similia, ibi obvia, licet Ecclesiae Romanae autoritatem supra omnes Ecclesias nimium quantum extollant, nihil tamen de infallibilitate, aut dominio fidei, habent. De cantu et ordine Romano, ad Ecclesias suas a Carolo translato, supra egi.

§. CCXLI. Subjungam dictis, quae ipse Hadrianus de sua praeeminentia et autoritate protulit. In epist. ad Constantinum et Irenem in actis Nicaenis dicit, orthodoxos Imperatores Ecclesiam Romanam, *tanquam caput omnium Ecclesiarum*, esse veneratos: adpellat mox Papas Romanos *vicarios Petri, cui claves regni coelorum sunt commissae*, et *eadem praeditos autoritate, a Petro ipsis divino jussu traditas.* Quae in seq. repetit et inculcat denuo, ut et in Epist. ad Tarasium ibid. Imo in epist. ad Carolum, ad calcem act. Nicaenorum Latinorum, adserit, Romanae Ecclesiae Episcopo *principatum sacerdotii super omnes ab antiquitate esse collatum, eumque et locum habere et facultatem de fide et sacerdotibus judicare.* Denique, in epist. ad Constantinum et Irenen, modo citata, tradit, *Romanam sedem unamquamque Synodum et sua autoritate confirmare, et continuata moderatione custodire*, nec veretur profiteri, *se valde miratum esse*, in Inperialibus jussis, pro Tarasio Patriarcha directis, Tarasium esse adpellatum *universalem*, seu *Oecumenicum*, Episcopum, quod utrum per *inperitiam*, aut *schisma*, vel *haeresin iniquorum*, scriptum sit, se ignorare: suadet deinde ut ab eo titulo abstineatur, utpote *contra sanctorum canonum instituta, seu S. Patrum traditionem*; *quia si universalis est*, ita pergit, *etiam Ecclesiae nostrae sedis principatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis, adparet: quia sola Ecclesia Romana principatum tenet, ac po-*

nostatis autoritatem. Ex quo manifestum fit, a. Titulum Oecumenici adhuc obtinuisse CPolitanum Patriarcham, sicut et postea tenuisse, ex Anastasio liquet, in praef. ad Synodum VII., Papae Joh. VIII. dicata. *b.* Papas propterea aegre hoc tulisse, quod CPolitanus per eum titulum vel aequaretur, vel praeferretur Romano. *c.* Papas ergo solos eo voluisse insigniri. Sed nec illud negligendum, Papam ibid. adfirmare, Episcopum CPolitanum ne quidem in *secundo ordine unquam valuisse nomen habere, si non per* Apostolicae Ecclesiae *Romanae autoritatem.*

§. CCXLII. Praeter haec magnificum sese praestitit in profundendis eleemosynis, in ornandis, et splendide reparandis, cunctis Urbis Ecclesiis, et coemiteriis: de quibus, aliisque operibus, mira refert Anastasius. Inter alia *candelabrum*, formam crucis habens, pensile posuit ante presbyterium S. Petri, in quo collocari poterant *mille trecentae septuaginta* candelae, quae quater quotannis accenderentur omnes. Inmensos quoque contulit sumtus in ornamenta Vaticanae S. Petri Ecclesiae. Quibus non inmoror. Ceterum, sicut eum vivum dilexerat, et magni fecerat, Carolus, ita mortuum acerbissime deflevit, suffragia cum eleemosynis per ditiones suas inperavit, et ab exteris, ut idem facerent, petiit, ipse illud praestitit, et epitaphio ipsum celebravit: quod superest. Scripsit vero Papa, praeter varias Epistolas, *codicem canonum* et decretorum Pontificum, Carolo oblatum, et a Sirmondo in Concil. Gallican. editum; sicut *epitome* canonum a Canisio Ant. Lect. tom. II.

§. CCXLIII. Historia Paparum summatim enarrata, de vero eorum conspectu, et autoritate, pro more, disserendum restat, cum ea de re ex ipsa historia judicium sit ferendum. Praecipuum eorum studium fuit, cultum religionis externum ordinare, et potestatem sedis suae amplificare: nec res ipsis male successit hac parte. 1. Quantam inpenderint operam cultui imaginum stabiliendo, rebus ad Ecclesias, et religionem, pertinentibus ornandis, et pomoeriis

a... ditionis

ditionis suae dilatandis, ex superiore historia cum facile constet, verbo memorasse suffecerit, qua ratione potestatem ac autoritatem suam reapse auxerint hoc seculo. 1. Graecorum et Longobardorum dominio, magno potestatis obstaculo, fuerunt per Francos erepti. 2. Variarum regionum et terrarum facti sunt *Domini*, ut ex Pippini et Caroli donationibus liquet. 3. Per totum fere Occidentem pro *vicariis* Petri sunt eximie habiti, ita etiam ut Petri et Paparum commoda fuerint conjuncta, autoritas tantum quod aequata: ut ex supra de Carolo et Hadriano dictis facile elucescit. Petrum vero *omnia Occidentis regna*, inquit Gregorius epist. I. ad Leonem Isaurum circa fin., *velut Deum terrestrem habent*. Titulus quidem *vicarii Petri* omnibus datus fuit Episcopis, cum Petrus fuerit *Universalis* habitus Episcopus, cui omnes suo modulo successerunt, et quod ei dictum erat, *pasce oves meas* etc. ad omnes tractum, de quo vid. Baluzius ad Lupum Ferrar. ep. 84. Quid quod Ambrosius Ausbertus ad Apoc. V. lib. III. dictum Christi Matth. XVI. *tu es Petrus* etc. diserte adfirmet, *Petro, typum Ecclesiae gerenti*, fuisse *dictum, acsi diceret super me* (scilicet petram) *aedificabo te*, seu Ecclesiam, Jonas Aurelianensis de *cultu Imaginum* l. III. luculentius dicit, *multos, et pene omnes, petram, super quam aedificatur Ecclesia, fidem intelligere Petri, quae communis est totius sanctae Ecclesiae, videlicet eam, quae — — praecesserat, tu es Christus filius Dei vivi* etc. Addit deinceps, *claves regni coelorum* Petro, *tanquam eminentissimo Ecclesiae membro quasi datas esse, ut per illum ad ceteros haec dignitas transeat*. Concinit Druthmarus in *expositione Matthaei*, lectu non indigna, ad c. XVI. dicens: *super hanc firmitatem fidei, quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam*. Quod de *clavibus* sequitur, refert ad omnes Apostolos et successores eorum. Attamen Papae sibi illud eximie, et supra alios, vindicarunt, etiam passim consecuti sunt. Alcuinus ex. gr. ep. XI. ad Carolum *tres* dicit *esse personas altissimas in mundo, Apostolicam sublimitatem*,

quas beati Petri, Principis Apostolorum, sedem vicario munere regere solet, Imperialem dignitatem CPol., et regalem dignitatem Francorum. 4. Bonifacius quoque, Germanorum Apostolus, et Episcopus, Papalem potestatem per novos illos Christianos strenue promovit. Erat enim juramento per Christi corpus obstrictus Pontifici, de quo mox, se Catholicae fidei fore adsertorem, et Pontifici omnem obedientiam exhibiturum, ejusque utilitatibus inserviturum, et Antistites omnes in eas leges adacturum. Vid. confessio ejus ad calcem epist. 117. inter Bonifacianas. Tribuitur insuper Bonifacio singulare effatum in *jure Canonico* Decret. p. I. dist. XL. cap. 6. quo, interrogatus, num Papa, si negligens sit officii, a quoquam mortalium possit judicari, respondit, *culpas Pontificis redarguere praesumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius.* Sed illud ipsi falso adscribitur, nec hujus est seculi, quippe sec. XI. vel XII. demum ex orco productum. De quo vid. Beausobre in Bibl. German. tom. XIV.

§. CCXLIV. 5. Inperatores et Reges anathemate feriendi ac excommunicandi potestatem sibi adrogare coeperunt. Utique Hadrianus minatus est Desiderio, Longobardorum regi, et ante eum Stephanus III. Carolo, si filiam Desiderii ducat uxorem: nec multum abfuit, quod in Iconoclastas Inperatores tentarunt Papae: de quo supra dixi. 6. Episcopos et Archiepiscopos juramento fidelitatis sibi obstrictos tenuerunt, et vicariatus papalis dignitatem ubique propagarunt per Galliam, Britanniam, Germaniam, et alias regiones. Notabile est juramentum Bonifacianum, quod in Epistolis Gregorii II. exstat, et a Baronio recensetur a. 723. et ep. 117. inter Bonifacianas, quod ita habet: *promitto ego Bonifacius Tibi, beate Petre! Apostolorum principi, vicarioque tuo Gregorio Papae, et successoribus ejus, per Patrem, Filium et Spiritum S., Trinitatem inseparabilem, et per hoc sacratissimum corpus tuum, me [illegible] fidem et puritatem meam,*

atque

atque concursum Tibi, et utilitatibus Ecclesiae tuae, cui a Domino Deo potestas ligandi solvendique data est, et praedicto vicario tuo, atque successoribus ejus, per omnia exhibere: additur inter alia, *secus si fecerit, se reum futurum in judicio aeterno, ultionem Ananiae et Sapphirae incursurum* etc. Ad quam eandem obedientiam induxit Bonifacius *Synodi suae episcopos;* ut ipse testatur epist. 105. ad Chudbertum in Anglia Episcopum. 7. Patriarchis CPolitanis quantopere se praetulerint, denegato quoque ipsis titulo Oecumenici, ex modo dictis de Hadriano patet. Denique 8. adpellationes ad sedem Romanam stabilitae sunt, ita ut a Synodis provincialibus depositi ad Romanum Pontificem potuerint provocare; ut ex capitulis Ingelramni, Metensis Episcopi, Hadriano oblatis, et libris Capitularium insertis, liquet. Vid. etiam Capitul. l. VI. c. 401. et VII. c. 103, 173. et 412., et ibi Baluzius.

§. CCXLV. Attamen illimitata non fuit haec Paparum potestas, imo arctioribus adhuc limitibus, quam postea, constricta. 1. In politicis non fuerunt ditionum suarum absoluti et independentes Domini, nequidem in ipso ducatu Romano, post donationes Francorum. Donatae enim ipsis tantum sunt provinciae in dominium utile, regia potestate penes Francorum Reges manente; quare in sacramento praestando dicebat Papa, *promitto, me Domino meo Carolo, et Filiis ejus, fidelem futurum* etc. De Roma, et Romano ducatu, cujus suprema potestas erat penes eosdem Reges, vid. Conringius de *Inperio German.* cap. 6. Transiit vero potestas haec a Graecis, populoque Romano, ad Carolum ann. 798., quando Leo III., populusque Romanus, *vexillum urbis Romae, cum clavibus confessionis Petri, ex* sepulchro ejus desumtis, miserunt ad Carolum, tanquam Dominum, et non simpliciter protectorem, rogante Leone, ut *aliquem e suis Optimatibus mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem et subjectionem per sacramentum firmaret,* ut tradit Eginhard. in Annalibus, cui reliqui Annalistae consentiunt.

sentiunt. Accedit, Paulum Diaconum, in libello de *Episcopis Metensibus*, in vita Arnulfi, ex nobilissimo Francorum stemmate orti, et *per omnia*, ut inquit, *lumine sanctitatis et splendore generis clari*, testari, Carolum M. *ipsam urbem Romuleam suis addidisse sceptris, et cuncta Italiae miti dominatione potitum esse.* Vid. P. de Marca conc. sac. et Imp. L. III. c. 11. et Cointius in Annal., ac Schminck. ad Eginhard. vit. Caroli c. 28., ubi, Carolum vere sic dictum Dominum fuisse Romae, evincere conatus est.

§. CCXLV. Nec tamen haec tam certo constant, ut cum traditione sint superiora. Utique Pagi ad Baronium a. 796. contendit, Papas, a Sthephano II., seu ann. 754., Graecorum inperio excusso, *Rempublicam* instituisse, cujus caput Romanus est Pontifex, defensor vero, seu protector, Pippinus, Galliarum Rex, sub titulo *Patricii*, cujus quidem erat in urbe jurisdictio, sed non dominium aut inperium. Quo refert, quod Papa populum Romanum adpellat *suum*, et Alcuinus ep. XI. ad Carolum, rempublicam Romanam non Caroli, sed *alienam*, nuncupat, quam propriis ejus ditionibus opponit. *Domini* quidem titulum gerit Carolus, sed et Papa Leo III., qui in numismate, ab ipso cuso, *Dominum* se vocat, at diversa ratione, Carolus ut Patricius, cui jurisdictio in urbe competit, Papa ut proprie dictus Dominus. P. Diaconum autem putat l. cit. rethoricari, et hyperbolice loqui. In vexillo vero cum clavibus, Carolo misso, nullum videt subjectionis signum, ad a. 740, et 774. *Claves* enim e confessione Petri jam olim et aliis principibus Christianis fuisse missas, ex Gregorii M., aliorumque Paparum, epistolis, observat, ut et *vexillum* ad patricios, seu defensores Ecclesiae Romanae tantum fuisse missum, qui adversus infideles, schismaticos, aut haereticos pugnaturi erant, absque ut pro supremae potestatis insigni habitum fuerit. Primus autem Francorum, cui vexillum fuit datum, est Carolus Marcellus, ut opinatur, licet de eo id non sit expresse adnotatum, dein Pippinus, et tum Carolus M. Denique ultra

patriciam

patriciam dignitatem et jurisdictionem negat esse extendendam, quod Eginhard. l. cit. refert, Leonem petiisse, ut aliquis a Carolo mitteretur, *ut populum ad suam fidem et subjectionem firmaret sacramento*. Quae disputata, licet specie non careant, vereor ut supra prolatis, et disertis scriptorum testimoniis, praevaleant. De quo plura dixisse nihil adtinet.

§. CCXLVII. 2. Papae sibi nondum hoc tempore potestatem adrogarunt, Inperia et Regna transferendi, aut inmutandi. Quin Gregorius II. epist. ad Leonem Isaurum diserte fatetur, *Pontificem non habere potestatem in palatium, aut dignitates regias deferendi*. Inputatur quidem simile quid Gregorio et Zachariae, sed, ut supra in eorum vita demonstravi, inmerito et falso. De Leone III., qui Carolum unxit regem Romanorum, postea agam ad seculum sequens. 3. In ipsis negotiis Ecclesiasticis Papae, Graecorum dominio erepti, adhuc multis modis fuerunt Regibus Francorum obnoxii. a. Episcopos eligendi, vel confirmandi, suprema erat penes Regem, ejusque concilium, potestas, ipsorum etiam Paparum consensu. Exercuerunt illud jus diu ante Zachariae tempora Franci, ut P. Marca l. cit. p. II. demonstrat, et postea illud ipsum confirmavit Zacharias, ut Lupus Ferrar. ep. LXXXI. ad Amolum testatur, dicens, *Pippinum in Synodo, cui interfuit martyr Bonifacius, exposita necessitate hujus regni Zachariae Romano Papae, ejus accepisse consensum* etc. Respicitur ad id, quod in Synodo a. 742., et in Liptinensi a. 743., ac Suessionensi a. 744., actum est: cujus canon 3tius ita incipit: *idcirco constituimus per consilium sacerdotum et optimatum meorum, et ordinavimus per civitates legitimos Episcopos, et idcirco constituimus super eos Archiepiscopos Abel et Ardobertum, illum Rhemensem, hunc Senonensem.* Quod Papa tantum adprobavit et ratihabuit. Si vera foret Synodus Romana sub Hadriano a. 774., Carolo fuit concessa, vel confirmata, cum jure Patriciatus, *potestas eligendi summum Pontificem, et ordinandi apostolicam*

 sedem,

sedem, *insuper Archiepiscopos et Episcopos per singulas provincias investiendi*; ut ex Anastasii hist. Eccles. refert Gratianus in cap. *Adrianus*, et narrat quoque Sigebertus in Chronico. Sed cum Veteres ejus rei non meminerint, Lupus Ferrar. illud jus a Zacharia repetat, Florus quoque de *electione Episcoporum* a. 820., ad calcem Agobardi tom. II. edit. Baluzii, illam Regum potestatem a *consuetudine* derivet, nulla hujus Synodi facta mentione, imo *ad sua usque tempora* testetur, *absque interrogatione Principis*, *solo dispositionis judicio*, *et fidelium suffragio*, *legitime Pontificer consecrari*, aliaque obstent, quae P. Marca l. cit. et Nat. Alexander jam protulerunt, nos illud in medio relinquimus. De quo supra in Hadriano jam monui, et legi meretur Besselius ad Eginhard. vit. Caroli cap. VI. ed. Schminckii.

§. CCXLVIII. *b*. Suprema leges Ecclesiasticas condendi potestas non fuit penes Papas, sed Inperatores et Reges, quorum capitularia eandem quoque habuerunt autoritatem ac canones Synodorum, quibusque ipsi Papae erant adstricti, uti *Capitularia Francorum* evincunt, et Baluzius in praef. fuse probat. Notabilia admodum hanc in rem sunt Leonis IV., in epistola ad Lotharium, quam Ivo et Gratianus recensent, verba: *de capitulis vel praeceptis Inperialibus vestris, vestrorumque praedecessorum, irrefragabiliter custodiendis et conservandis, quantum valuimus et valemus, Christo propitio, et nunc et in aevum nos conservaturos modis omnibus profitemur*, etc. Unde etiam est, quod capitula illa et constituta saepe sint in conciliis *transcripta*; ut Baluzius ibid. demonstrat. *c*. Synodorum convocationem sine sua autoritate non esse faciendam, constituerunt reges Francorum: uti constitutio Sigeberti regis habet apud Baluzium capitular. t. I. p. 143. Vid. etiam Sigeberti epist. ad Desiderium Episcopum Cadurcensem, sec. VII., apud Canisium Ant. Lect. vol. I. Quod ipso facto etiam demonstrarunt reges, Synodos cogendo, de omnibus disponendo rebus, ac canones condendo; ut ex collectione capitularium Baluziana, et conciliorum Sirmondi

satis elucescit. Occurrit tamen in collectione capitulorum Ingilramni Metensis, Hadriano oblatorum, *Papis esse singularem autoritatem convocandarum Synodorum.* Denique d. in Synodo Francoford. can. 4. Carolus *edicit*, ut *quod a Metropolitanis finiri nequeat, ad suum tribunal deferatur.* Sed alibi capitular. l. VII. cap. 321. hic praescribitur ordo, ut causae Clericorum minorum, et Episcoporum, judicentur in Synodis Provinciae, sed, si adversus Metropolitanum quid habeant, querela deferenda sit ad primatem dioecesios, et apud Ipsum causa dijudicetur, aut apud sedem Apostolicam. Ex quo colligi posse videtur, tempore concilii Francoford. *Primates* nondum fuisse in Gallia. Wilfrido, Episcopo Eboracense, in Synodo judicato, et ad Papam adpellante, hoc ipsum pro crimine est habitum, condemnatione ejus dignum, ab Archiepiscopo et Rege, ut Eddius in *vita Wilfridi* refert e. Hisce addatur, viros Primarios, et Politicos et Ecclesiasticos, passim duos, subinde et unum, vel plures, qui *missi Dominici*, quod a Regibus Francorum, tanquam *Dominis*, ablegati fuerint, adpellantur, summa cum potestate, nomine Regum suorum, et Romae, et per reliquas inperii provincias, res et causas civiles ac Ecclesiasticas direxisse, et judicasse, quibus Comites, Magistratus, Papae, et Praelati, fuerunt subjecti. De quibus vid., praeter alios, P. de Marca conc. Sac. et Inper l. IX., H. Conringius de Inperio German., et Muratorius Antiq. Italiae medii aevi tom. I. Differt. IX. Est eorum in Capitul. Francorum Baluzii frequens mentio. Ceterum mos iste extraordinarios ejusmodi mittendi judices Sec. XI. adhuc, licet rarius, viguit, deinceps sensim exspiravit, donec tempore Frederici I. prorsus evanuerit: ut Muratorius l. cit. observavit.

§. CCXLIX. Post Papas cum inter Clericos eminuerint Primates, et Archiepiscopi, sive Metropolitani, de iis uno alterove defungar observato 1. Metropolitani gesserunt hoc tempore in Occidente titulum *Archiepiscoporum*, sed in Oriente antiquum Metropolitanorum nomen continuavit.

Antiquitus scilicet soli Patriarchae, et Primates, quibus subordinati erant Metropolitani, Archiepiscoporum titulo fuerunt ornati. Justinian. nov. XI. de episcopo Justinianae primae, *volumus ut non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat*, h. e. Patriarcha, ut erat Romanus, Antiochenus, etc. Sermo quoque in concilio Chalced. saepe fit de Romano et Alexandrino, sub nomine Archiepiscoporum. Vid. et Liberatus in *breviario* c. 17. Sed hoc seculo, ut Metropolitanorum honor augeretur, ad eos idem Archiepiscoporum titulus est adplicitus. Sic in capit. I. Caroli a. 85. apud Baluzium Capitul. tom. I. p. 367. et 369. Vid. etiam Hincmarus in opusculo 55 capitum, cap. 16. 2. Distincti fuerunt ab his Metropolitanis *Primates*, teste capitul. l. VII. cap. 439. his verbis: *nulli alii Metropolitani adpellentur Primates, nisi illi, qui primas sedes obtinent, et quos sancti Patres Synodali et Apostolica autoritate Primates esse decreverunt. Reliqui vero, qui alias metropolitanas sedes sunt adepti, non Primates, sed Metropolitani vocentur.* Conferatur etiam Hincmarus l. cit. Unde patet, Primates intelligi, non qui Metropolitanis praeerant, sed a nullo Primate praeter Papam dependebant: erant Metropolitani sui juris, qui provinciae suae Synodos convocare, Episcopos ordinare, et a Provincialibus ipsi ordinari, sine cujusquam alterius Primatis interrogatione, possunt, nec non disponere regulariter quaecunque per provincias suas queunt, ut verba Hincmari habent l. III. c. 10., eum esse *Primatem, et unum de primis Galliae Primatibus, nec alium se potiorem, praeter Apostolicum Praesulem habere.* Quales etiam Rotomagensis, ac Senonensis, fuerunt. Sed praeter hos erant Primates dioecesios, a quibus ipsi Metropolitani dependebant, qui superiore tempore titulis Patriarcharum et Exarchorum sunt insigniti. Qualis fuit Bonifacius, primum sedis Romanae Legatus per Galliam et Germaniam, dein Metropolita Moguntinus, cum jure Primatus in omnes Galliae et Germaniae Episcopos. Quo mortuo, mansit Primatus Germaniae

maniae adfixus Ecclesiae Moguntinae, et ad ejus successores transiit. Sed in Gallia Metropolitani, qui primas tenebant sedes, ut Lugdunum inter provincias Lugdunenses, Avaricum Biturigum inter Aquitanicas, Narbo inter Narbonenses, Trevirum inter Belgicas, et per Hadrianum Remis eadem dignitas tributa est, in Belgica. II., *Primates* facti sunt; quo capitulum Caroli modo citatum spectat.

§. CCL. Ceterum Clericorum dignitas et opulentia hoc seculo haud leve nacta est incrementum, partim ex superstitiosa devotione, qua per dona, ipsis facta, et sacris, redimi putarunt peccata, partim ex causis politicis, quod Carolus ipsis magis, quam Baronibus et Vasallis politicis, fidere potuerit. Vid. Malmesbur. de gestis Regum Angliae lib. V. Fuerunt praeterea Clerici, ut reliqua ad eos pertinentia paucis absolvam, fere omnes hoc seculo *regulares*, vel *canonici*, quorum alii regularem vitam profitebantur in monasteriis, alii in Episcopio vitam instituebant secundum canones. Utrumque genus memoratur in *Capitulari Aquisgranensi* apud Baluz. cap. 72, 73, 77. et in Synodo Verdensi can. 11. Praescripsit autem Chrodogangus, Metensis episcopus, clero suo regulam, postea hoc et seq. sec. ad reliquas Galliae dioeceses propagatam, et a Clericis adoptatam, per quam vitam eorum informavit sub uno *claustro*: unde claustrorum frequens fit in scriptoribus medii aevi mentio, pro communi Clericorum canonicorum loco; licet proprie ea vox denotet monasterium, unde Belgarum *Clooster*. Edita est regula a Labbeo t. VII. Conciliorum, et a Dacherio in spicilegio, sed interpolata, indeque repetita in Conciliorum Harduini tom. IV. Composita maxime est ex ea *Benedicti*. Vid. P. Diaconus in fragmento de Metens. Episc. apud Duchesnium Histor. Franc. tom. II. Cujus duo canones notatu digni sunt, *unus*, quo canonici in congregationem recipiendi obligantur ad facultates suas illi Ecclesiae, aut congregationi, addicendas, excepto usufructu,

quem, si velint, retinere possunt, *alter*, quo permittitur, ut si quis sacerdoti pro missa, aut confessione, aut infirmorum visitatione, aliquid in eleemosynam dare velit, id recipiat sacerdos. Denique observetur, in prologo dici, *pastorum, subditorumque negligentiam nimium crevisse.*

§. CCLI. Ante Chrodogangum in Gallia hoc *canonicorum* institutum ignotum fuit extra Cathedrales Ecclesias, sed ab eo tempore orti sunt, ad exemplum Chrodogangi, Clerici *Canonici*, uni Ecclesiae Cathedrali addicti, nova ratione ita adpellati. Antea quilibet Clericus adpellatus fuit *Canonicus*, quod Matriculae Ecclesiae, canonis nomine insignitae, fuerit inscriptus, quodque stipendio Ecclesiae, etiam eo nomine adpellato, vixerit: sed hoc tempore *Canonici* sunt dicti, qui unius erant Ecclesiae Cathedralis, et certae regulae monasticae adligati. Unde postea sunt Cathedralium Ecclesiarum capitula orta, quae hodie supersunt. Locum quidem antea tenuerunt clerici regulares, ut qui ab Augustino instituti sunt, sed nec passim, nec etiam ita, ut nunc. Praeterea, cum, Clericorum copia aucta, omnes Cathedrali Ecclesiae coadunari non possent, plura sunt instituta collegia Clericorum Canonicorum, ad formam monasteriorum, extra Ecclesias Cathedrales; unde nati sunt collegiatarum Ecclesiarum Clerici, et parochiales in collegiatas Ecclesias mutatae: imo monasteria, monachis pulsis, occuparunt Clerici; quando alii fuerunt canonici in Ecclesia Cathedrali, sub manu Episcopi, alii, sub Abbatum et praepositorum directione; omnes monasteriis quidem inclusi, sed a Monachis tamen in eo diversi, quod 1. Clerici essent, 2. sub una regula. 3. nondum tribus adstricti votis, sed tantum, secundum canones vel Chrodogangi, vel Patrum, viventes. Dicta tamen sunt *monasteria* loca collegiis Canonicorum destinata, et Templa, et ipsi Clerici canonici *coenobitae*, ob magnam cum vita monastica adfinitatem. Canonici denique, qui in monasteriis erant, *Clerici* quidem erant, sed nomine, non re, quia collegia erant sine

adsigna-

adsignatione certi alicujus populi, sine *cura*, ut dici solebat, *animarum*; et ex illis passim sumebantur Clerici re ipsa facti, cum cura animarum.

§. CCLII. Ex monasteriorum instituto Capitula quoque acceperunt *Praepositos*, antiquis Ecclesiarum Oeconomis haud absimiles, quibus rerum et bonorum capituli administratio fuit commissa, sed et ipsa jurisdictio, quae capitulo competebat: unde ortum est, *het Domproosterlyk Gerichte*. Quae Praepositorum dignitas postea crevit, adeo ut Canonicorum facti sint *capita*; simul praepositura inter majora beneficia locum acceperit. Nec alio ex principio originem habuit *Decanatus*. Ut enim Monachorum cura esset adcuratior, constituti sunt, post Abbatem et Praepositum, Decani, quorum curae *decem* suberant Monachi; quales etiam inter Canonicos sunt introducti. Sed cum progressu temporis praepositi sese totos darent curae rerum temporalium, tota fere vitae et morum Canonicorum directio ad Decanos est devoluta. Denique, cum Canonici mores induerent Monachorum, subire quoque debuerunt clero Cathedrali inserendi annum *novitiatus*, seu probatorium, ut vocant, num scilicet mores ad hoc vitae institutum apti essent componere. Quo novitiatus anno multa pati debebant incommoda. Ceterum, ut illud obiter observem, cum *Studiosi* passim inter Clericos fuerint recensiti, ipsis illis annus probatorius est praescriptus, unde *pedantismus et penalismus* originem traxit, sicut et *vinum admissionis*, eo quod novitius, annum claustralem auspicatus, confratres laute excipere solebat in conclavi Cathedrali. Vid. de his omnibus Cl. Boehmer Jur. Eccles. lib. III. tit. IV.

§. CCLIII. Ad Clericos quoque pertinet, hic non negligendum, quod nova *Patronatus* forma, initio jam a sec. VII. facto, magis magisque invaluerit; qualis et hoc fere tempore adhuc obtinet. Situm autem illud jus est in jure quodam dominii, possessori Ecclesiae in eam, et bona ejus, competente; cujus virtute *presbyterum*, ab Episcopo adprobatum

batum, et ordinatum, ei praeficere, de dote ejus investire, et alia praetendere, potuit, quae ex natura dominii, quantum res Ecclesiasticae permittunt, fluunt. Quod jus partim ex privatorum oratoriorum, in usum familiae et famulitii, constructione in proprio fundo ortum est, partim ex infeudatione Ecclesiarum, cujus vi possessores et Domini erant, quibus in feudum cesserant. Quo in casu *Patronus*, non tantum patrocinii respectu simpliciter adpellatur, sed et dominii ac proprietatis, quatenus patronus denotat Dominum: quo sensu nomen illud sequentibus seculis factum est frequentius. Subiit vero hoc jus notabilem mutationem post sec. XII*mum* in nonnullis Ecclesiis, quam Pontifices Romani ubique conati sunt introducere, ita ut et jus proprietatis negarint Laicis, ex gratia tantum concesserint, et institutionem ac investiendi jus vindicarint Episcopis, sola *praesentationis* praerogativa relicta Patronis. Vid. Boehmer Jur. Eccles. l. III. tit. XXXVIII.

DISCIPLINA.

§. CCLIV. Quantopere disciplina fuerit enervata, et antiqua in desuetudinem venerit in Occidente, ex multis adparet indiciis et testimoniis. In genere testatur Bonifacius, in ep. ad Zachariam Papam, *Francos plusquam per* 80 *annos Synodum non fecisse, nec Archiepiscopum habuisse, nec Ecclesiae canonica jura alicubi fundasse aut renovasse;* praeterea sedes episcopales datas esse Laicis, avaris, scortatoribus, publicanis, et similibus. Notabilis est hanc in rem canon 25. Cabillon. II. a. 813. *modo poenitentiam agere juxta antiquam canonum institutionem in plerisque locis ab usu recessit, et neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur.* Notabilior adhuc est canon 38. qui ita habet: *modus autem poenitentiae peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum autoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem, inponi debet,*

repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos poenitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti autores etc. *qui, dum peccatis gravibus leves quosdam, et inusitatos, inponunt poenitentiae modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas.* Huic vitio ut medela adferretur, multi alii sunt conditi canones in fin. seculi, et seq., quibus antiqua Ecclesiae disciplina fuit revocata. Vid. capitular. Caroli M. l. V. variis in capitulis, et in genere c. 136. et l. VII. cap. 379. et addit. III. c. 63. Vid. etiam *Excerptum* a Gregorio III. *editum ex Patrum dictis, canonumque sententiis*, tom. III. concil. Harduini. Ceterum quales fuerint poenae poenitentiales discere licet ex Gregorii II. Papae epist. II. ad Leonem Isaurum versus fin., ubi Ecclesiarum et Inperiorum discrimen hac parte exponit, *Pontifices*, inquit inter alia, *si peccaverit quis, et confessus fuerit, suspendii vel amputationis capitis loco, euangelium et crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque, tanquam in carcerem, in secretaria, sacrorumque vasorum aeraria, conjiciunt, in Ecclesiae diaconia et in Catechoria ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, et laudationem ori ejus indicunt* etc. Vid. etiam regula Chrodogangi Metensis Episcopi cap. XV., ubi de poenis Canonicorum agit.

§. CCLV. Cum vero, publica et canonica poenitentia prolapsa, magis magisque *privata* ex monasteriis irrepserat, et invaluerat, ea quoque retenta ac stabilita est in fin. seculi, et deinceps pluribus in Synodis. Exstat quoque in Analectis Mabillonii libellus Pirminii Abbatis, quo, inter alia, praecipitur confessio apud sacerdotem ante eucharistiae usum, si quis capitale admiserit crimen. Sic et inter privatam, seu occultam, et publicam distinguitur, et utraque permittitur, prior, si occulta sint crimina, posterior, si in publicam venerint notitiam, in Capitular. Caroli l. V. c. 116. et concil. Cabillon. II. can. 25, 33. Obtinuit jam privata *flagellorum* castigatio pro poena, seu medicina poenitentiali

Vid. Baluzius ad Reginon., cap. 169., imo usus quoque *Interdicti Sacri*, nomine licet nondum noto, quo tota regio a sacrorum exercitio arcetur, qui sec. XII., deinceps est a Papis adprobatus, ac frequenter adhibitus. Vid. Boehmer. jur. Eccles. l. V. tit. 39. Sed alius adhuc abusus introductus est, quo non tantum peccata actualia omnia, sed et cogitationes peccaminosas in gravioribus delictis confiteri debebant, ut habet canon 32. Cabillones. II. et capitul. Caroli addit. III. c. 55. *sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciant* etc. ubi mox additur, *cogitatione aeque* ac opere commissa peccata esse exponenda. Qua de re exstat luculentus Theodulfi locus in capitular. cap. 31., ubi inter alia dicit, *debere confitenti persuaderi, ut et de perversis cogitationibus faciat confessionem*, praeterea, ut eam de *octo* principalibus vitiis faciat, scilicet *gastrimargia*, *fornicatione*, *accidia* seu *tristitia*, *avaritia*, *vana gloria*, *invidia*, *ira*, *superbia*, vult quoque, ut sacerdos de *unoquoque vitio* interroget. Exponit quoque Theodulf. ibid. c. 30. confessionis scopum et fructum, scilicet, *quia accepto ab iis salutari consilio, saluberrimis poenitentiae observationibus, sive mutuis orationibus, peccatorum maculas diluimus.* Confessionis istius necessitatem et utilitatem multis adstruere conatus est Alcuinus epist. 26., apud Canisium Antiq. Lect. t. II. p. 415., sicut et in sequentibus ad *pueros S. Martini.* Nec mirum est, Veteres ad auricularem ejusmodi confessionem esse delapsos, cum ad peccata expianda censuerint quaedam poenitentiae opera esse necessaria, circa quae consilio indigebant sacerdotum. Confessio itaque privata, 1. nec absolute necessaria ad salutem fuit judicata, nec etiam lege aliqua sancita, aut communi consensu recepta. Cabilonense I. concilium can. 8vo *utilem* tantum declarat, Rabanus Instit. Cler. l. I. c. 30. *spontaneam* adpellat. Concilium Cabillon. II. sec. IX. can. 33. habet, *quosdam censere Deo solummodo confitenda peccata, quosdam etiam sacerdoti; utrumque non sine*

magno

magno fructu intra sanctam Ecclesiam fieri. Sic Gregorius quoque III. in *excerpto* in tomis conciliorum cap. 30. dicit, *confessionem suam unicuique soli Deo, si necesse est, licet facere.* 2. Nondum fiebat ad absolutionem a sacerdote impetrandam, sed, ut *poenitentibus a sacerdotibus, facta confessione, indicetur poenitentia,* ut canon cit. Cabillon. I. fert. Sic et can. 33. Cabillon. II. tradit, *confessio, quae Deo fit, purgat peccata, ea vero, quae sacerdoti fit, docet, qualiter ipsa purgentur peccata, Deus namque, salutis et sanitatis auctor et largitor, plerumque hanc praebet suae potentiae invisibili administratione, plerumque mediorum operatione.* Vid. etiam Theodulfus, loco modo citato. Silvinus quoque Episcopus in Morinis, teste autore vitae ejus in actis Benedictin. Mabillon. sec. III. p. I. *confessiones confluentium populorum suscipiens dabat consilia, quo modo salvi esse possent* etc. Alcuinus tamen necessitatem confessionis, et facultatem absolutionis in sacerdote, statuit, ep. 71. ed. Chesnianae, ad Fratres et Patres in Provincia Gothorum. Quod idem de confessione in exitu vitae adserit Jonas Aurelian. de *Institut. Cleric.* l. I. In usu etiam ab hoc seculo esse coeperunt *confessarii proprii,* dicti Patres confessionum, conscii secretorum, et confessores: ut ex variis exemplis constat. Ceterum fieri solebat confessio in praecipuis festis, et ante Quadragesimam, ante confirmationem, et peregrinationes, ante professionem Monasticam, ante pugnam, et in extremis Vid. Mabillon. praef. ad sec. III. Benedict. §. VI.

SYNODI.

§. CCLVI. Modus, quo canones hoc tempore in Regno Francorum conditi sunt in Synodis, vel conventibus, et res aeque politicae ac Ecclesiasticae tractatae sunt, omnem ante omnia meretur animadversionem. Obtinuit a Pippini regis tempore, ut duo quotannis habiti fuerint in Gallia *conventus,* in quibus generalitas majorum, tam Clericorum

quam Laicorum, conveniebat. Unus erat *generalis*, qui ex Episcopis, Abbatibus, et Comitibus regni constabat, in quo de rebus Ecclesiasticis et Politicis statuta condebantur: alter *particularis*, ex antiquioribus Episcopis et Comitibus, in quo secreto digerebantur proponenda in generali conventu, et ordinabantur negotia, quae per annum incidebant, nec differri poterant. Ceterum Clerici et Laici distincta habebant loca, et priores ut plurimum spiritualia tractabant, sed mixta, ut quae ad disciplinam Ecclesiasticam spectabant, junctim. Sed in unum etiam aliquando locum conveniebant. Rex vero conventui capitula proponebat, de quibus deliberari vellet, et decisio eorum a regis consensu dependebat. Unde elucescit, mixtos jam fuisse politicos et ecclesiasticos conventus, nec non penes Regem fuisse supremam in ecclesiasticis ac politicis potestatem. Vid. P. Marca concord. Sacerd. et Imper. l. VI. c. 23. et Baluzius praefat. ad Capitularia Francorum.

§. CCLVII. Cum de Synodis, quae oecumenicae sunt habitae, CPolitana et Nicaena, supra egerim, de Francofordiense, aliisque, etiam in causa Adoptianorum, aliorumque haereticorum, postea suo loco agendum sit, brevi defungar. In Hispania fere nulla fuerunt concilia, causa invasionum Saracenorum, excepto uno Toletano, sub Witiza Rege, et Gunderico Episcopo Toletano a. 701., sed cujus acta perierunt, quia Ecclesiasticae disciplinae contraria erant, vel coelibatui clericorum, et Papali dominio. In Gallia cum omnia sub ultimis Regibus essent depravata et perturbata, nulla Synodus per 80 annos fuit habita, secundum Bonifacium in epist. ad Zachariam, quae est 132. inter Bonifacianas, ubi etiam traditur, Ecclesiasticam religionem ibi per 60 vel 70 annos fuisse calcatam et dissipatam, forte rectius, nisi de Francia Orientali, ubi ultima Synodus *Nannetensis* habita est a. 660., intelligatur, de quo vid. Pagi ad a. 660. et 741., per 54 annos: celebrata enim est *Rotomagensi* a. 682. vel 689. ut Idem ad a. 682. observavit, et

hoc

hoc seculo *Germanica* a. 742., sub Carolomanno. Est autem illa hujus seculi prima, sed incerto loco, dein *Leptinensis* in dioecesi Cameracense a. 743., et *Germanica* II. a. 745., omnes sub Carolomanno, et in causa disciplinae instaurandae, nisi quod in postrema Clemens et Adalbertus ob haeresin sint damnati, Episcopus Moguntinus depositus, et ei suffectus Bonifacius cum Metropolitica dignitate, qui illis in Synodis vicem Papae gessit, decreta quoque ibi est subjectio Petro, et vicario ejus, utque ab illa sede Papalis *palia* quaerant Metropolitani; teste Bonifacio in epist. 10. ad Cudbertum, Dorovernensem Episcopum. Dein *Vermeciensis* in dioecesi Suessionense habita est a. 754., in qua canones matrimoniales conditi sunt, inter quos est, qui presbyteris interdicit conjugio, sub poena depositionis: Mox a. 756. *Vernensis* ad Sequanam sub Pippino Rege, in qua decretum est, ut bis quotannis haberentur conventus, et mores Clericorum ac Monachorum sunt emendati, et inter alia statutum, ut omnes Clerici aut in monasteriis degant, sub ordine regulari, aut sub Episcopi manu, et ordine Canonico, de quo supra dixi, opus quoque rurale prohibitum est die Dominico, absque tamen ut iter facere, cibos parare, aut similia opera fuerint vetita. Exstat etiam de ejus diei observantia constitutio Caroli M. in capitul. Aquisgranensi.

§. CCLVIII. Missis aliis, memorandum est concilium *Dingolvingense* in Bojoaria, a. 772., ut putatur, licet annus sit incertus, sub Duce Tassilone, praesentibus etiam Proceribus, ubi de rebus Ecclesiasticis non tantum, sed et Politicis, actum est. Ex canone autem 11mo patet, duellum, quod interposito pignore habebatur, dictum *Wehadine*, fuisse licitum. Constitutum etiam est, ut Episcopi et Abbates pro defuncto Episcopo in Ecclesia, et Abbate in coenobio, centum missas, et totidem psalteria canerent, pro presbytero et Monacho tantum triginta. Sub Carolo varii, praeter Francofurtensem, de quo postea, celebrati sunt con-

 gressus,

ventus, quorum aliquos tantum recensebo. In ducatu *Juliacense* a. 775. habitus est, in quo mentio fit *probationis crucis*, ita fieri solitae, ut duo homines conducti ad crucem steterint expansis manibus Missae tempore, et, qui prior lassus brachia dimittebat, partem suam declarabat victam. Quae *crucis examinatio*, ut id obiter observem, postea est vetita per Ludovici Pii capitulare I. cap. 27., quod habet, *sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere praesumat, ne Christi passio, quae est glorificatio, cujuslibet temeritate contemtui habeatur.* Vetitum etiam deinceps est a. 828., ut id addam, in Capitulari III. *examen aquae frigidae.* Dein a. 788. In conventu *Ingelhemensi* condemnatus est Tassilo, dux Bavariae, qui, a Carolo absolutus, monasticam elegit vitam, ut narrant Regino et Eginhardus: anno vero 792. *Reginoburgi*, seu Ratisbonae, damnatus est Felix Urgelitanus, et a. 799. *Aquisgrani* sunt constituti *Missi*, qui per totum mitterentur regnum ad justitiam faciendam: erant passim duo, Clericus et Laicus, quibus certa regio adsignabatur, inde dicta *missaticus et missaticum;* ordinati quoque sunt ordines Monachorum secundum regulam Benedicti.

§. CCLIX. In *Italia* variae sunt celebratae Synodi, maximam partem in causa imaginum, Clementis et Adalberti, electionum Paparum, disciplinae clericalis etc., de quibus suis locis agitur. Hic memoranda est *Forojuliensis* in ditione Veneta, in urbe dicta *Forum Julii*, ubi hoc tempore Aquilejensium Patriarcharum sedes erat, celebrata a Paulino a. 796., ut probat Pagi ad a. 791. In qua damnatae sunt haereses circa Incarnationem Christi, et 14 sanciti canones contra grassantia Clericorum vitia, et alios abusus. Sed, quod singulare est, strictissima et Judaica injuncta est diei dominicae observantia, per abstinentiam ab omni qualicunque opere, etiam a commercio conjugali, et per religiosa exercitia, ab ipso noctis initio per totum diem. In *Britannia* etiam variae, sed paucae alicujus momenti, habitae

sunt.

sunt. Praecipua est *Cloveshoviae* in Cantio, sic dictae a clivo edito, cui urbs insidet. Coacta est ab Ethelbaldo, Merciorum rege, ad petitionem Cudberti, Dorovernensis Episcopi, incitante Bonifacio Moguntino, litteris ad regem et Episcopum missis, in quibus nihil magis pensi habet, quam Clericorum reprehendere conjugia, et subjectionem sedi Romanae urgere. Recitatae autem ante omnia sunt Litterae Zachariae Papae, quibus disciplinae instaurationem, et morum emendationem, imperat pro autoritate Apostolica. Sanciti sunt eo fini 30 canones, quorum *septimus* scholas jubet erigi in Ecclesiis Cathedralibus, et monasteriis, in quibus sacrae lectionis et scripturae studio exercerentur Clerici et Religiosi. Alius praecipit canon, ut symbolum, orationem Dominicam, ritus sacramentorum, plebi exponant lingua vernacula. Sed omnia ad Ecclesiae Romanae consuetudinem adcommodentur. Commendatur autem eleemosyna, ut peccata citius remittantur, sed vetatur, per eam minui, aut mutari, *satisfactionem per jejunium, et reliqua expiationis opera, a sacerdote* pro criminibus *jure canonico indictam.* Praeter has Synodos fuerunt multae aliae particulares, ab Episcopis in dioecesibus suis celebrari solitae, fere quotannis, quae, ut obiter illud observem, proprie erant *conventus*, sive quos Episcopus in civitate sua agebat, ad quos presbyteri ex rusticanis paroeciis, pro inquisitione ministerii sui, veniebant: sive quos tenebant Episcopi, vel eorum ministri in unaquaque Ecclesia, tempore solennis visitationis Ecclesiarum, (de quo more visitandi Ecclesias nonnulla recte observavit Baluzius ad Reginonem p. 530.,) in quibus rationem ministerii sui reddebant Presbyteri, et causae Synodales cujusque paroeciae judicabantur.

VITA ET MORES.

§. CCLX. Suppeditat nostrum seculum varia, ad vitam *monasticam* pertinentia, quae strictim exhibebo. 1. Praeterquam

terquam quod celeberrimum illud Casinense monasterium, a Longobardis a. 580. vastatum, hoc sec., circa medium, post annos 140. fuerit a Petronico, cive Brixiense, ex Abbate dein Casinense sexto a Benedicto, a Gregorio II. Papa misso, et adjuto, resuscitatum, de quo vid. *Elogium historicum* in act. Benedictin. sec. III. p. I. plurima sunt condita nova monasteria, praecipue per Galliam et Germaniam, quorum satis prolixum catalogum contexuit Hospinianus de Monach. l. IV. c. 27., studio in primis Pirminii Abbatis, et Bonifacii, Germanorum Apostoli. *Pirminius* fuit Episcopus regionarius, seu Chorepiscopus, et primus Abbas Augiensis, cujus exstat libellus *paraenicus* in Analectis Mabillonii, unde multa ad disciplinam spectantia peti possunt, mortuus est a. 759. Vita ejus exstat in Actis Benedict. Mabillon. sec. III. p. III. De Bonifacio postea. Eminent autem inter monasteria, hoc seculo erecta, *Augiense* in Rheni insula infra Constantiam, vulgo *Richenau*, dives Augia, quasi *opulentum pratum*, Germanicum enim *au* pratum dicit, fundatum est a. 724. a Pirminio, subsidiis Caroli Martelli; fuitque praeclarissimum et nobilissimum, in quod non nisi Principum, Comitum, aut Baronum filii recipiebantur; sed quibus bene instructis licebat inde exire: nomen a summis accepit divitiis. Seriem autem Abbatum Augiensium repetere licet ex carmine Walafridi Strabi de *visionibus Wettini*, in Antiq. Lection. Canisii tom. II. p. II. *Fuldense* conditum est a Bonifacio, permissu et subsidiis Carolomanni in Buchoniae pago ad amnem Fuldam ann. 744., ut probat Pagi, et primus ejus Abbas fuit *Sturmius*, nobilis Bavarus, Monachos ibi *constituens*, ut inquit Bonifacius ep. 141. ad *Zachariam* Papam, *sub regula Sancti* Patris *Benedicti viventes, viros strictae obedientiae, absque carne et vino, absque sicera et cerevisia, proprio manuum suarum labore contentos.* Duplice in primis nomine celeberrimum est monasterium; *altero*, quod varii ex eo prodierint viri egregii, qui et ordinem *Benedicti*, et [illegible] Germa-

Germaniam, illustrarunt. Vid. Mabillon. in *observat praeviis* ad vitam Sturmii sec. III. Benedictino p. II. Erexit enim Sturmius ibi scholam, in gratiam juventutis, in qua Alcuinus aliquandiu docuit, et ex qua in lucem exierunt Aimo, Freculfus, Rabanus, Walfr. Strabus, aliique plures, etiam Episcopi facti. *Altero*, quod eximiis gaudeat privilegiis, inter quae est, quod, ab omnium Episcoporum jurisdictione liberum, a solo Romano Pontifice dependeat, secundum Papae Zachariae decretum, in Litteris ad Bonifacium, quodque Abbas Fuldensis sit omnium Abbatum Germaniae Primas, et spiritualem in subditos habeat jurisdictionem. Vid. Browerus in *Antiquitatibus Fuldensibus*.

§. CCLXI. 2. Per omnia Occidentis monasteria obtinuit fere Regula Benedicti, ut ex variis Synodis, et capitularium canonibus liquet, ex gr. Synod. German. a. 743., Leptinens., Aquisgranens. c. 73., et alibi saepe. Imo jam ante primas tenuit haec regula, nec hoc seculo demum ubique invecta, sed tantum restituta est. Vid. Mabillon. in praef. ad *acta* Benedictin. sec. IV. p. I., nec non ad sec. I. Benedictin. §. VI. etc., ut et Dacherius in not. ad Epistolam 32. Lanfranci. 3. Licet ut plurimum Episcopis aliquatenus fuerint subjecta monasteria, tanquam supremis inspectoribus, haud exigua tamen peculiari privilegio ab illa jurisdictione jam fuerunt inmunia. Quae exemtio semper totalis tamen non fuit, sed saepe partialis, circa bona monasterii, nec a Papa pro plena potestate data, verum consensu Principum et Episcoporum. Sic Fuldense, ut modo dixi, fuit exemtum a Zacharia, sed consensu et confirmatione Pippini Regis, et Episcoporum ac Procerum; ut patet ex epist. Zachariae ad Bonifacium, apud Duchesnium in collectione Histor. Franc. t. II. Quale privilegium etiam Fulrado, Sandionysiano Abbati, concessum est a Stephano III. Papa, pro omnibus monasteriis ab Ipso in Francia fundatis et fundandis. Vid. tom. II. conciliorum Galliae Reliqua, hac praerogativa orbata, vel Regibus, vel Epis-

copis erant subjecta, ita ut rationes redituum et expensorum iis debuerint, nec sine eorum consensu Abbates, vel Abbatissae, institui potuerint: unde distinctio est nata inter Regalia et Episcopalia monasteria. Vid. Synod. Vernens. can. 20. et capitul. Pippini a. 755. apud Baluzium. Caeterum, sine Regis permissu erigi non poterant, teste capit. *6to* Caroli M. a. 793., apud Baluz. p. 259. et 538. Habuerunt quoque Reges in statum Monasticum supremam potestatem, et Principibus nonnulla magis subjecta fuerunt quam Episcopis, Regibus scilicet in secularibus et civilibus, Episcopis in spiritualibus rebus. Unde est, quod Reges dederint monasteriis Advocatos, seu Vice-dominos, qui rerum ad ea pertinentium curam gerebant, et jurisdictionem exercebant. Vid. Boehmer Jur. Eccles. l. III. tit. 35. et Mabillon. in praef. ad sec. III. Benedictin. ad finem, qui etiam sacramenti, quod antequam munus inirent, praestabant advocati, formulam recenset, simul advocatias esse sec. XIV. exstinctas observat, quia, qui monasteriorum defensores esse debebant, facti fuerant eorum depraedatores et direptores.

§. CCLXII. 4. Confluxus hominum ad monasteria, eorumque dignitas, ingens hoc seculo accepit incrementum, variis de causis, quarum praecipuas recensuisse non est abs re alienum, a. Reges jam, et excellentioris conditionis viri, vitam amplexi sunt monasticam, sive volentes, sive etiam subinde nolentes. Arnoldus, Aquitaniae Dux, post fratrem occisum, ut caedem illam expiaret, a. 745. monachus factus est. Carolomannus, filius Martelli, et Pippini frater, regno Pippino commisso, idem fecit a. 707, testibus Annalibus Francicis, et Anastasio. Vid. elogium ejus in act. Benedictin. Mabillon. sec. III. p. II. Rachus, Longobardorum Rex, cum uxore Thesia, et filia Ratruda, ille in monasterium Casinense sub regula Benedicti secessit, hae in puellarum, inde haud procul. a. 744. Quibus ipse Papa Zacharias autor fuit, quippe qui Regi, provinciam

Penta-

Pentapolitanam vastanti obviam cum nonnullis ex Clero ivit, eique non tantum, ut ab incepto desisteret, persuasit, sed et vitam susciperet monasticam. Vid., praeter Anastasium in Zacharia, Leo Ostiensis in Chronico Cassinens.; et Sigebertus in Chronico. Varii Brittannicae insulae Reges, sec. VII. et VIII., monasticam vitam amplexi sunt, ut Sigberitus, Anglorum Orient. Rex, Sebbi, ejusdem provinciae moderator, Eutwinus, Occidentalium Saxonum Princeps, Aethelredus Merciorum Rex, nec non Coenredus, ejus successor, Offa, Orientalium Saxonum, Ina Occidentalium, et Eadbertus Northanimbrorum., alii. Vid. *elogium* historicum Inae in Mabillonii Actis Benedictin, sec. III. p. I. Addatur Ceolwzfus, Northumbrorum Rex, post annos 9 regni, Monachus Lendisfarnensis factus; qui, quod notandum, effecit, ut Monachis licuerit *vinum* vel *cerevisiam bibere*. Vid. Id. ibid. p. II. in vita ejus. Secula sequentia plura praebent Regum, et Imperatorum, vitam monasticam amplexorum, exempla. Vid. Idem Mabillon. ibid. sec. IV. p. II. in adpendice p. 594. De Ina et Offa, Anglo-Saxonum Regibus, supra egi. Sed Chilpericus, ultimus Merovingorum Franciae Regum, regno privatus, et in monasterium detrusus est, cum 18 annos esset natus a. 752., probantibus Papis Zacharia et Stephano, *h.* Abbates et Monachi ad gravissima reip. et Ecclesiae negotia sunt adhibiti, et ex monasteriis saepe ad Episcopatum translati. Vid. Mabillon. praef. ad sec. III. Benedictin. §. III. Bonifacius, ejusque successor Lullus in sede Moguntina, ex Monachis fuerunt. Ratisponenses Episcopi alternis ex Canonicorum et Monachorum ordine vicibus sumebantur, teste Arnulpho in vita S. Emmerammi. Wilbrordus, Frisonum Apostolus, et primus Trajectensium Episcopus, fuit Monachus. Plures alios praetereo. Abbati Hyensis insulae in Anglia tota fuit cum Episcopis subjecta Provincia, ob reverentiam erga Columbanum. Beda hist. Angl. l. III. c. 4. Ceterum, quod notari meretur, qui ex Monachis Cleri-

... n...ebant ad vitam Mona-
... Aquisgranens. Car... M.
... servierunt quoque mona...
... instituebantur, et ad pre-
... Capitul. Aquisgran c. 72.
... *entium puerorum fiant*, P al-
... *nnuaicam per fingula monafteria*,
... De quo etiam encyclica extat Ca-
... ...es Epifcopos et Abbates, in capi-
... ...ol, et concil. Galliae tom. II. De
... fecundum ordinem Benedictin. vid.
... ...tam Lanfranci p. 35. *d.* Denique
... fama miraculorum per Sanctos in
... ..., quorum tanta fuit jactata copia, ut
... ...ucitare, imo prohibere, propter nimium
... ...lteria confluxum, indeque etiam ortam
... ...aris inter multos labefactionem et corrup-
... ...u, uti ex gr. fatetur Rodulfus, Abbas Trudo-
... *...onico* Trudon. lib. II., qui his verbis defcripti-
... ...ae vitae concludit. *Quanto longius ferebatur*
...regrinorum celebritas miraculorum Sancti Trudo-
...io et ...frorum reprehendebatur fecularitas ex levitate
... indifciplinationis etc. Miracula quoque
... monafteria, et vitam monafticam commen-
... ...ta cen...ta fuerunt, et in vulgus data. Vid.
... de *origine Monachatus* lib. IV. c. 26. Multum
... opinio de Intercellionibus Monachorum apud
... ...que magno valore, nec non de meritis ope-
... ...ntia etc. Quare ad peccata expianda exftruere
... ditare monafteria, etiam ad ea fe conferre.
... vulgata funt. Imo, ut id obiter obfervem, mo-
... ...am fuit comparata, et aequiparata facramento
... ut per eius profeffionem cenfita fuerint om-
... ..., ficut in baptifmo, et *fecundi baptifmi*
... ... De quo vid. Dacherius in *notis*
... ... Archiepifcopi pag. 20. §. CCLXIII.

§. CCLXIII. 5. Sed, quod *quintum* sit observatum, fuerunt et alii notabiles monasteriorum abusus. Inter quos *a*. est, quod carcerum habuerint conspectum, et poenae loco fuerint inviti in ea detrusi, ad agendam poenitentiam: Vid. exempla apud Schminck. ad Eginhard. vit. Car. M. c. 24. Quo etiam referri posset, quod infirmi, ut poenitentiam agant, susceperint habitum monasticum, quem nec convalescentes deponere poterant. Vid. Mabillon. in praef. ad sec. I. Benedictin. §. IX. *b*. quod liberi minorennes, et alii inviti, aut decepti, monasteriis fuerint mancipati, prohibito regressu. Quem morem ipse Gregorius M. ep. ad Augustinum monachum adprobavit, ut et Synodus Toletana IV. a. 631., sicut et hoc sec. Gregorius II. in epist. ad Bonifacium, inter Bonifacianas 126., scripta a. 726. Inter Cabillon. Synodi a. 813. canones reperitur satis notabilis, qui vetat monasticae vitae solutionem, si qui vel ab Abbatibus aut Monachis, *avaritia et turpi lucro inhiantibus, vanis promissionibus illecti, vel quibuslibet machinationibus persuasi*, vel *mentis inopes*, vitam professi fuerint monasticam. De Virginibus tamen statuit capitul. Aquisgran. sub Carolo M. cap. 46., eas ante annum aetatis 25. non esse velandas, nisi *rationabili necessitate cogente*. Vid. etiam can. 46. Francofordiensis. Denique *c*. vitia avaritiae, luxus, otii, superstitionis, et alia, occuparunt plurima monasteria: adeo ut, post Pippinum, Carolus M. omnem iis reformandis inpendere debuerit operam; ut ex Capitularibus, et Synodorum decretis satis constat. Ipsi Abbates cupidinae ducti, praemia requirere coeperunt, pro introeuntibus in monasteria, uti refertur, sed et damnatur, in Synodo Francoford. can. 16.

§. CCLXIV. Inceperunt praeterea hoc seculo *Virgines Canonicae*, secundum Chrodogangi institutum, instar canonicorum Clericorum, liberius viventes, unde canonicae, etiam canonissae, adpellatae sunt, quod secundum instituta agerent. Memorantur quidem in Novellis Justiniani

Canonicae, sed alio sensu: erant enim *ascetriae*, canoni ergasteriorum insertae, quae fidelium sepulturae operam navabant, et in exsequiis canebant, ex reditibus ergasteriorum viventes. Quo sensu Clerici tunc etiam dicti sunt *Canonici*, quod matriculae Ecclesiae inserti essent, et reditibus Ecclesiae fruerentur. Vid. Boehmer Jur. Eccles. l. III. tit. 31. Denique de *fraternitatibus*, seu confraternitatibus, alias sodalitatibus et fratriis, ex Clericis et Laicis initis, ad mutuas preces et missificationes pro vivis et mortuis, sine vitae monasticae instituto, quas Bonifacius jam introduxit, ut ex ejus epist. ad Optatum Abbatem patet, ad seculum seq. agam.

§. CCLXV. *Vitae* et *morum* Christianorum in genere respectu, de quo agendum restat, deploranda satis fuit Ecclesiae conditio, ut ex Capitularibus Francorum, Synodorum, in primis Cabillon. II. decretis, ex Beda, Epistolis Bonifacii, aliisque monumentis, satis constat. In specie notanda est forma *inquisitionis*, faciendae per Episcopos in suae dioeceseos paroeciis, quae 95 habet interrogata, apud Reginonem. Quibus in monumentis notantur superstitiones gentiles plurimae, quarum notabilis exstat indiculus ad calcem Liptinensis Synodi, in collectione Harduini tom. III., ignorantia, libido, luxus, avaritia, desidia, superbia, et dominium, in Clericis et Laicis. In Oriente per Saracenos, et controversias de Imaginibus, omnia erant turbata. Ecclesiae Orientalis statum ante bellum Imaginum floruisse, sed ab eo tempore fuisse misere laceratum, et depravatum, tradit autor vitae Theophanis, praemissae ejus *Chorographiae*. In Occidente Papae nihil magis urgebant ac agebant, quam Templa ornare, externosque ritus curare, terras acquirere, et defendere, suamque potestatem extendere. Quae ex superioribus satis constant. Viguerunt quoque peregrinationes ad loca sancta, ut Romam, Turonum, et alia, orationum causa, sed, quae plurimorum peccata tantum velabant, et licentiam peccandi augebant, dum se

ita

ita a peccatis purgari putaverunt. Quae reprehenduntur a Synodo Cabillon. II. a. 813. can. 45. Quo etiam pertinet, quod Bonifacius in ep. 105. ad Cudbertum Archiepiscopum suadeat, ut *Synodus prohibeat, et Principes vestri, mulieribus et velatis foeminis illud iter, et frequentiam, quam ad Romanam civitatem veniendo et redeundo faciunt, quia magna ex parte pereunt, paucis remanentibus integris.* Addit, *perpaucae sunt civitates in Longobardia, vel in Francia, aut Gallia, in qua non sit adultera, aut meretrix generis Anglorum.* Inceperunt quoque Episcopi militare, et exercitus ducere; quod primus fecit Anepos, ut habet Ado Viennensis, aetat. VI., quem secuti sunt alii, ut Bonifacius epist. ad Zachariam 132. conqueritur. Vid. etiam Epistola Paulini Aquilejensis fragmentum in Miscellan. Baluzii. Invaluit deinceps iste mos, antea per concilia et Doctores semper vetitus, ut pluribus docuit Zieglerus in tractatu de *Episcopo milite*, ne alios memorem, post tempora Caroli M., in primis Ottonum sec. X., ex quo bona temporalia, munificentia Regum, acceperunt Ecclesiae, et a Saracenis oppugnabantur, partim ut bona contra seculares, qui iis inhiabant, tuerentur, partim Ecclesias contra Saracenos defenderent. Majore etiam cum specie id fecerunt Episcopi, ex quo principes et Domini simul facti sunt, sec. X. et deinceps; bellum quippe tunc licite, ut videbatur, gerentes, non qua Episcopi, sed Domini seculares; quam duplicem gerebant personam. De quo post suo loco. Cum autem sanguinem fundere, et gladio uti, ipsis fuerit vetitum, pro gladio, insigni fraude, usi sunt *clava* in pugna. Vid. etiam Boehmer Jur. Eccles. l. III. tit. I. Exstat, ut unum alterumve testimonium, de corruptione seculi subjungam generale, acerba querela scriptoris cujusdam sub Carolo M. ad Bathuricum, Ratisponensem Episcopum, quam notis ad Reginonem inseruit Baluzius, qua in haec verba, inter alia, erumpit, *alii vero, quod pudet dicere, etiam Episcopi, tota die conviviis et poculis vacant, et pene usque in noctis medium, aut usque ad gallorum*

 cantum,

cantum, aut eo amplius, diversis student potionibus suae satisfacere voluptati, et dein officium persolvunt, mox dormiunt, donec tempus manducandi et bibendi redeat. etc. Vid. quoque Pirminius in libro supra citato, et Alcuinus in *confessione;* ubi inter alia acerbe exclamat: *o infelicia tempora nostra, quae nec Deum timent, nec vim sacrorum canonum reverentur! nullus modo sacrilegus, vel criminosus, ne ad sacri ordinis officium accedat, inhibetur:* rursus: *heu miser ego, qualia tempora mihi contigit videre.* Sic et in epist. VI. ad Carolum, *videmus aliquibus in locis altaria Dei absque tecto, avium stercoribus, vel canum mictu, foedata* etc. nec non carm. 271. ubi dicit, *simoniacam pestem in orbe pullulare, et dona Dei muneribus dari* etc. Theodulfus Aurelian. *carm.* l. VI. carmen XIV., quo indicia instantis finis mundi recenset, claudit his versibus.

Dulcia sic vetulum liquerant omnia mundum.
Nec manet ullus ei qui fuit ante vigor.
Dira cupido viget, sordes, perjuria, luxus.
Livor edax, falsum, jurgia, rixa, dolus.

Carmine etiam XVIII. ejusdem libri Ecclesiae virtutes magis primis Ecclesiae temporibus, quam his novissimis, floruisse demonstrat. Temporis etiam vitia, praecipue inter Monachos grassantia, recenset et deplorat autor vitae S. Baldonis Abbatis, S. Vincentii forte aequalis, qui S. Aupertus esse censetur, apud Ughellum Italia S. tom. VI., et inde in actis Benedictin. Mabillon. sec. III. p. I., ubi etiam, inter alia plura, scite dicit, *omni ex parte sanctum a nobis propositum violatur, et pene nihil nobis superest, nisi, quod sanctus Pater praedixit Benedictus, per tonsuram et habitum Deo mentiri. Videmur pene omnes,* ita pergit, *ad superbiam proni, ad contentionem, ad scandalum, ad detractionem, ad mendacium, ad maledicendum, ad accusationis laesionem, ad contumaciam, ad iram, ad amaritudinem, et despectionem, ad susurrationem,*

ad

ad murmurium, ad gulam, atque ad ornatum vestium sumus illecti etc. Autor etiam vitae Gregorii, Abbatis Trajectensis, in actis Benedictin. Mabillon. sec. III. p. II. testatur, pastores sui temporis esse *pigros et somnolentos in custodia gregis, in lucris vero carnalibus strenuos et pervigiles.* Eandem corruptionem pro hypothesi habet epistola, quae ficta fuit coelo delapsa Hierosolymis, a Christo scripta, apud Baluzium Capitul. t. II. p. 1396., quae de profanatione diei dominicae praecipue agit. Hincmarus Rhemens. epist. VI. ad Episcopos suae dioecesios de hoc nostro seculo testatur, tempore Caroli Martelli in Germanicis, Gallicis, et Belgicis provinciis *per intestina dissidia religionem Christianitatis fere fuisse abolitam.* De concubinariis illis in regionibus Clericis etiam testatur Bonifacius ep. 132. ad Zachariam Papam. Cujus etiam notabile dictum, referente Walafrido Strabo rer. Eccles. cap. 24. fuit, *quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Denique, ne plura congeram, Hadrianus Papa epist. XV. ad Tilpinum, Archiep. Rhemensem, dicit, eo tempore *Clericos et sacerdotes, et monachos, et sanctimoniales, sine lege Ecclesiastica pro voluntate et licentia vixisse.*

PARTES ACCIDENTALES.

HAERESES.

§. CCLXVI. Quaestio, quae inter Nestorianos et Catholicos olim fuit agitata, alio nunc sub schemate et nomine renovata est inter Elipandum et Felicem, ab una parte, et Catholicos ab altera, unde, postquam opinio Felicis a Synodis damnata est, haeresis *Feliciana* et *Adoptianorum* nata est. Elipandus, a quo quaestio primum mota est in Hispania, Episcopus Toletanus, et totius Hispaniae Primas fuit, vir eruditione et fidei studio, etiam inmoderato, celebris in Ecclesia, teste Alcuini epistola; cujus sui zeli specimen dedit

in Megetio et Megatianis, qui quartadecimani erant, pascha XIV. luna celebrantes cum Judaeis, tanquam haereticis damnandis et tractandis, ficut violentioris indolis in epistola, atrae bilis plenissima, ad Alcuinum, inter Alcuini opera, ubi etiam alia occurrit ad Felicem, cum is errori renunciasset. Alia ejus non supersunt scripta, praeter epistolam in libro Etherii et Beati, in Antiq. Lect. Canisii t. II. Consuluit autem Elipandus per litteras Felicem, Urgellae, in Pirenaei montis jugo, episcopum, sitne *Christus, secundum quod homo est, proprius an adoptivus Dei Filius dicendus?* ut tradit Eginhardus in Annal. Ad quod quaesitum quid moverit Elipandum, non constat. Doctrinam de adoptione Christi fuisse a Bonosianis illatam in Hispaniam, ibique clandestinis consiliis conservatam, et a Felice emendatam, quod non nemo conjicit, nullo fundamento adferitur, nec cum Bonosianis, qui divinitatem Christi negarunt, et eo respectu Christum dixerunt filium adoptivum, aliquid commune habent Feliciani. Preces forte formulariae, ab Hildefonso compositae, et Ecclesiis Hispaniae in usu, in quibus Christus, qua homo, titulo filii adoptivi insignitur, ansam praebuerunt: utique ad eas provocavit Elipandus, teste epistola Synodi Francoford. ad Episcopos Hispaniae, in tomis Conciliorum. Quicquid sit, Felix non tantum adprobavit phrasin, sed et scripto ad Elipandum libro ex Script. S. et Patribus demonstrare conatus est, ut Eginhardus in Annal. refert. Ceterum *Felix* iste fuit per vitam suam religiosam, et sanctitatem, celeberrimus, ut agnoscit Alcuinus in epist. ad Elipandum, et Agobardus loco mox citando: nomen quoque per flagrans fidei studium contra Saracenos nactus est, adeo ut Carolus ejus libros diligenter perquisiverit, quibus fidem contra Saracenos defenderat. Nec tamen aliquid de ejus scriptis superest, praeter fragmenta, hic illic apud adversarios, et haeresios Felicianae oppugnatores.

§. CCLXVII. Historiam antequam persequar, horum Praesulum

falum opiniones paulo distinctius in lucem proferam, ut melius constet, quid de haeresi, sic dicta, Adoptiana judicandum sit, quae tot dedit motus in Hispania et Gallia, nec passim recte intelligitur. Nulla fuit de Christi divina natura, quam orthodoxe tenuerunt Adoptiani, sed tantum de *humana*, quaestio, sitne scilicet ejus respectu Christus proprius, an *adoptivus*, et ex gratia Dei, dicendus Filius? Sed illud duplicem admittit intellectum, *unum*, quo duae statuuntur in Christo *personae*, moraliter tantum unitae, quarum alia est divina, alia humana, et a Deo ex gratia *adoptata*; *alterum*, quo una eademque persona, ex duabus diversis naturis composita, diversa quoque earum respectu habet nomina, diversas relationes, ita ut divinae habita ratione, sit Filius Dei *proprius*, humanae vero sit proprie filius hominis, et gratia Dei in Filium Dei *adoptatus*. Quod prius foret Nestorianum, ut vulgo intelligi solet Nestorianismus, sed posterius, etsi per consequentiam eo trahi, aut torqueri, possit, pro Nestoriano directe haberi nequit, quia unitas servatur personalis, et naturarum respectu diversa nomina uni personae aptantur. Hinc originem repetit controversia, sitne haeresis haec Feliciana purus putus Nestorianismus, nec ne? Prius communiter statuitur, et a Natali Alexandro, ac ab aliis, defenditur, sed posterius tuetur Vasquezius in disputat. LXXXIX. c. 7., ad tertiam partem *Summae* Tomae; et mihi quoque ob has rationes videtur verius.

§. CCLXVIII. 1. Sententia Elipandi duplice tantum nomine a Synodo Francoford., et Papa Hadriano, repudiatur, altero, quod nova sit, et in Ecclesia inaudita, altero, quod ducat ad Nestorianismum, seu, ut capi solebat Nestorianismus, ad divisionem personarum. Ex qua consequentia refutarunt quoque eam opinionem, demonstrantes, posita *unitate personae* in Christo, duplicem ei adscribi non posse filiationem. Ex quo, ni fallor, recte colligitur, nullam fuisse de unitate personali quaestionem, cum ex ea argumentati

sint contra Elipandum et Felicem, nec eam, nisi per excursum, demonstrarint, dum eam sartam tectam manere non posse, admissa Adoptianorum sententia, urserunt. 2. Epistola Elipandi ad Alcuinum, ut et ejus confessio, clare, ni fallor, evincit, *unam* eos in Christo tenuisse *personam*. *Licet ergo*, inquit Elipandus in epistola, *in uno Domino, vero Deo, et hominis filio, verbi et carnis una sit persona, quae inseparabiliter atque indivisa omnes habeat actiones, intelligendae tamen sunt ipsorum operum qualitates* etc., qualia ibi plura reperiuntur. Confessio autem ejus, non quidem ab ipso composita, sed ex ipsius verbis ab Etherio et Beato, ut ipsi testantur in libro contra Elipandum, concinnata, mentem ejus dilucide hanc in rem declarat. *Verbum Dei*, dicit, *Deitate exinanita, hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, servum, captivum* etc. *cujus gloriam*, ita pergit, *secundum divinitatem stupent coelestia, et magnitudinem contremiscunt terrena: et qui dicit, gloriam meam alteri non dabo; homo interior (inter nos*, forte, *vel inferior) in una eademque Dei et hominis persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus, quia non per illum, qui natus est de virgine, visibilia et invisibilia condidit, sed per illum, qui non est adoptione, sed genere, neque gratia, sed natura: et per istum, Dei simul et hominis filium adoptivum humanitate, et nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit.* Plura vid. apud Vasquez.

§. CCLXIX. Sententia itaque Elipandi et Felicis, ut eam per partes luci exponam, huc, ex mea opinione, redit. 1. unam esse in Christo personam, ex divinitate et humanitate compositam. 2. utriusque naturae proprietates de ea persona praedicari, adeoque eundem esse Filium Dei et hominis, Deum et hominem, ipsumque Filium hominis participare titulum Dei, et Filii Dei. 3. Sed diversam esse tituli Filii Dei originem, diversum fundamentum, respectu duplicis naturae: ita ut, divinae habita ratione, sit Filius Dei naturalis, humanae vero, per voluntatem Dei gratuitam,

[illegible], per quam in unitatem divinae personae est adsumtu. Sic diserte Felix in schedula, post ejus mortem reperta, apud Agobardum *contra eam:* divinitatis respectu natu[s] [et] genitus est a Patre, sed *quantum ad humanitatis substantiam eundem Filium suum, quia non ex se ipso genuit, sed de substantia matris virginis creavit, et nasci voluit, ob hoc voluntate, propter redemtionem nostram, non qualibet necessitate, ejus Filius creditur.* 4. Cujus duplicis originis, et fundamenti, respectu, duae naturae, per se consideratae, diversa ratione nomen *Filii Dei* gerunt; adeo ut divina sit dicenda *naturalis* Dei filius, et humana *adoptivus*, quia non natura, sed gratia, non ex Deo, sed ex Maria, est genitus, filius itaque Dei, quia a Deo gratuite et libere est adsumtus in unitatem Filii Dei naturalis, 5. Hanc porro naturae humanae adsumtionem videntur tantum in oculis habuisse, cum Christum hominem adpellarunt filium Dei *adoptivum*, et Deum nuncupatum. Filius scilicet Dei adoptivus est, quatenus per liberam et gratuitam adsumtionem factus est Filius Dei, sive in unitatem Filii Dei venit. Qua ratione idem Christus est filius naturalis, qua Deus, et adoptivus, qua homo, adeoque et per naturam, et per adsumtionem. 6. Praeter originem et fundamentum filiationis duplex, videntur duplicem naturam per se consideraſſe, et humanae naturae respectu Christum adpellaſſe filium adoptivum, Deum nuncupatum, et servum, quibus titulis usi sunt, eoque sensu in Christo statuiſſe filium naturalem et adoptivum, non acsi duas personas diversas intellexerint, sed quatenus duas naturas in concreto considerarunt, Deum et hominem, illum naturalem, hunc adoptivum, filium, et Deum nuncupatum, adpellantes. 7. Denique naturam humanam censendi sunt ita in concreto sumſiſſe, et ejusmodi ornaſſe titulis, ut divisionem, seu distinctionem, naturarum sine ulla confusione eo clarius exprimerent, et Eutychianis ac Monothelitis eo fortius resisterent. Quam ob causam Christo etiam adscripserunt ignorantiam, et quod

dicen-

diem ultimum ignoraverit, et locum sepulchri Lazari, et de Felice tradit Agobardus. Fuisse autem hunc eorum scopum, Eutychianismum exstirpare, diserte significat Alcuinus l. I. contra Felicem, ubi eos admonet, *ne, dum Eutychetis foveam declinare, et inpermixtionem duarum naturarum cavere, videantur, in Nestorii haeresin decidant.* Quod idem de Felice testatur Agobardus.

§. CCLXX. Hic licet, ut opinor, fuerit Adoptianorum mentis verus intellectus, Catholici tamen hujus temporis eam opinionem, tanquam recoctum Nestorianismum, saltem ad eum prope accedentem, consideraruat, Elipandum et Felicem, de filio naturali et adoptivo loquentes, intellexerunt, non de duabus in una persona naturis, et relationibus, quae genuina eorum erat sententia, sed de duabus personis distinctis. Praeterea, ut sibi eo magis a Nestorianismo caverent, Christum ne quidem admiserunt secundum humanitatem adpellari filium adoptivum, etsi secundum eam esset homo, sed unam contenderunt esse *filiationem*, quia una est persona, ad quam, et non ad naturam, adpellatio Filii pertinet. Adeoque Filium Dei *naturalem* dixerunt ex Maria natum, et post nativitatem ex ea esse et manere Filium Dei naturalem; nativitatem illam et passiones, licet humanae naturae proprias, denominandas esse censentes non a natura, sed a persona.

§. CCLXXI. Ex dictis itaque liquet, quaestionem fuisse maximam partem logomachiam, vel de diversa methodo eandem rem exprimendi, et utriusque partis patronos re ipsa parum a se invicem discrepasse. Quo oculo rem quoque contemplatus est Basnagius in diss. praemissa libro Etherii et Beati in Antiq. Lect. Canisii, La Croze in hist. Christianismi Aethiopiae et Armeniae l. IV. p. 347. Werenfels. de *logomachia* cap. 2., et ante omnes eos demonstravit Georgius Calixtus in peculiari differt., notante Werenfelsio, sed quam non vidi. Nec multum abit ipse Spanhemius in hist. Eccles. hujus sec., eos ab haeresi facile

le liberari posse dictitans, *si duas modo in uno Christo, uno Dei Filio, filiationes seu relationes agnovissent*: quod, ut modo disputavi, fecerunt. Medium, inter eos, qui Adoptianos cum Nestorianis et Arianis confuderunt, et qui pro Orthodoxis habent, tenet Cl. Walchius, qui historiam hanc nuper historice et dogmatice luculenter tractavit in *historia Adoptianorum*; qui liber, his dudum scriptis, ad manus meas demum pervenit. Felicianas hypotheses adcurate et moderate luci exposuit, et illud tantum carpsit, quod concretum humanae naturae per se consideraverint, et filium adoptivum dixerint servum ex Maria natum, ac per adoptionem transiisse ex statu servitutis in statum Filii Dei, tempore baptismi factam, quae *regeneratio* adpellari possit. Sed illud rectius de publica declaratione hominis, tanquam filii Dei, capitur ex eorum mente. Hisce non obstantibus, controversia fuit magnis animorum motibus hoc tempore agitata, nec sine mutua injuria, pro more zelotarum, et in Christianismi ignominiam et detrimentum. Elipandus contrariam opinionem traduxit tanquam Eutychianam, Orthodoxi rursus ejus sententiam tanquam Nestorianam consideraverunt, et refutarunt: sed praevaluerunt Catholici, non tam quod phrases Felicis et Elipandi essent novae et insolitae, quam quod Francorum regem et Papam habuerint patronos. In principio quidem diversas provincias sua opinione inbuerunt, uti Elipandus Asturiam et Gallaeciam, Felix Septimaniam, qui per Galliam et Germaniam disseminare eam conatus est: sed brevi sunt repressi per Synodos, et Catholicorum scripta.

§. CCLXXII. Inter eos, qui scriptis eos inpugnarunt, praecipui sunt Etherius, Uxamensis Episcopus, et Beatus presbyter, de quibus supra egi, Paulinus Aquilejensis, trium contra Felicem librorum autor, qui ad calcem operum Aquilini exstant, ipse quoque Alcuinus, qui primum in epistola ad Felicem, dein, cum is libello edito respondisset, septem libris eum refutavit, mox etiam ad Elipandum scripsit,

fcripfit, qui virulentis litteris refpondit, quibus Alcuinum indigniffime tractavit, tanquam *antiphrafi Beati foetidiffimum difcipulum, novum Arium, Patrum doctrinis contrarium, albinum nigredine teterrimum* etc., quam epiftolam duabus libellis refutavit Alcuinus: denique Agobardus, Epifcopus Lugdunenfis, fchedulam Felicis, poft ejus obitum repertam, refellit fub Ludovico Pio. De quo poftea. Sed, praeter media perfuaforia, adhibita funt autoritativa, et ad reprimendam haerefin efficaciora, libelli nimirum Synodici, et Synodorum decifiones. Ita inftituit Hadrianus in epift. ad Epifcopos Hifpaniae, in qua, fi in haerefi perfeverent, eos ex *autoritate fedis Apoftolicae, ac beati Petri, Apoftolorum Principis*, etc. anathemate ferit: ita quoque Paulinus, et alii Italiae epifcopi, in libello, dicto *facrofyllabus*, ubi idem pronunciatur anathema, fed, quod notandum, cum hac claufula, *refervato per omnia juris privilegio fummi Pontificis, Domini et Patris noftri Hadriani, primae fedis beatiffimi Papae.* Quae omnia fcripta recenfita ac adprobata funt in Synodo Francoford., et in fronte actorum ejus comparent una cum Synodica iftius concilii. Fuerunt autem inter Synodos praecipuae *Forojulienfis* a. 791., a Paulino habita, *Ratifponenfis* a. 793., ubi convictus Felix, et ad Hadrianum ductus, ejuravit haerefin. Vid. Alcuinus l. I., contra Elipandum, et Eginhard. in Annalibus. Celeberrima autem eft *Francofordienfis* a. 794., juffu Caroli M. indicta, accedente autoritate Papae, et fub aufpiciis Caroli habita; ut patet ex can. I., et epiftola Synodica ad Epifcopos Hifpaniae, et Caroli M. epift. ad Elipandum. Interfuerunt, praeter Legatos Papae, trecenti circiter Epifcopi ex Francia, Germania, Italia, et Britannia: in qua de caufa Imaginum etiam actum eft; ut fupra narravi. Denique Romana fub Leone III. a. 799., in qua Felix, in haerefin relapfus, profcriptus eft. Poftremo Aquifgranenfis eodem ann. 799., in qua Alcuinus, cum Felice difputans, eum denuo ad faniorem redegit mentem; feu magis Catholicam; edita quo-

que

que confessione fidei. Vid. Alcuinus l. I. contra Elipandum. Sed eum sub vitae finem ad haeresin rediisse traditur ex schedula, post ejus mortem inventa, teste Agobardo, qui contra eam conscripsit libellum. Felicem *ferunt*, inquit Ado Viennensis in Chronico, *in eodem ipso suo errore mortuum*. Quid Elipando contigerit *clam est*, inquit Mariana Hist. Hisp. l. VII. *ac credam potius sententiae Patrum obtemperasse, pravaque opinione deposita mutasse*, etc. Sed quo fundamento? quantum novi, nullo.

§. CCLXXIII. Sicut Galliam et Hispaniam controversiae cum Elipando et Felice turbarunt, ita Germaniam lacerarunt lites Bonifacii cum *adulteratis presbyteris, seu diaconibus, et fornicariis Clericis*, in primis *duobus haereticis pessimis et publicis, et blasphemis contra Deum et Catholicam fidem*; quorum alter erat Adelbertus Gallus, alter Clemens Scotus; qui de iis loquitur ipse Bonifacius in epist. ad Zachariam Papam, in sylloge Epistolarum Hibernicarum Usserii epist. XV. a. 745., quae est inter Bonifacianas Serrarii 135. Ubi Adelbertus depingitur, tanquam prodigiorum patrator, Episcoporum, qui se contra canones ordinaverant, conductor, quique respuebat consecrationes Ecclesiarum in honorem Apostolorum aut martyrum, nec non visitationes liminum Apostolorum, qui praeterea in proprio honore dedicavit Ecclesias, fecit cruciculas, et oratoriola in campis, et ad fontes, ac ubi visum fuerit: imo ungulas suas et capillos dedit ad honorificandum, et portandum, cum reliquiis Petri. Denique, cum populus, peccata confessurus, ad ipsum venit, dixisse fertur, *scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra: securi itaque et absoluti praeteritis* etc. Interea hic ipse Adelbertus, teste Bonifacio, a Germanis habebatur *pro sanctissimo Apostolo, patrono, oratore et virtutum factore*. Nec minora de Clemente narrat flagitia Bonifacius ibid., ex. gr. quod canones Ecclesiarum Christi abnegaverit, intellectus S. Patrum recusaverit, Synodalia jura spreverit, seu post duos filios in adulterio natos,

tos, gesserit Episcopum, Judaismum induxerit, statuendo, licere viduam fratris defuncti ducere uxorem; porro, Christum, cum ad inferos descendit, omnes credulos et incredulos inde liberasse, contenderit, et tandem multa alia horribilia de praedestinatione Dei, contraria fidei catholicae, adfirmaverit. Propter quae, et alia crimina, petiit Bonifacius, ut autoritate Papae reprimantur, in carcerem mittantur, nullusque cum ipsis loquatur, aut communionem habeat. Quae ejus petitio effectu quoque non caruit. Damnati enim hi viri sunt variis in Synodis, ut Suessionensi sub Childerico, jussu Pippini coacta a. 744., praeside Bonifacio, Germanica II. in Majoratu Carolomanni a 745., in qua, praeter eorum condemnationem, depositus est Gervilius, Episcopus Moguntinus, eique suffectus Bonifacius. Quo eodem anno celebrata est Romana a Zacharia Papa, in qua utriusque Synodi acta confirmata sunt. Sed Adelberto insuper ibi inputatur, quod ignotorum Angelorum nomina in precibus invocaverit, quarum formula ibi est recensita: *precor vos, et conjuro vos, et supplico me ad vos Angele, Uriel, Raguel, Tribuel, Michael, Inias, Tubuas, Sabaoch, Simiel.* Quae horum virorum accusationes cum unius Bonifacii, acerrimi eorum adversarii, et viri valde creduli ac superstitiosi, rituum Ecclesiae ac regiminis magni zelatoris, testimonio sint nixa, quam fidem mereantur nescio, nec defectu monumentorum definiri potest. Illud tantum constat, eos sese Bonifacio in multis opposuisse, variisque superstitionibus, etiam caelibatui Clericorum, contradixisse.

§. CCLXXIV. Eo etiam minorem fidem merentur, quod similem sortem et alii Bonifacii adversarii subierint, uti Samson presbyter, Virgilius Carinthiae Apostolus, uterque Scotus, et Sidonius presbyter, viri doctrina et pietate illustres. Quibuscum acris fuit Bonifacio contentio; unde eorum nata est accusatio apud Zachariam Papam; *Samsonis* puta, quod sine baptismo, per solam manuum inpositionem,

aliquem

aliquem fieri posse Christianum dixerit, forte quod rebaptizari noluerit, quos Bonifacius denuo tingendos esse urgebat. Utique inter hunc et illos controversia hac de re fuit de illis, qui a sacerdote tincti erant formula solenni, male Latine pronunciata, scilicet, *in nomine Patria*, *Filia*, *et Spiritua sancta*, ut constat ex epistola Zachariae ad Bonifacium, quae XVI. est in Sylloge Usserii, qua de re jam in superioribus quid monui. Virgilio vero imputatum est, quod *alium mundum*, *et alios homines sub terra*, statuerit, ob quem errorem Zacharias decrevit eum esse expellendum. Vid. Epistola Zachariae ad Bonifacium XVII. ibid., et inter Bonifacianas Serrarii 130. Accusationem inde esse natam, quod terram dixerit *globosam*, et dari *antipodas*, nonnulli conjiciunt, Velsero rer. Boiaacarum l. V. non abnuente. Vid. etiam Aventinus. Sed propterea non est a Papa damnatus, ut nonnulli recentiores putant, qui inde Papam inscitiae reum agendi ansam adripuerunt, verum quod Bonifacii falsae accusationi temere crediderit. Baronius vero pro falso rumore habet, quia eum cum Virgilio, Salitzburgiense episcopo, male confudit; ut Pagi demonstravit.

§. CCLXXV. Renovata quoque est *Monothelitarum* haeresis, sub Philippico Bardane, et exstitit hoc seculo Harmasius, insignis Monothelita Alexandrinus; de quo vid. le Quin ad J. Damascen. t. I. p. 528. *Manichaeismus* rursus in Syriae partibus censetur denuo in publicum prodiisse sub *Paulicianorum* nomine, Paulo et Johanne autoribus, contra quos dialogum scripsit J. Damascenus Oper. t. I. Sub *Aposchitiarum* nomine eos describi a Damasceno de haeres. censet quidem le Quin in not., sed depinguntur tantum tanquam Messaliani et Euchitae, quorum dedi notitiam ad sec. IV. Nec Pauliciani, de quorum doctrina, et institutis, praeterea persecutionibus, indeque orto bello inter eos et Graecos, legendi sunt Photius, et Petrus Siculus, a Radero editus, contra Manichaeos, addito Cedreno in *compend. hist.*, in Constante Inperatore, fuerunt per omnia Mani-

chaei; licet cum illis commune habuerint, praeter quod inter supremum Deum, et mundi creatorem, distinxerint. Ceterum Vet. Test. libros quoque repudiarunt, eos Nov. Test. adsumserunt, exceptis epistolis Petri. Sacramenta baptismi et eucharistiae non litteraliter cepere et observarunt, sed mystice intellexerunt. Praeterea Christi corpus esse coeleste, et per Mariam tanquam canalem transiisse, nec vere esse crucifixum, tenuerunt. De Maria minus superstitiose senserunt, nec crucem venerati sunt, regimen quoque Ecclesiasticum non adprobarunt, omnes credentes pro aequalibus habentes, nec alios ac doctores itineris se admittentes, qui *Synecdemi*, seu socii itineris ad coelum adpellati sunt. Hos homines cum Theodora, imaginum instauratione celebris, ut supra narravi, vel ad pietatem traducere, vel, si nollent, exstirpare instituisset, ingens in ejus missos instituta est persecutio, prorsus Antichristiana; alii enim in cruces acti sunt, alii gladio caesi, alii suppliciis crudelibus e medio sublati: ita ut ad centum millia usque, publicatis eorum bonis, hac ratione interfecti fuerint. Unde ingens et fatale bellum, a superstitibus susceptum, ortum est. Vid. Cedrenus, praeter alios.

§. CCLXXVI. Missa haeresi Iconomachorum, in Oriente demum post Synodum Nicaenam II. nata, cujus rei historiam supra prolixe narravi, de *Nestorianis* et *Eutychianis* quaedam restant monenda. In patriarchatu Nestorianorum Ananjesu successit *Salibazacha*, Latine *crux vicit*, Termensis a. 714., seditque annos 14, mortuus a. 728., de quo nil habeo memorabile. Eum excepit a. 731. *Rhetor*, studiis promovendis strenue incubuit, adeo ut 400 fuerint in schola, ab ipso fundata, discipuli. Sedit annos 11, ipsi successit *Aba*, vel Mar-Aba a. 742., per decem annos vir in libris Ecclesiasticis et dialectica doctus, secundum Bar-hebraeum. Cum autem pravos Seleuciensium mores ferre non posset, praesertim nonnulli Clerici manus in scholas et aedes Patriarchales injecissent, relicta Seleucia, secessit

coe

coenobium apud Caesaream; sed postea redire coactus est. Ceterum sub ipso regnum Caliphàrum in Palaestina desiit, et Abbasidarum coepit in Oriente, anno Arabum 129. Misso *Surino*, invasore sedis, per 56 dies, qui unus eorum fuit, qui Aristotelem e Graeca in Arabicam linguam transtulerunt, et deposito, sedem accepit *Jacobus* a. 754., et per annos 19 tenuit, sed quorum novem in carcere peregit, Ecclesiam persequente Calipha Bagdadense, occasionem dante Isa diacono, et medico Caliphae, Christiano, sed superbo, et bonis Ecclesiae inhiante. Vid. Amrus apud Asseman. Bibl. Or. tom. III. Successit *Ananjesus* II. a. 774., mortuus a. 778., in sedem evectus opera Isae medici. Sub hoc autem narratur in Sinarum regione erectum celebratissimum illud monumentum lapideum, Sinicis et Chaldaicis litteris exaratum, a. 781., in quo lex Christiana in regnum Sinarum narratur illata a Syris euangelii praeconibus, jam ab anno 636. Quod Syriacis verbis exhibet Asseman. Bibl. Or. t. II. p. 255. Ex quo patet, missos jam hoc seculo fuisse Episcopos, et Presbyteros, euangelii adnunciandi caussa in regiones Indiarum et Sinarum. Quod sub Timotheo, ejus successore, ulterius perfectum est, novis episcopis ad barbaros missis, ut ibid. ex Toma Maragensi observat Asseman. Monumentum illud esse genuinum contendit Asseman. ib. t. III. p. 117., et praeclare nuper vindicavit Cl. Hasencamp, in erudito tractatu de *authenticitate* Epistolarum Catholicarum controversarum, et Apocalypsi, a. Cl. Barkey belg. edito, qui partem monumenti, ad Christianismum spectantem, etiam in notis recensuit. Successit ipsi *Timotheus* a. 778., seditque annos 43, usque ad a. 820. Nactus autem est sedem, invitis duobus aemulis, quos Synodus una cum ipso proposuerat candidatos, ope Scholasticorum Seleuciae, pecunia et muneribus corruptorum: unde schisma fuit initio natum, nec sine turbis, incarcerationibus, et caedibus sedatum a Timotheo. Adjunxit quoque sedi suae Episcopos Persarum, qui Metropolitam habebant, Seleuciensi

non subjectum, edebantque carnes, et uxores ducebant. Quod utrumque sub Timotheo est abolitum, novo etiam iis praefecto Metropolita Simeone, cui jus consecrandi illarum regionum Episcopos dedit, Synodum quoque celebravit, in qua 98 canones de judiciis Ecclesiasticis sunt conditi. Ceterum, cum ad Rascidam Calipham delatum esset, Christianos *ossa* mortuorum adorare, ipse edictum quidem de Templis eorum destruendis promulgavit, sed et mox abrogavit, cum intellexisset, Christianos non quorumcunque hominum ossa, sed sanctorum tantum reliquias religiose honorare: ut ex Amramo refert Asseman. t. III. p. 161., qui etiam tradit, euangelium sub Timotheo magis esse propagatum per Indos et Sinas, Chacano Turcarum rege, aliisque regibus, cum plurimis ex populo, ad Christianismi professionem adductis.

§. CCLXXVII. Patriarcharum *Syrorum Jacobitarum* catalogum contexuit Asseman. Bibl. Or. tom. II. ex Barhebraeo, et in dissertatione subjuncta *Chronico Orientali*, unde praecipuos recensebo. Juliano successit *Elias* a. 709. per 14 annos, usque ad a. 723. Hic primus Antiochiae Ecclesiam fundavit, et sedem fixit, potestate a Valid, Arabum rege, accepta. Quod tamen haud diu duravit, Graecis, qui ibi plures erant, multumque valebant, ejectionem eorum apud Saracenos procurantibus. Ceterum primus fuit Elias, qui a Saracenorum Principe, tunc in Oriente primas tenentium, *diploma* accepit, *siglion* (sigillum) a Barhebraeo dictum, quo in Patriarchatu est confirmatus. Vid. Asseman. in dissert. de Monophysitis. Successit ipsi *Athanasius* III. a. 724., per annos 15, defunctus a. 740. Sub hoc, narrante Barhebraeo, Syro-Jacobitae sunt cum Armenis uniti, qui secum fuerant divisi quaestione de corpore Christi *corruptibili*, an *incorruptibili?* quod posterius statuebant Armeni. Qua quaestione ab utraque parte recte explicita et discussa, laudabili exemplo, tolerantia et concordia est introducta. Quod tamen sub antiquiore Athanasio II. a. 686. contigisse, obser-

vat ex serie Patriarcharum Armenorum Asseman. In ejus locum, fraude Athanasii, Episcopi Maipharaetae, suffectus est *Johannes* II., nulla re clarus, nisi ingente contentione cum suis Episcopis, tum hujus electionis causa, tum quod dioecesin Amidensem in duas diviserit, tum quod gratia Arabum regis, donis acquisita, elatus, Episcopos suos spreverit: sedit annos 15, mortuus a. 754. Ceterum, ipso sedente 1. plures Jacobitae sunt a Constantino Copronymo in Thraciam translati, teste Theophane: quod a Leone, ejus filio, etiam factum narrat Cedrenus. 2. Graeci Melchitae Patriarcham receperunt Antiochiae, Arabum rege permittente, quo 40 annos caruerant, ut refert Theophanes. Successores ejus Isaacus et Athanasius IV. brevi perierunt. *Isaacus* fuit jussu regis Arabum suffocatus, quia chemicae artis, quam ipsum callere putabat, inperitum deprehendit, luit tamen, ut putatur, meritas poenas Isaacus, quia Monachum peregrinum, hospitio exceptum, quod artem metallum in aurum convertendi ipsum recusabat docere, interfecerat, cum Monachum Edessae adhuc agebat. *Athanasius* IV. vero ab ipsis Christianis Haranitis, quia ipsis obtrudere volebat Antistitem, noctu est suffocatus. Successit *Georgius*, quem duo casus reddiderunt celebriorem: *unus* est, quod duo, ipso sedente, surrexerint Anti-patriarchae, Johannes Callinicensis, et David Darae Episcopus. Sed Johanne, quem Mesopatameni, seu Orientales, secuti sunt, a. 763. mortuo, in Georgium consenserunt. Sed, cum Episcopi aliqui, ab ipso exauctorati, et propterea in ipsum exacerbati, eum apud Arabum regem accusassent, ejus jussu in vincula conjectus est, eique suffectus *David* Darae, unde novum est ortum schisma. Postea quidem e carcere liberatus est a. 775., sed ea conditione, ut, quamdiu David viveret, a titulo Patriarchae abstineat. *Alter* est, quod celebris, ipso sedente, nata sit inter Syro-Jacobitas quaestio de his liturgiae verbis in fractione hostiae: *panem coelestem frangimus in nomine Patris, Filii, Spiritus S.*

quae alii orthodoxa, alii erronea, quin haeretica, habebant, acsi panem coelestem a verbo ac Filio Dei diversum significarent. De qua quaestione postea dicam: hic notasse suffecerit, Georgium eam indecisam reliquisse; obiit a. 729.

§. CCLXXVIII. Inter Jacobitarum *Alexandrinorum* Patriarchas, qui memorari merentur, hoc seculo primus est *Alexander*, qui ab a. 704. sedit ad a. 726., cum quod Agnoetas, Sinedalitas, Barsanciphianos, et Gajanitas plurimos ad communionem suam traduxerit, tum *multis conflictatus sit tribulationibus*, ut habet Chron. Orient., a Saracenis, et bis poena pecuniae mulctatus. Narratur quoque ibid., Praefectum AEgypti in monasterio imaginem Mariae, Dominum sinu amplexantis, vidisse, et in eam conspuisse, addita comminatione, *si otium nactus fuero delebo Christianos ab hoc monasterio*: quae tamen minae fuerunt irritae, ipseque, ut refertur, vindictam sensit divinam. Ceterum, ipso sedente, Melchitae Patriarcham quoque acceperunt a. 726., quo per annos 97 caruerant, secundum Eutychium: quod minus videtur exacte dictum, cum ad a. 650. habuerint. Intermedio autem tempore Jacobitae dominati sunt in Aegypto, quam universam, cum Nubia et Aethiopia, sua infecerunt secta, ubique ordinatis Episcopis. Sub hoc autem primo Patriarcha, qui fuit *Cosmas*, Melchitae, qui antea Monothelitae fuerant, ad fidem Catholicam redierunt, ut narrat Theophanes ad a. 742., a quo tempore hoc nomen Melchitarum, quod antea, *regium* sonans, fuit politicum, factum est Ecclesiasticum, et Catholicum signavit. Praeter Alexandrum attingendus est *Michael* Patriarcha Jacobitarum, a. 742., quia sub eo terribilis fuit terrae motus per totum Merovani Orientale regnum, quo una nocte ingens urbium, castellorum, jumentorum, et hominum numerus periit; ut Chron. Orient. refert.

PROPA-

PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. CCLXXIX. Plurimarum Germaniae nationum conversio ad Christianismum, quae feculo superiore exiguo cum successu inceperat, perfecta est hoc seculo, opera Monachorum, in primis Anglo-Saxonum, sed et potentia ac armis Francorum, in specie Caroli M., paucis hic illic relictis populis, qui se Christianismo opposuerunt, quales fuerunt Dani, qui in Angliam irruperunt a. 793., et aliqui Saxones, qui, duce Brunone, adflixerunt ob fidem Christianam Bructuarios, a. 708. Inter *Frisios et Batavos*, ut ab illis in enarrandis praecipuis conversionibus ordiar, seu gentes orae maritimae inter Albim et Rhenum, semina Christianae fidei et religionis spargere coepit, seculo praecedente, *Wilfridus*, Episcopus Eboracensis, qui ab Egfrido, rege Northumbriae, infestatus, quod ejus suasu uxor regis monachicam amplexa esset vitam, quodque nimiis adfflueret divitiis, et Episcopatu dejectus, venit in Frisiam a. 677., ibique per hyemem haesit, multosque ex Principibus et populo ad baptismum suscipiendum permovisse traditur; adeo ut fundamenta jecerit, quibus postea superaedificavit Wilbrordus. Vid. Eddius in vita Wilfridi: fata etiam ejus enarravit Beda Hist. V: 20. Ex recentioribus vid. Mabillon sec. III. Benedict. in observ. praeviis ad Fridegodum, vitae ejus enarratorem, circa medium sec. X.

§. CCLXXX. Majore cum successu in isto opere laboravit *Wilbrordus*, quippe Pippini munitus autoritate. Citerior enim Frisia, Radbodo a Pippino, Majore domus, erepta, in Francorum venit potestatem ab a. 689., et postea, Radbodo denuo victo, a. 695. plenissime est Francis adserta. Adpulit autem Wilbrordus, cum duodecim sociis, ex Hibernia in Frisiam, et, potestate euangelium adnunciandi a Pippino accepta, simul a Sergio Papa, quem eo fini adierat, licentia praedicandi petita ac inpetrata, una cum benedictione ejus, et reliquiis Apostolorum, teste Be-

da hist. V: 12., per aliquot annos in Frisia docuit; quando, denuo a Pippino missus Romam, ordinatus est Frisonum Archiepiscopus a. 696. Quo facto, Pippinus ei, ut tradit Beda, donavit locum cathedrae Episcopalis in castello, quod *Trajectum* vocatur. Fuit itaque primus sedis Trajectensis ad Rhenum et autor et episcopus, et ab eo tempore plurimas per eas regiones exstruxit Ecclesias, multaque monasteria. Vid. Bonifacius epist. XCVII. ad Stephanum Papam. Tentavit quidem in Frisia Radbodo subjecta fidem plantare, in ipsa quoque Dania, sed irrito effectu. Vitam ejus conscripsit Alcuinus, quae exstat apud Mabillon. sec. III. Benedictino p. I. Reperitur quoque homilia Alcuini in natalem Wilbrordi, nec non vita ejus ligato sermone scripta. in Antiq. Lection. Canisii tom. I., sed miraculis plena, et superstitiosa Wilbrordi veneratione. Quae vero Pseudo-Marcellinus habet, et ex eo Baronius, maximam partem fabulosa sunt. Ceterum praeconem ibi egit Wilbrordus per annos 50, teste Bonifacio epist. cit., mortuus itaque a. 739.

§. CCLXXXI. Ante Wilbrordum conatus quidem fuerat euangelium in Frisia spargere *Wlframnus* a. 684., sed exiguo cum successu, inde post quinque annos ejectus a. 689. Fuit primum Episcopus Senonensis, dein Fontanellensis Monachus, quando Frisiam adiit; et, post quinquennii moram expulsus, reliquum vitae tempus exegit in monasterio suo, mortuus a. 693. Vid. Pagi ad a. 700. Acta ejus scripto consignata sunt a Jona, monacho Fontanellense, sed varie interpolata, et fabulis adspersa. Prostant etiam in actis Benedictin. Mabillon. sec. III. p. I. Quibus forte etiam adnumeranda est historiola Radbodi, Frisiorum regis, ab Wlframno baptizandi, sed pedem ex fonte retrahentis, cum rogasset, ubi decessores sui, et nobiles Frisiorum essent, num in *coelo*, an *inferis?* et responsum ab Wlframno accepisset, in *inferno;* addito, se ibi cum suis malle esse, quam cum *exiguo pauperum numero in coelesti illo regno.* Narrat id

Jonas,

Jonas, et ex eo Sigebertus, ac alii. Sed fabulam redolet, nec eo usque unquam adductus est Radbodus, ut se baptizari voluerit.

§. CCLXXXII. Comites vero, et socii, Wilbrordi fuerunt Suitbertus et Adelbertus, verbo memorandi. *Zuitbertus*, ab alio ejus nominis, qui primus fuit Episcopus Werdae, ad Aleram fluvium, in Saxonia inferiore, probe distinguendus, ut recte advertit Pagi a. 695. Werdae ad Rhenum, vulgo *Keisers-wert*, monasterium condidit, et ibi sepultus est. Euangelium adnunciavit inter *Boructuarios*, seu Bructeros, ripam orientalem Rheni, prope Coloniam Agrippinam, usque ad fluvium Lippiam, incolentes, a. 693. Sed Boructuariis a. 695. a gente antiquorum Saxonum expugnatis, Zuitbertus cum suis, quos ibi converterat, dispersus est, et secessit Werdam, ubi mortuus est, a. 717. Plura de ipso vid. apud Mabillon. sec. III. Benedictin. p. I., in elogio ejus historico, ubi etiam Radbodi, Trajectensis Episcopi, sermo prostat de *Suidberto*. *Adelbertus* vero, Monachus Benedictinus, Wilbrordi Archidiaconus, in vicinam Kennemariam missus, *Egmundensem* fundavit Ecclesiam, celeberrimam dein Abbatiam, Vid. Chronicon Egmundanum ab A. Matthaeo editum.

§. CCLXXXIII. Quo tempore Wlframnus in Frisia versabatur, majore cum successu Euangelium in *Franconia*, seu Francia orientali, adnunciavit *Kilianus*, Scotus, seu Hibernus, qui cum aliquot ex Scotia, quo nomine tunc Hibernia venit, sociis, tetendit in Franciam Orientalem, ad urbem Herbipolensem, vulgo *Wirtzburg*, ad Moenum fluvium, a. 686., unde Romam profectus est, limina Apostolorum salutaturus, et praedicandi potestatem petiturus. Qua a Papa Conone inpetrata, reversus in Franconiam, convertit, et sacro lavacro tinxit, Ducem ejus Gozbertum, *cum omni populo sub potestate ejus*: nec tamen Episcopus fuit Wurtzburgensis, quod in vita ejus interpolata tantum narratur. Cum autem Duci suasisset, illicitas solvere nup-

tias cum uxore fratris ſui Geilana, quas in initio toleraverat Kilianus, incidit, ſoluto matrimonio, in Geilanae odium, quae ipſi procuravit necem a. 689., quare inter martyres referri meruit. Vita ejus a Caniſio eſt edita in Antiq. Lectionibus, ſed aucta ac interpolata, brevior vero et ſincerior a Mabillonio ſec. II. Benedict.: utraque proſtat in nova Caniſii editione t. III. p. II.

§. CCLXXXIV. In *Bavariam*, hoc tempore Bojoariam et Noricam dictam, venit a 649. *Emerammus*, ſub Duce ejus Theodone I., et non, ut vulgo, II., ut Chriſtianiſmum, quem jam inde a tempore Garibaldi Ducis profeſſi fuerant aliquatenus Bojoarii, inſtauraret, et ulterius promoveret. Fuit autem Garibaldus ille primus Bojoariae Dux, ducatu ibi inſtituto a. 556., et Chriſtianus. Vid. Pagi ad Baron. Emerammus autem, qui fuit Pictavienſis, et in aliqua civitate, incertum in qua, Aquitaniae ſecundae Epiſcopus, paganiſmum adhuc in partibus Pannoniae vigere edoctus, in Germaniam profectus, et Ratiſponam adpulſus, ibi aliquas quidem traxit moras, nec tamen ejus Epiſcopus fuit, quando a Theodone evocatus, ut in praefectura ſua adnunciaret euangelium, illud per *triennium* ibi praeſtitit, *per oppida, per vices, et fidelium domos, diſcurrens.* Sed brevi eſt, juſſu Lamberti, filii Ducis, occiſus, a. 652., nec ſine aliqua ipſius Theodonis, ut putatur, culpa. Ipſe utique, ut hanc caedem expiaret, quod notari meretur, coenobium conſtruxit, Apoſtolorum principi, et ipſi Emerammo, dicatum, ad ejus tumulum, Vita ejus eſt a variis conſcripta, ſed non ſine fabulis, et in Antiq. Lect. Caniſii extat.

§. CCLXXXV. Deinde, cum novas vires acquiſiviſſet Paganiſmus, Chriſtianiſmo collabanti ſuccurrit *Rudbertus*, qui ſub Theodone, non, ut vulgo, III., ſed II., in Bojoariam venit a. 696., cum Francorum Rex eſſet Childebertus III., quam epocham egregie demonſtravit Pagi ad dictum annum. Ipſe autem, teſte autore vitae ejus, *Ducem et multos alios iſtius gentis nobiles atque ignobiles viros ad veram Chriſti fidem*

fidem convertit, sacroque baptismate regeneravit, et in sancta corroboravit religione. Fuit praeterea primus Episcopus Juvaviensis, seu Salisburgensis, mortuus a. 715. Vita ejus etiam ibid. apud Canisium prostat, indeque sec. III. Benedictin. p. I. Mabillon. Post ipsum in eodem opere desudavit *Corbinianus*, Gallus, qui a. 715. Romam petiit, et Sacerdotali dignitate, licet invitus, ut fertur, est honoratus a Gregorio II. Papa. In Galliam redux continuis septem annis in secessu aliquo *eo advenientibus, et secum commorantibus, verbum Dei administravit*, ut Aribo in ejus vita loquitur. Quem hominum confluxum, indies crescentem, cum ferre non posset, Romam repetere decrevit, ut ab Episcopatu liberaretur. In itinere vero, cum in Noricum venisset, ibi aliquandiu est moratus, et euangelium magis promovit, ut idem tradit autor, qui ea de gente addit, *eam adhuc rudem fuisse, et nuper ad Christum conversam*, scilicet per Rudbertum. Dein, cum Romae fuisset, nec se ab Episcopatu abdicare potuisset, rediit in Bojoariam a. 722., et obiit a. 731., fuitque primus Episcopus Frisingensis. Vitam vero ejus scripsit Aribo, alias etiam dictus Cyrinus, quartus Frisingensis Episcopus, apud Mabillon. sec. III. Benedictin. p. I. Ceterum, ut illud dictis obiter subjungam, nationes, ultra Rhenum sitae, quae usque ad a. 671. Francorum Dominationi subjectae fuerunt, et Christianam religionem jam aliquae, et aliquatenus, profitebantur, ab eo tempore, quo ob bella civilia regnum illud coepit distrahi et collabi, a dominio Francorum desciverunt, seseque in libertatem singulae vindicarunt, simul Christianismus inter eas partim est collapsus, partim varie per haereses corruptus, ut multis demonstravit Pagi ad a. 674. Quare multi viri per Frisiam, Franconiam, et Bavariam Christianismum vel instaurare vel propagare adgressi sunt: uti narravi. De initiis vero Christianismi, ejusque propagatione a Clodovei tempore, legi meretur E. M. Eiringius in peculiari dissert., subjuncta vitae Ernesti Pii, Ducis Saxo-

 niae

niae, ab ipso concinnatae. Exstat etiam narratio conversionis Bajoriorum et Charentanorum ex antiquo codice in Catalogo *testium veritatis* lib. IX.

§. CCLXXXVI. Ultima denique manus harum, et aliarum gentium per Germaniam et Franciam conversioni inposita est a Bonifacio, Germanorum Apostolo eximie adpellari solito, sed autoritate et armis hanc rem promovente, et firmante, Carolo M. Quae historia adcuratius et latius est enarranda. *Bonifacius*, tunc Winfridus dictus, Monachus Anglo-Saxo, in Frisiam venit a. 716., cum per bellum inter Radbodum et Carolum, majorem domus, omnia ibi essent turbata, et idololatria per Radbodum novas indies acquireret vires, teste Willibaldo in ejus vita. Venit autem eas in oras, postquam sese *sub familiaritate et servitio Apostolicae sedis*, adnuente, quin jubente, Gregorio II., *voto* constrinxisset, ut epistola ejus 135. habet. Sed cum expertus probe praevideret, se frustra ibi laboraturum esse, rediit in Angliam, post sex mensium in Frisia moram. Dein de novo sese ad hoc opus adcingens primum adiit Romam, et a Gregorio II. praeco fidei, simul legatus sedis Apostolicae per Germaniam, creatus, et Germanorum Apostolus dictus est a. 718. Quando, Roma relicta, in Thuringiam venit, indeque, audita Radbodi morte, qui Christianos acerbe persecutus erat, teste Othlono in ejus vita, in Frisiam navigavit, et Christianismum, una cum Wilbrordo, propagavit. Cui operi cum triennium insumsisset, episcopali dignitate recusata, deseruit eam provinciam, et ad iter in Germaniam sese adcinxit. a. 722., ut refert Othlonus. Episcopatui Trajectensi autem, quem in eum conferre voluit jam senex Wilbrordus, renunciavit, quia a Papa ejus legatus per Germaniam erat designatus, adeoque nulli sedi adligandus. Accepit in itinere comitem *Gregorium*, tunc puerum, nepotem Addulae Abbatissae, et Dagoberti II. Austrasiorum regis filiae, quae puellarum monasterio, prope Treviros ad Mosellam, praeerat, postea illustrem Ultrajec-

tinum

tinum factum episcopum. Venit autem cum eo ad Hassos et Thuringos, teste Ludgero in vita Gregorii, qui etiam observat, Thuringiae tunc miserum fuisse statum, propter paganorum viciniam, incolarum paupertatem, et plebis inscitiam. Ubi cum euangelium magno successu adnunciaret a. 723., a Papa Gregorio, ea de re certiore facto, Romam evocatus, et Episcopus consecratus est, sed nulli sedi adfixus, ut Apostolicae dignitatis autoritate muniretur, cunctis fieret gratior, et potestate gauderet Episcopali, a quo tempore loco Winfridi, quod ejus erat nomen Anglo-Saxonicum, adpellatus est Bonifacius, et ubique Papae fuit adjutus autoritate ac familiaritate, simul a Papa Principibus et Ecclesiasticis viris commendatus. Exstat Papae epistola ad populum provinciae *Alt Saxonum*, seu Saxonum Veterum, qui sunt Germanici Saxones, Frisiis vicini. Quibus litteris ipse Carolus Martellus addidit alias, qui ipsum etiam humanissime excepit, et in universa cis et trans Rhenum Francia jussit esse sartum tectum. Quas litteras Baronius a. 724. recensuit.

§. CCLXXXVII Quibus munitus autoritatibus, in Hassia primum et Thuringia opus est adgressus, et *hanc*, partim a Christianismo deficientem, partim per pseudo-doctores, fornicatores, et adulteros, quales ipse scilicet eos habuit, infectam, reformavit a. 724., ibi usque ad mortem Gregorii II. versatus, variis etiam acceptis et scriptis litteris. Condidit quoque ibi monasterium Ordorefense, haud procul ab oppido Erfurt, in honorem S. Michaelis. Gregorio vero III. Papa facto, legatos mox Romam misit, per quos Papae subjectionem promisit, et gentium in Germania conversionem significavit, simul variis de rebus ipsum consuluit. Papa ipsius ad interrogata non tantum respondit, sed et Archiepiscopatus pallium ad ipsum misit a. 731. Exstat Papae epistola inter Bonifacianas 122*da*. Construxit etiam tunc Fritislariense in Hassia monasterium, cui post ipsum praefuit S. Wigbertus, qui primus fuit Abbas, a Bonifacio

ibi constitutus. Contulit dein sese a. 736. in Bojoariam, eamque et a paganismo, et ab haeretica pravitate purgavit, ejecto haeretico Erem-Wlfo, et *populo a perversa secta ejus idololatria abstracto*, ut loquitur Willibaldus in vita ejus. Venit deinde tertia vice Romam a. 738., et a Gregorio epistolas accepit ad Episcopos, Abbates, et Principes per Germaniam, quibus, inter alia, declaratur, potestatem Ipsi esse datam concilia convocandi, quando et ubi voluerit. Roma redux, et ab Odilone, Bojoariae Duce, evocatus, perrexit in Bojoariam a. 739., eamque in quatuor divisit dioeceses, Salisburgensem, Frisingensem, Ratisponensem (quae et Riginum ab amne ejus nominis vocatur) et Pataviensem; ut Willibaldus, et Othlonus narrant. Qua eadem ratione in Germanicis Francicae ditionis provinciis tres erexit Episcopatus, singulos in singulis a. 741., scilicet, 1. in Orientali Francia, seu Franconia, apud Wirtzburg ad Moenum, alias Herbipolin, cujus primus constitutus est Episcopus *Burchardus* Anglus. Cujus brevis vita, ab anonymo composita, reperitur in Antiq. Lect. Canisii tom. III., et inde in actis Benedictin. Mabillon. sec. III. p. I. Ubi etiam prolixior autore EgilWardo, qui sec. XI. vixisse videtur, quae ejus ad Bonifacium adventum, electionem in Episcop., et consecrationem a Zacharia Papa, nec non Kiliani, qui fidem illis in locis plantavit, translationem, miraculis comitantibus, enarrat, 2. in Hassia apud Buraburg, inter Fritslariam et Paderbornam; cujus primus fuit Episcopus Witta, alias Albuinus. 3. in Thuringia apud Erphesfurt, hodie Erfordiam, ad Geram fluvium, cujus primus Episcopus memoratur Adelarius, postea coronatus martyrio. Petiit mox Bonifacius Episcopatuum illorum confirmationem a Papa Zacharia, nec non Synodi in Carolomanni ditione celebrandae potestatem, ad disciplinam collapsam instaurandam. Quod utrumque, litteris datis, concessit Papa a. 742. additis decretis nonnullis in Synodo publicandis.

§. CCLXXXVIII. Quo eodem anno celebrata est in Ger-

mania Synodus, loco licet incerto, a Bonifacio, quae ejus prima est, cui et ipse praefuit, vicem Papae tenens. Concilium enim, quod ab ipso narratur tempore Gregorii III. coactum, fictum esse, demonstrat Pagi ad a. 740. et 742. Dein, anno sequente 743. Leptinis, quae domus regiae erant in hodierna dioecesi Cameracense sitae, Synodum, quae ordine secunda est, celebravit Leptinensem, in qua variis de rebus Ecclesiasticis ac Monasticis actum est, et duo sunt constituti Archiepiscopi; Abel Rhemensis, et Ardobertus Senonensis: pro quibus, ut et pro Grimone Rotomagense, jam ante instituto, pallia petiit et inpetravit Bonifacius a Zacharia Papa. Praeterea, sicut antea Bojoariae, ita nunc universae Galliae, praefectus est, tanquam Papae vicarius: teste epistola Zachariae ad Ipsum. Dein a. sequente 744. habitum est, jussu Pippini, Ducis et Principis Francorum, concilium Suessionense; in quo damnatus est Adelbertus haereticus, Archiepiscopi, modo memorati, Rhemensis et Senonensis, in possessionem dignitatis missi sunt, Episcopis quoque ipsis subjectis. Per bella enim civilia regimen cum disciplina erat in Francia pessundatum, Carolus quoque Martellus Ecclesiarum reditus, et administrationem, Laicis concesserat, aut Clericis, nulla professionis suae exteriori nota insignitis, quod in Ecclesia Rhemensi praecipue accidit. Ad quae emendanda variae sunt celebratae Synodi, et a. 743. In Synodo Leptinens. duo constituti erant Archiepiscopi, nec tamen reditus Ecclesiastici eripi potuerunt e manibus usurpatorum: quare hoc ann. 744. in Synodo Suessionense illud peractum est, et varii sunt electi Episcopi, qui sedes vacuas in Metropol. Rhemens. et Senonens. occuparent, et Metropolitis forent obnoxii. Bonifacium et huic praefuisse Synodo, licet ejus nulla fiat in actis mentio, ex litteris Zachariae ad Ipsum liquet. Fundavit denique et hoc anno Fuldense monasterium, de quo supra dixi.

§. CCLXXXIX. Crevit dein adhuc dignitas Bonifacii, ipseque

[illegible]

[illegible] quod [illegible]

[illegible] et [illegible],

[illegible] Antonius, postea [illegible]

[illegible] Luitprandum [illegible]

[illegible], nec non Synodi in Co[illegible]

[illegible] posthac, ad difficilior[illegible]

[illegible] utrumque, [illegible]

[illegible] nonnullis in Sy[illegible]

[illegible]XLVIII. Quo [illegible]

mania Synodus, loco licet incerto, a Bonifacio, quae ejus prima est, cui et ipse praefuit, vicem Papae tenens. Concilium enim, quod ab ipso narratur tempore Gregorii III. coactum, fictum esse, demonstrat Pagi ad a. 740. et 742. Dein, anno sequente 743. Leptinis, quae domus regiae erant in hodierna dioecesi Cameracense sitae, Synodum, quae ordine secunda est, celebravit Leptinensem, in qua variis de rebus Ecclesiasticis ac Monasticis actum est, et duo sunt constituti Archiepiscopi; Abel Rhemensis, et Ardobertus Senonensis: pro quibus, ut et pro Grimone Rotomagense, iam ante instituto, pallia petiit et inpetravit Bonifacius a Zacharia Papa. Praeterea, sicut antea Bojoariae, ita nunc universae Galliae, praefectus est, tanquam Papae vicarius: teste epistola Zachariae ad Ipsum. Dein a. sequente 744. habitum est, jussu Pippini, Ducis et Principis Francorum, Concilium Suessionense; in quo damnatus est Adelbertus haereticus, Archiepiscopi, modo memorati, Rhemensis et Senonensis, in possessionem dignitatis missi sunt, Episcopis quoque ipsis subjectis. Per bella enim civilia regimen cum disciplina erat in Francia pessundatum, Carolus quoque Martellus Ecclesiarum reditus, et administrationem, Laicis concesserat, aut Clericis, nulla professionis suae exteriori nota insignitis, quod in Ecclesia Rhemensi praecipue accidit. Ad quae emendanda variae sunt celebratae Synodi, et a. 743. In Synodo Leptinens. duo constituti erant Archiepiscopi, nec tamen reditus Ecclesiastici eripi potuerunt e manibus usurpatorum: quare hoc ann. 744. in Synodo Suessionense [illegible] peractum est, et varii sunt electi Episcopi, qui sed[illegible] Metropol. Rhemens. et Senonens. [illegible]ent, [illegible] obnoxii. Bonifacium [illegible] prae[illegible] nulla fiat in actis men- [illegible] liquet. Fundavit de- [illegible] h[illegible] [illegible]ium, de quo supra

CLX[illegible] [illegible]gnitas Bonifacii, ipseque

ipseque fixam accepit sedem, Archiepiscopus Moguntinus factus, in locum Gervilii depositi, in concilio Germanico II. a. 745., habito jussu Carolomanni, et consilio Bonifacii, ut inquit Othlonus, in quo Clemens et Adalbertus ob haeresin damnati sunt. Ceterum Moguntia, antea alteri Ecclesiae subjecta, evecta est hac ratione in Metropolin, autoritate Zachariae. Proposita quidem primum erat Colonia Agrippina, sed praelata dein est Moguntia, quam Papa in litteris, a. 748. datis, declaravit Metropolin; nacta tamen deinceps quoque Colonia est hoc seculo, incertum quo anno, Metropoliticam dignitatem. Vid. Pagi ad a. 745. Circa hoc tempus, utique post a. 744., ex Anglia ad se vocavit Bonifacius viros et feminas religiosas, ut sibi in opere Domini opem ferrent. Inter quos celebriores fuerunt Willibald et Wunnibald, Lioba et Walpurgis, fratres et sorores. Cogitavit enim per Germaniam constituere Monasteria, *ut ad fidem Catholicam populi non tam Ecclesiastica gratia, quam Monachorum et virginum congregationibus raperentur:* ut in vita ejus traditur. *Lioba*, etiam Liobgytha dicta, sanctimonialium in Germania antesignana et apostola habita, monasterium consecuta est in dioecesi hodierna Moguntinensi. Celeberrimi vero nominis fuit *Walpurgis*, praefecta monasterio Heidenheimii; ubi etiam illud Wunnibaldi, quod post ejus mortem aliquo tempore rexit Walpurgis, cujus ingens est veneratio per Germaniam, Galliam et Burgundiam, cuique varia Templa erecta sunt in Flandria. Vid. Acta sanct. Mens. Februar. Vita vero ejus, miraculosis narratiunculis referta, a Wolfhardo Hasinreitano conscripta, exstat in Antiq. Lect. Canisii t. II. p. III. *Wunnibaldus* vero cum fratre *Willibaldo* in Thuringiam venit a. 738., unde post aliquot annos sese in Bojoariam contulit, ubi multos, et injuste copulatos, et paganicis praestigiis pollutos, emendavit. Dein in Germaniam redux, primus factus est Abbas Heidenheimensis in dioecesi Willibaldi. Vita ejus, sed brevis, quoque exstat in Antiq. Lect. Canis. t. III.

Willibaldus

Willibaldus denique Eiſtetenſi Eccleſiae eſt a Bonifacio praefectus a. 742., et ibi condidit monaſterium. Itinerarium vero ejus, ab ejus ſorore Walpurgi, vel alia conſanguinea ſanctimoniali, conſcriptum, ibid. tom. II. reperitur, et quaedam praemiſſa ſunt de vita ejus, ſubjuncta quoque alia vita, femina etiam autore. Eſt autem itinerarium per Italiam, terram ſanctam, et Siciliam, ſed parum inde diſcitur, niſi, quod Eccleſiae in terra ſancta et Hieroſolymis recenſeantur, et ſuperſtitionis indicia ubique ſe offerant. Denique Bonifacii quoque diſcipulus, et Wunebaldi ac Willibaldi familiaris, fuit *Solus*, vel Sualus, Anglus et ipſe, presbyter et Abbas, ac conditor monaſterii Solenhoviani in dioeceſi Eiſtetenſi, cujus vitam deſcripſit Erminricus, Diaconus et Monachus; in Antiq. Lect. Caniſ. t. II. p. II., ubi traditur, ipſum *Solum* dictum ob ſtudium ſolitudinis, et vitae eremiticae. Inter miracula, quorum plena eſt haec vita, ridiculum occurrit de *aſinae et lupi* duello, quo vicit aſina.

§. CCXC. Ultimum tandem ab eo habitum eſt concilium Germanicum III., juſſu Carolomanni, ob quatuor Synodorum Oecumenicarum receptionem, quae in eo eſt facta a. 747. Quod itaque *quintum* eſt eorum, quibus praeſedit, teſte Willibaldo in ejus vita: quae fuerunt Germanicum I., Leptinenſe, Sueſſionenſe, Germanicum II. et hoc tertium. Anno ſequente 748. petiit quidem, ſenectutis et inbecillitatis ergo, dimiſſionem a ſede Moguntina, ſed Papa recuſavit. Metropoliticam tamen ſedem Moguntinam confirmavit, eique ſubjecit quinque civitates, Tungrin, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam, vel Spiram, et Trectas, vel Trajectum ad Rhenum; teſte epiſtola Zachariae apud *Baronium*, ad a. 751., quae a. 748. ſcripta eſt. Denique, quod ſaepe irrito tentavit conatu, a Pippino, jam Rege Franciae, inpetravit, cujus conſenſu diſcipulum ſuum *Lullum* elegit et ordinavit ſucceſſorem in ſede Moguntiacenſe a. 753. Quo facto Friſiam petiit a. 753., ut paga-

nismum repullulantem evelleret; quod iter anno seq. 754. resumsit, ut ex Eigile, in vita Sturmii, Abbatis Fuldensis, patet. Priore vice in Frisia versatus a. 753. Episcopus Ultrajectinus factus est; quae sedes, post Wilbrordum, a. 740. mortuum, hucusque vacaverat, ut vel ex Luidgero, Episcopo Monasteriense in vita Gregorii, successoris Bonifacii in illius Ecclesiae cura, patescit. Carolomannus quidem sedem Trajectensem commendaverat Bonifacio, ut novum Wilbrordo sufficeret episcopum, sed Frisonum ferocitas, et a Christianismo aversio, fecit, ut consultius duxerit Bonifacius neminem manifesto exponere periculo. Adsumsit mox in consortium curae Eobadum, qui eodem, quo ipse, tempore mortuus est. Habuit quidem in animo sedem Trajectensem in Archiepiscopatum erigere, cum Hildebertus, Episcopus Coloniensis, eam suae sedi vellet subjectam; sed subita mors executionem inhibuit. Postquam enim brevi tempore multa millia virorum, mulierum, parvulorum, baptizasset, ut Willibaldus et Othlonus tradunt, brevi a Frisiis paganis, seu latronibus, trucidatus est a. 755. prope Dockumam, quo die *novitios fidei, et recenter baptizatos*, confirmaret. Innuere quidem videtur Othlonus, illud ab ipsis *novitiis*, subito in hostes conversis, fuisse peractum, sed exponi potest, ut sensus sit, quod Pagi jam observavit, loco novitiorum, quos se reperturum sperabat, eum alios novos invenisse lictores.

§. CCXCI. Peregrinatus est per annos quadraginta, ab anno 716. facto initio: Legatum vero sedis Apostolicae, vel Episcopum, egit annos triginta sex, ab anno 719. Vita ejus est a Willibaldo conscripta, non Eistetensi illo, cujus supra memini, ut jam observavit Pagi, et Basnagius ad vitam illam in Antiq. Lect. Canisii, sed alio aliquo, qui tantum fuit presbyter, ipso teste in prologo, nec tamen ab ejus tempore longe remotus. Aliam, et prolixiorem, ejus vitam dedit Othlonus, post medium seculi XI., in Antiq. etiam Lect. Canisii. Supersunt etiam multae ejus, et ad ipsum,

ſum, Epiſtolae, a Serario cum notis editae, et in Bibl. Patrum recuſae. Exſtant vero de Bonifacio varia admodum hominum judicia. Sicut enim ſuo tempore acerrimos habuit adverſarios, Clementem, Adalbertum, Samſonem, Virgilium, alios, de quibus ſupra egi, qui ipſum, tanquam mendaciorum autorem, legis et pacis perturbatorem, corruptorem ac adulatorem, traduxerunt; ita nec hoc tempore, inprimis inter Proteſtantes, deſunt, qui eandem ipſi inurunt notam, quia ſedem Papalem ſumme extulit. Interea a Chriſtianis ſui temporis ſtrenuiſſimus habitus eſt Chriſtianiſmi propagator, ac pietate illuſtris: ſicut in ejus laudes quoque ex recentioribus prolixe ſeſe effudit Baronius, ne alios memorem. Illud mihi conſtare videtur, eum 1. Romanae Eccleſiae fuiſſe totum devotum, cui ſeſe ſolenni juramento obſtrinxit, ut ejus utilitatibus ſtuderet, et omnes in eas leges adigeret: cujus formula eſt apud Baronium ad a. 723. Conf. etiam epiſt. ejus 105*ta* ad Cudbertum Archiepiſcopum. 2. Vitae quoque Monaſticae ſtrenuiſſimum fuiſſe propagatorem per Germaniam, ut ex ſupra dictis patet. 3. Rituum Eccleſiaſticorum, canonum, et opinionum receptarum, acerrimum patronum, et vindicem, ad perſecutiones aliorum diſſentientium uſque: de quo ejus Epiſtolae, et acta, ſatis teſtantur. Superſtitioſam plane, et viſionalem, ejus quandam epiſtolam recenſuit Cl. Heuman in Parerg. Gottingens. tom. I. l. II. Interea haec cum multis aliis hujus temporis habuit communia, nec negandum eſt, eum in religione Chriſtiana per Germaniam propaganda, ac Chriſtianorum moribus reformandis, multum laboraſſe, multumque praeſtitiſſe, adeo ut hac parte eum laude fraudandum non eſſe exiſtimaverim.

§. CCXCII. Reſtat enarrem, quae Carolus M., pro Chriſtianiſmo diſſeminando, et firmando, per Saxoniam, Friſiam, aliaſque regiones, peregit; ſed, ut brevitati ſtudeam, ſtrictim et per annales. 1. Saxonum agros invadens a. 772., idolum eorum, *Irminſul* dictum, deſtruxit. Deſcribitur tan-

quam effigies Martis, toto copore armata, coli ſolita in monte Ersburg, quaſi dicas, ut putatur, *Marsburg*, ſicut *Irminſul*, quaſi *iedermans ſuil*, ſeu commune aſylum. Quo eodem tempore Saxonibus convertendis incubuerunt Albuinus et Sturmio, de quibus ſupra. 2. Saxones a. 776. rebellantes, ſed celeri Francorum adventu perterriti ſeſe tradiderunt, ac Chriſtianiſmi ſuſceptionem ſpoponderunt, multi quoque baptiſmate ſunt tincti, ut Annaliſta Loiſelianus refert. 3. Sequente etiam anno 777. longe majore multitudine fidem profeſſi ſunt, ſed vi et armis compulſi. 4. Duobus annis poſt, anno 779., iterum defecerunt, multosque Chriſtianos trucidarunt, ipſo Sturmio, Abbate Fuldenſe, aufugere coacto. 5. Quando anno ſequente 780. iterum ſeſe fidei Chriſtianae ſubjecerunt, et per Epiſcopos, Presbyteros, ac Abbates, in Saxonia a Carolo relictos, multi ſunt converſi, non tantum ex Saxonibus cis Albim, ſed et Sclavis trans eum fluvium, et ipſis Friſiis, qui Saxonibus erant vicini. Quam converſionem 6. multum promovit Villehadus Presbyter a. 781. Verum 7. iterum, autore Widichindo, rebelles perſecuti ſunt Chriſtianos; quorum alii diſperſi ſunt, alii occiſi, ipſe Villehadus ſeſe fuga ſubduxit. Vid. Anſcharius in ejus vita. 8. Repreſſi licet tunc fuerint a Carolo, redierunt tamen haud diu poſt pleniſſime ad Paganiſmum, et in partes quoque trahere conati ſunt Avarorum gentem: ut tradit Chronicon Moiſſiacenſe. Donec tandem 9., bello hoc finito, Carolus, ut eos in fidei profeſſione teneret conſtantes, Epiſcopatus erexerit, qui ſimul Principatus eſſent, per totam Saxoniam, ſcilicet, Oſnabrugenſem, Paterbornenſem, Halberſtadienſem, Bremenſem, Verdenſem, Mindenſem, Monaſterienſem, et Hildeſienſem. Quibus acceſſerunt Hamburgenſis, et Schildrenſis. Ceterum decreti ſunt hi Epiſcopatus a. 780. ſed conſtituti demum a. 812. In primis notari meretur Bremenſis, unde lux euangelii per omnia Germaniae loca ſeptentrionalia fuit diſſeminata, uti egregie expoſuit Cl. Haſaeus in *Oratione* in Bibl. Brem.

cl. VII.

cl. VII. De Eccleſiae vero Bremenſis initiis vid. Anonymus ibid. Cl. VII., qui primorum Epiſcoporum Bremenſium vitam et doctrinam enarravit et laudavit. Primus autem qui ſcholam Bremenſem inſtituit, eſt Villeharius, Villehadi ſucceſſor.

§. CCXCIII. Eadem fere fuerunt Friſiorum fata, qui, modo converſi, mox defecerunt, imo a. 784. Eccleſias vaſtarunt, Alberico, Epiſcopo Trajectenſe, mortuo, et Luidgero cum Willehado Romam ſecedente. Denique *Hunni*, qui uno Vandalorum nomine paſſim veniunt, poſteaquam per tria ſecula Romanum inperium adflixiſſent, Carolum pertimeſcentes, ſe ei, duce Todano, ſubmiſerunt, fidem quoque Chriſtianam amplexi; quando Epiſcopo Salisburgenſi ſunt ſubjecti. Vid., praeter Eginhardum, Anonymus, qui ab a. 704. ad a. 803., res Caroli memoriae mandavit, in Biblioth. Caeſarea l. II. c. 5. De Chriſtianiſmo inter *Sinas* plantato ſupra dixi in hiſtoria Neſtorianorum.

§. CCXCIV. Haec hoc ſec. fuit ſatis notabilis populorum converſio, licet modo minus Chriſtiano peracta. Adhibita quidem quoque ſunt bona et euangelica media, in praedicatione et inſtitutione ſita, ſcholis ubique erectis, et euangelii praeconibus quaquaverſum miſſis: ſed, quod negari nequit, metu et armis potiſſimum fuerunt populi ad Chriſtianiſmi profeſſionem compulſi, et multi praecones magis ſua bona et commoda in oculis habuerunt, quam regni Chriſti, et populorum ſalutem. Quid vero Saxones praecipue abſterruit a Chriſtianiſmo, ingenue expoſuit Alcuinus epiſt. 104. his notabilibus verbis, *ſi tanta inſtantia leve Chriſti jugum et onus ejus durisſimo Saxonum populo praedicaretur, quanta decimarum pro parviſſimis quibuslibet culpis neceſſitas exigebatur, forte baptiſmatis ſacramenta non abhorrerent. Sint tandem aliquando doctores fidei Apoſtolicis eruditi exemplis, ſint praedicatores, non praedatores.* Eavulf. Abbas in Epiſt. ad Carolum, inter Bonifacianas 81., eum incitans ad fidem Chriſtianam dilatandam, inter alia dicit: *idolorum cul-*

Patrum doctrinas. 5. Denique se ad Papam declarat hanc Synodicam mittere, ex antiqua consuetudine, ab aliquo tempore intercepta, quia Papae sese Inperio Orientis subduxerant, et propterea commercium erat ab Inperatoribus inpeditum. Claudit quoque epistolam satis adulatorie et superstitiose, dicendo: *ora pro nobis, beatissime et sanctissime Pater, intercessorem, et apud Deum communem patronum, ac defensorem nostrum, magnum ac Principem Apostolum* etc. Addit quoque litteris munera quaedam, et inter ea *encolpium, seu crucem, cum pretioso ligno, vel cum reliquiis sanctorum, ante pectus portare suspensam ad collum.* Vid. du Cange ad Alexiadem Annae Comnenae.

§. CCXCVI. Praestitit deinde sese haereticorum strenuum oppugnatorem. Judaeis, Montanistis, et Manichaeis, edito libro, sed et, quod longe erat efficacius, edicto Michaelis Inperatoris inpetrato, os adeo obstruxit, ut, teste Ignatio diacono in ejus vita, *ne occulte quidem quid agere ausi fuerint.* Nec minorem egit iconoduliae patronum. Synodo CPoli habita a. 814. Antonium, Sylaei, Pamphiliae civitatis, Metropolitam, qui imagines pro idolis habebat, et Leoni Armeno opem in destruendis imaginibus promiserat, damnavit, et hostem Christi declaravit: ut ex epist. Synodica Orientalium ad Theophilum Inperatorem, in *manipulo rerum CPol.* Combefisii, patet. Ubi etiam compares Nicephori *colloquium*, cum Leone Armeno de Imaginibus, earumque cultu, a Divino longe distante; lectu non indignum. Dei imaginem pingi vetat, Christi admittit, sed qua hominis, Angelorum etiam respectu figurae, quam hominibus se manifestantes gesserunt, aut quae in Script. S. iis tribuitur, denique sanctos a nobis colendos esse disserit, tanquam intercessores, et primarios Dei ministros, qui preces nostras ad Deum deferunt, eique commendant, et dona Dei in nos conferunt. Sed luit quoque inmoderati zeli poenas. Cum enim Leoni Inperatori in imaginibus debellandis obstinate repugnaret, depositus est, et relegatus, non

non quidem, ut nonnulli opinantur, in Praeconnesum, parvam Propontidis insulam, sed in monasterium trans *στεὶν fretum* CPolitanum, a. 815., ubi per 14 annos, usque ad mortem, a. 828., vixit, ut demonstrat Pagi ad Baron. a. 814.; nihil a cultu imaginum defendendo remittens. De quo et litterae ejus ad Michaelem Balbum, a. 822. scriptae, teste Ignatio in ejus vita, testantur, et libri ejus contra Iconomachos, et Constantini Copronymi Synodum, quorum fragmenta tantum aliqua edita sunt a Canisio Ant. Lect. tom. II. p. II. et Combefisio in Auctario. Ipsi vero ejus *Antirrhetici*, cum reliquis ejus operibus, lucem nondum adspexerunt, licet editurum se esse promiserit Bandurius. Sed exstat *breviarium* ejus historicum a Mauricii nece a. 602. ad Leonis et Irenes nuptias a. 770., nec non *Chronologia* compendiaria ab Adamo ad autoris obitum, ad calcem Georgii Syncelli in corpore Byzantino, sed Inperatorum et Patriarcharum nonnullorum postremorum nominibus a juniore scriptore adjectis. Denique canones quidam ejus Ecclesiastici prostant, 17 ab aliis editi, sed 37 cum novem aliis a Cotelerio monum. Gr. tom. III., ubi etiam exstat ejus epistola ad 17 capita, ipsi ab Hilario et Eustratio proposita, sed quae Theodorum Studitam habet autorem et inter ejus Epistolas l. II. ep. 215. comparet. Adtribuitur quidem ipsi quoque *στιχομετρία librorum sacrorum*, ubi libri Canonici dubii, et apocryphi, recensentur cum versuum numero, et *dubiis* accensentur Vet. Test. apocryphi ex mente Protestantium; exstat ad calcem Chronographiae ejus, ut et in Bibliis Criticis; sed est haec *stichometria* longe antiquior Nicephoro, ad eum expressa catalogum, qui prostat in Synopsi Athanasiana. Vid. Pearson. Vind. Ignat. p. I.

§. CCXCVII. *Theodorus* Studita, ipsi aequalis, (cujus vita a Michaele Monacho, ejus discipulo, scripta est, operibus ejus apud Sirmondum praemissa, et chronica Synopsis actorum ejus, autore Jacobo de la Baune, ibid.) Archimandrita fuit coenobii Saccudiensis in Suburbano CPol., in locum

Platonis, avunculi ejus, licet superstitis a. 794. Cum vero ingente studio nuptiis Constantini cum Theodote, priore uxore repudiata Maria, sese opponeret, eo etiam usque, ut Inperatorem pronunciaverit excommunicandum esse, et cum Tarasio Patriarcha CPol., remissius in ea causa agente, communionem ruperit, a. 795. verberibus quidem caesus est, et cum paucis aliis Thessalonicam in exilium relegatus, sed mox, a. 797., mortuo Constantino, honorifice revocatus ab Irene, Josepho quoque Oeconomio, qui adulterinas nuptias copulaverat, deposito. Praefectus etiam mox est Abbas a. 798. monasterio, dicto *Studio*, CPolitano, a conditore quodam Romano, ejus nominis, unde Studitae nomen traxit. Sed nec hic quietum se tenuit, ferventioris indolis vir. Nicephoro enim patriarcha CPol. electo, et ad communionem ab ipso recepto Josepho Oeconomo, ab utriusque discessit societate, a. 806. cum ob eum denuo admissum, tum quod Nicephorus esset de laico factus Patriarcha. Qui ejus fervor novum peperit exilium. Damnatus enim est in Synodo CPol. a. 809. tanquam schismaticus, et in insulam, haud procul Byzantio, cum sociis relegatus ab Inperatore Nicephoro. Quam ob causam hanc et superiorem Synodum nuncupavit Theodorus *Moecho-Synodos*, earumque patronos Moechianos, ac institutum ipsorum *moechianam haeresin.* Sed et ab hoc exilio cum honore est haud diu post liberatus per Michaelem Inperatorem, qui et communionem ejus cum Nicephoro Patriarcha renovavit, sub conditione, ut hic perperam gesta abrogaret, a. 811. Dein tertia vice in exilium missus est a Leone Armeno, et carceri mancipatus, quia iconomachis sese inpetuose objecit a. 814. imo, cum in eorum haeresin non cessaret inpotenter declamare, verberibus est caesus, et arctiore inclusus custodia a. 816., et, cum ne sic quidem moderatiorem animum indueret, et, variis scriptis epistolis, causam imaginum fortiter ageret, Smyrnam est translatus, durissime caesus, et arctiori custodiae adligatus, a. 819., sed et hinc

liberatus a Michaele Balbo a. 821. rediit CPolin. Denique, cum Tomae, contra Inperatorem rebelli, visus fuisset favere, urbem rursus deseruit a. 823., et in peninsula S. Tryphonis, vicina Acritae promontorio, vitam turbulentam finivit a. 826.

§. CCXCVIII. Opera Theodori Studitae, partim edita, partim adhuc latentia, versantur, praeter epistolas, licet et illarum quoque plurimae, maximam partem circa imaginum, et sanctorum, cultum, sive sint encomia et orationes in eorum laudem, sive iconomachorum refutationes, etc. Fuit utique, si quis alius, superstitiosus, sed et in opinionibus suis obstinatus, et vehemens, ingens zelota: ut ex vita et operibus ejus constat. Inter opiniones vero sunt haud paucae peculiares, quae adtentionem merentur, quarum aliquas exhibebo. 1. Extulit quidem Paparum Romanorum potestatem, sed in reliquas iis non concessit Ecclesias. Si quid sit, quod Patriarcha CPol. pie nequeat definire, moris esse dicit, ut Apostolica consulatur Ecclesia, quam *supremam κορυφαιοτάτην Ecclesiarum Dei* adpellat, *in qua Petrus sedem primus posuit, et ad quam Dominus dixit, tu es Petrus* etc. l. II. ep. 86., quod repetit ib. ep. 129., sed ubi addit, idem fieri posse a reliquis Patriarchis, ut, si unus Patriarcharum aberret, correctionem a ceteris ejusdem ordinis accipere debeat. Videtur quidem loco posteriore Romano Pontifici summam potestatem Synodi Oecumenicae deferre, sed possunt, et forte debent, verba ad Inperatorem referri. Alibi rursus l. I. ep. 33. ad Leonem Papam declarat, ad Petrum, vel ejus successorem, referri debere, *quicquid ab heterodoxis innovetur in Ecclesia Catholica:* ubi etiam Papa dicitur *Ecclesiae sub coelo omnis ἀρχιποίμην supremus pastor*, cujus etiam opem, verbis Petri ad Christum, *serva nos, perimus*, Matt. VIII. inplorat; nullam etiam fatetur cogi posse Synodum sine Papae cognitione. 2. Sex memorat sacramenta l. II. ep. 165. *de baptismate, Synaxi, consecratione unguenti, sacerdotibus, initiationibus, monachica perfectione, de sanc-*

te dormientibus. Quem satis singularem locum commoda explicatione illustrare tentavit Leo Allatius de *consensu* etc. l. III. c. 16. 3. Vim et efficientiam sacramentorum, inprimis eucharistiae, ab administrantium fide pendere, adeoque ab haereticis et schismaticis confici non posse, statuit l. II. ep. 24. ordinationes quoque ab iis factas irritas esse l. I. ep. 40. et II. ep. 215. 4. Clericos, ab haeresi iconomachica conversos, non vult recipi, nisi ad communionem laicam l. III. ep. 191., addit tamen ep. 20. *donec conveniat Synodus Orthodoxa, quae integram absolutionem inpertiat.* 5. In casu necessitatis, ubi deficit aqua, baptizari arena permittit l. II. ep. 157. 6. Uxorem posse monasticam amplecti vitam, invito marito, statuit l. II. ep. 51. Denique 7., quod longe melius est, cum Theophilus Ephesius, et alii, haereticos morte esse plectendos censerent, ipse l. II. ep. 155. ad eum scripta, occidendos non tantum negat, sed nec verberandos, aut inprecationibus feriendos, permittit, tantum esse docendos vult, et pro iis orandum. Quod Veterum testimoniis egregie firmat.

§. CCXCIX. Circa hoc tempus *Anastasius* aliquis Monachus Palaestinus quoque floruisse videtur, autor libri *contra Judaeos*, in Bibl. M. P. tom. XIII., non male scripti, quo Judaeos ex scriptis, et experientia, refutat, eorumque solvit objectiones, inter quas, quod notatu dignum est, cum memorat, quod Christiani *colant et adorent cruces et imagines*, ipse respondit, *nos non naturam ligni adoramus, absit, sed Christum in eo crucifixum — — sic nos, cum imagines adoramus, non veneramur lignum, absit, sed Christum honoramus, et sanctos ejus, neque picturas colimus, saepe enim imagines vetustas ac deletas renovamus, aut etiam, cum putrescunt et carie consumtae sunt, comburimus, aliasque novas facimus, ad memoriam tantum conservandam.* Vixisse autem autorem hoc seculo vel ex eo manifestum est, quod *Octingentesimum annum et amplius* agi dicat, ex quo a Romanis vastati sunt Judaei.

§. CCC.

§. CCC. Succedat princeps ſcriptorum hujus ſeculi inter Graecos *Photius*, vir haud uno nomine celeberrimus, quippe variis exercitus fatis, autor egregiorum ſcriptorum, et ſchiſmatis quoque inter Graecos et Latinos. Ex illuſtri genere natus Patriarcha CPol. de laico factus eſt, ut antea Nicephorus; erat enim *protoſpatharius*, ſeu praefectus ſatellitum, et *protoſecretarius* ac Senatus CPolitani Princeps. Electus autem eſt Patriarcha a. 857. in locum Ignatii, qui a Barda, avunculo Inperatoris, et Curopalata, ſeu aulae magiſtro, coactus fuit ſe abdicare. Inciderat enim Ignatius, Michaelis Curopalatae filius, et Methodii in Patriarchatu CPol. ſucceſſor a. 847., in odium Bardae, quia ipſum ob inceſtum amorem, et conſuetudinem cum nuru, reprehenderat, et, cum ad euchariſtiam vellet accedere, arcuerat. Quo exacerbatus Bardas, conſilio cum Gregorio, Syracuſarum Epiſcopo, quem Ignatius a. 854. munere depoſuerat, (Epiſcopi enim Siciliae a tempore Leonis Iſauri fuerant ſedi CPolitanae ſubjecti) inito, Ignatium, tanquam laeſae Majeſtatis reum, damnari, et ſede pulſum in exilium deportari curaverat a. 817. Crimen autem illud ipſi, ut Nicetas *in vita Ignatii* refert, inpactum eſt, quod Theodoram matrem Inperatoris cum Filia tondere, ac monaſtico ornare habitu, quod idem erat ac regno privare, ad Inperatoris, ſuadente Barda, juſſum, recuſaverit; acſi eo ſignificaſſet, ſe inperatoris necem, et matri ejus maritum quaerere. Vid. etiam Anaſtaſius Biblioth. in hiſtoria Synodi VIII. Suffectus mox ei eſt Photius in Synodo, habita in palatio, cujus meminit autor *libelli Synodici*, et a Gregorio illo Syracuſano ordinatus. Narrat quidem Nicetas loco cit., Photium mox in Ignatium, ejuſque familiares, ſaevire incepiſſe, eo ſcopo, ut libellum abdicationis extorqueret Ignatio; ſed Photius fuit in ſedem invitus evectus, ut ipſe in epiſt. ad Hadrianum Papam, et privata ad Bardam epiſt. VI. teſtatur, nec ipſi, ſed Bardae, inputandum eſt facinus in Ignatium et Ignatianos.

§. CCCI. Quae Ignatii exauctoratio et Photii electio cum Episcopos divisisset, et Ignatianos ac Photianos peperisset, illi, Synodo in S. Irenes aede coacta, Photium damnarunt, hi vero, Synodo in Templo Apostolorum habita, Photii patriarchatum, damnato Ignatio, confirmarunt a. 859., ut narrat Metrophanes, Smyrnensium in Ionia Metropolita, in epist. apud Baronium a. 870., et Synodi quoque meminerunt Anastasius et Nicetas. Confirmata denuo est Ignatii exauctoratio, ac Photii electio, in Synodo CPol. a. 861., cui 318 interfuerunt Episcopi, et ipsi Legati Papae, qui in decretum illud, teste Niceta, consenserunt. Ignatius in ea, quae *prima* audit Synodus Oecumenica in hac causa, praesens auditus et depositus est, Photius absolutus et confirmatus; conditi quoque sunt 17 canones, ad Ecclesiae disciplinam pertinentes, a Zonara et Balsamone illustrati. Sed Latini dicam scripserunt huic Synodo, eamque pro *latrocinali* habuerunt. Scena dein mutata, Photius, postquam ad a. 867. sedisset, a Basilio Macedone Inperatore est depositus, ac in exilium missus, omni humano ministerio, etiam, quod ipsi maxime aegre fuit, libris, destitutus. De quo acerbe conquestus est epist. 97. ad Basilium Inperatorem, restituto Ignatio, qui per 11 annos abfuerat. Concitaverat autem sibi Photius odium Basilii, quia eum ob caedem Michaelis Inperatoris acriter reprehenderat, et a Sacris prohibuerat. De quo licet Simeon Logotheta in Basilio, Zonaras in Annal., Georgius Monachus, et Georgius Hamartolus apud Leonem Allatium de Synodo Photiana, ipse etiam Photius ep. 118. et 160., omnes hi testentur, sunt tamen, qui negant, et Photium sede esse ab Inperatore motum contendunt, ut sententia a Papa lata executioni mandaretur, nixi testimonio Ignatii in epist. ad Nicolaum Papam; cui fidere non licet, quia pura puta est Ignatii adulatio, vel praetextus tantum Basilii. Refert vero Anastasius Bibliothec. in historia Synodi VIII., Basilium perquiri jussisse ante Photii abdicationem omnia scripta,

quae in causa Photiana praecesserant, iisque praelectis, sententiam in Photium pronunciasse: quam confirmavit Hadrianus Papa, in Synodo Romana a. 868., ut refert autor vitae Hadriani, et biennio post effecit, ut in Synodo Oecumenica VIII. idem fuerit sancitum, a. 869., de qua postea. Omnia vero in ea sunt ad nutum Papae acta, fuitque ex hostibus Photii, qui numero 103 adfuerunt, conflata, quique libello Hadriani ante subscripserunt, quo hostilem animum professi sunt. Referunt autem ex recentioribus multi, Photio invisi, inter alias criminationes, *eunuchismum*, tanquam causam, quare patriarchatu erat indignus habitus Photius: cujus calumniae fundum praebet epistola quaedam Johannis Patricii et Sacellarii ad Photium, quae est 49na inter Photianas Montacutii, ubi Photium adpellat *ἀναδα*, *γαλλον* et *ἀνδρογυνον*: ita Baronius et Combefisius in *Biblioth. concionatoria*. Sed Montacutius ipsam eam epistolam ex suo codice edidit, tanquam Photii ad Johannem, adeoque quae non Photium, sed Johannem faceret eunuchum. Utique Photio illud ab hostibus nunquam fuit objectum, et merito adnumeratur fabulis. Vid. etiam Hanckius de *Byzantinarum rerum scriptoribus*, qui vitam Photii satis adcurate descripsit.

§. CCCII. Mortuo dein Ignatio Patriarcha, et Graecos inter ac Latinos orta de jurisdictione Ecclesiastica in Bulgarorum Ecclesias controversia, Inperator Macedo, Photii merita ad animum revocans, eum sedi suae reddidit a. 878., ut Byzantini testantur scriptores, Leo Grammaticus, Constantinus Porphyrogenneta, Zonaras, alii: simul inter Papam Johannem ac Photium conciliavit pacem ac amicitiam. Quando a. 879. celebrata est Synodus CPolitana, cui 373 interfuerunt Episcopi, et Legati Papae, a Graecis pro Oecumenica VIII. habita, cujus acta primus publicavit Beveregius in *Pandectis canonum*, in qua Photii causa plenissime triumphavit, ac sedis CPolitanae dignitas est a Latinis agnita. De quo postea. Sed nondum fatorum ejus finis fuit:

est enim denuo sub Leone Philosopho Inperatore depositus a. 886., accusatus insidiarum Leoni structarum cum Theodoro Santabareno, et in exilium pulsus, vel in monasterium relegatus; in quo vixit usque ad a. 891., ut ex breviario Graeco Synodi CPol. VIII. colligitur.

§. CCCIII. Inter scripta Photii eminent Bibliotheca, Epistolae, et Nomocanon ejus. In *Bibliotheca*, quae Veteres libros, seu codices 280, continet, tradit eorum excerpta, et judicium fert criticum de eorum doctrina, stilo, et aliis qualitatibus. Quod opus ante Patriarchatum composuit, tempore legationis in Assyriam, ut ipse in epistola ad Tarasium testatur, et varie est editum, ultimo Rothomag. a. 1653., multis nominibus utilissimum. *Epistolae* vero 248 varii argumenti collectae a Montacutio a. 1651. publicatae sunt, quibus quinque ab editore sunt adjunctae: inter quas egregria est *prima* ad Michaelem, Bulgariae principem, de fide, septem Synodis, et officio Principis, nec non *secunda*, quae est encyclica contra Nicolaum Papam, de dogmatibus controversis, in specie respectu processionis Spiritus S. ex Patre. *Nomocanon*, varie editus cum Balsamonis scholiis, complectitur, unde et nomen tractum est, harmoniam legum Inperialium et canonum Ecclesiasticorum, per quatuordecim titulos. Praeter hos exstant ejus quatuor libri adversus Manichaeos, seu Paulicianos, a Cl. Wolfio in Anecdotis Gr. in lucem emissi, inter quos et Petri Siculi, autoris aequalis, a Radero editos, tam exacta est convenientia, ut, quod tamen non constat, alter ex altero videatur descripsisse. Supersunt etiam quidem sex breves dissertationes Theologicae in Antiq. Lect. Canisii t. II. p. II., sed vix lectu dignae, quae, praeter ineptas subtilitates scholasticas, nihil fere continent; praeterea *diatriba* ejus de voluntatibus in Christo *gnomicis* ibid. et in auctario Petri Stevartii; in qua, quod notandum, contendit, licet quot sunt in Christo naturae tot sint voluntates, unam esse voluntatem gnomicam, quia humanae naturae voluntas semper con-

sentit

sentit divinae, adeoque in Christo deliberationem et electionem locum non habere, quia omnia novit perfecte etc. Ceterum de fide Photii luculenter constat ex epistola, modo citata, ad Bulgariae Principem, in qua Symbolum recensetur CPolitanum, septem Synodorum decreta adsumuntur, et in specie Nicaenae II., adeoque etiam adoratio Imaginum, sed ita, ut honor quidem primum tendat ad imaginem, sed divino sit longe inferior, nec ob eam, sed personam depictam, quae per honorem imaginis honoratur, prorsus sicut crucis signum et ejus typus adoratur. Quae vera fuit Photii de imaginum cultu doctrina.

§. CCCIV. Agmen scriptorum Graecorum claudat Inperator *Leo*, Basilii Macedonis filius, eximie Philosophus et sapiens cognominatus, licet diu demum post haec tempora, uti a Zonara, et aliis, probe a Leone Philosopho, Michaelis Pselli discipulo, distinguendus, de quo vid. Leo Allatius de Psellis, cujus videntur esse *oracula et vaticinia* 17 de futuro CPolis statu, et Inperatorum ejus fatis, una cum iconibus, ad calcem Codini de *Antiquitat. CPol.* in corpore Byzantino. Exstant vero Leonis Inperatoris aliquot *Orationes*, sed parvi pretii, in festa, crucem et Sanctos, *carmen* jambicum de misero Graeciae statu apud Leonem Allatium de *consensu* etc., *tactica*, seu de re militari, ex editione Meursii, cujus supplementum dedit Fabricius Bibl. Gr. vol. IX., *dispositio* de ordine thronorum Ecclesiarum, sedi CPolitanae subjectarum, in Jure Gr. Rom. Leunclavii: sed eminet opus, sub Basilio Macedone jam inceptum, dictum *Basilica*, quod τὰς κυρίας utiles leges in corpore Juris, praecipue Pandectis, in linguam Graecam translatas, continet, septem tomis in Fol. ex editione Parisiensi.

§. CCCV. Longe major fuit scriptorum inter Latinos copia, studiis per Carolum M. et successores revocatis, quos strictim, quantum scopo sufficit, recensebo. *Smaragdus*, Abbas S. Michaelis ad Mosam, in dioecesi Virdunensi, ab alio ejus nominis in Saxonia Abbate probe distinguendus,

 scripsit,

scripsit, praeter acta collationis Romanae a. 810. inter Papam Leonem et legatos Caroli M. de processione Spiritus S., in tomis conciliorum, cui et ipse interfuit, *viam regiam* capitum 32 in Spicilegio Dacheriano, *commentarium* in Euangelia, et Epistolas, per anni circulum in divinis officiis legenda, nec non in regulam Benedicti, et alia, quae mitto. Floruerunt quoque in initiis seculi duo *Amalarii*, male a multis confusi: quorum *alter* Trevirensis Archiepiscopus, a. 814. mortuus, scripsit librum de *ritibus* baptismi ad Carolum M., falso Alcuino adscriptum, in Antiq. Lect. Canisii tom. II., *alter* Metensis Diaconus, etiam, ut Mabillonius in praevio comment. ad *Ordinem Romanum* ostendit, Lugdunensis Chorepiscopus, quatuor composuit libros de *divinis officiis* ad Ludovicum Pium circa a. 827., qui, una cum Antiphonario ejus, exstant in Bibl. Pat. et alibi. Supplementum libri quarti, quod Mabillonius in Analectis publicavit, rectius est adsumentum Ademari Monachi, quod Pagi ad a. 830. jam observavit, et supplementi Amalarii vicem verius tenet ejus opusculum, *eclogae de ordine Romano;* et *de quatuor orationibus in missa*, editum a Baluzio in adpendice, ad tom. II. Capitular. Concinnavit quoque jussu Ludovici duplicem regulam, unam Canonicorum, alteram Sanctimonialium, in Synodo Aquisgran. a. 817. adprobatam, in tomis conciliorum obviam. Denique *responsio* de *corpore et sanguine Domini*, apud Dacherium in Spicileg. tom. I. vel ejus etiam est, vel autoris coaevi; ubi etiam epistolae quaedam ejus exstant, in quarum una communionem frequentem singulis diebus commendat Christianis, simul de eucharistiae vero conspectu agit. De quo postea suo loco.

§. CCCVI. Longe celebriorem sese haud uno nomine praestitit *Agobardus*, primum Corepiscopus Lugdunensis, vivo Leidrado Archiepiscopo, verus quidem episcopus, sed vicarii vice fungens in casu necessitatis, a quo distincti fuerunt chorepiscopi, qui presbyteri tantum erant, et villani

episcopi

episcopi adpellabantur, dein, abdicato Leidrado, et monasticam vitam amplexo, Archiepiscopus Lugdunensis, in ejus locum, a. 815., ut Ado refert in Chronico, mortuus a. 840. Opposuit enim sese non tantum cultui imaginum in libro *de picturis et imaginibus*, sed et insolentiae Judaeorum, ac decreto Ludovici de mancipiis eorum non, nisi volentibus dominis, baptizandis, licet sponte peterent: ut ex epistola ejus ad *Proceres* Inperii, et ex aliis, patet. Sed, quod pejus est, et male ipsi cessit, inmiscuit sese non tantum divisionibus Ludovici ac filiorum ejus, sed horum, Lotharii scilicet et Pippini, partes strenue fovit, ac edita apologia defendit, praeterea concilio Compendiensi a. 833., quo Ludovicus est exauctoratus, ipse interfuit, et flebilem de *divisione* inperii scripsit epistolam. Ludovico autem facto superiore, aufugit cum Lothario, et mox a. 835. depositus est, postea tamen in gratiam receptus, ac sedi redditus a. 837. Varios posteritati reliquit tractatus, qui felici fortuna a Papyrio Massono inventi et editi sunt, dein cum notis et supplementis a Baluzio; ad calcem enim comparent Leidradi, decessoris ejus, epistolae, nec non Amuli successoris ejus aliquot opuscula, quorum duo de *praedestinatione* etiam exstant in Oper. Sirmondi tom. II. Ceterum occurrunt in ejus scriptis, quae, praeter modo memorata, praecipua sunt contra Felicem, Adoptianum haereticum, et Amalarii libros de officiis Ecclesiasticis, quaedam animadversione digna. Praeterquam, quod, ut modo notavi, imaginum qualemcunque cultum refutaverit, 1. alienum sese a Paparum dominio in nonnullis rebus demonstravit, statuendo, legatos Romanos non esse necessarios ad condendos canones, nec spernendos esse canones, quod *neoterici Romani eos non commendaverint:* quemadmodum loquitur in libro adversus legem Gundobadi. 2. Judaeorum non tantum perstrinxit superstitiones in libro de *Judaicis superstitionibus*, sed et Christianorum, tum in libro de *grandine et tonitruis* contra vulgi opinionem de grandine et procellis a sortilegis et

Magis, quos *tempestarios* adpellat, tum in libro de *divinis sententiis*, contra eos, qui putabant, judicium Dei ferro, igne, vel aqua, vel armis patefieri. 3. In divinis officiis, contendit in libro de *divina psalmodia*, nihil, nisi quod ex Scripturae S. verbis est contextum, locum habere debere. 4. Seculi sui mores, quibus sacerdotes contemtui habebantur, et ad vilissima opera adhibebantur, luget, et refutat, in libro de *privilegio et jure sacerdotii*. Denique, ne alia memorem, 5. in libro contra Fredegisum Abbatem inter alia probat α. Spiritum S. verba corporalia non formasse in ore Prophetarum et Apostolorum, adeoque inspirationem ad verba non esse extendendam. β. Sanctos Vet. Test. in Christum credidisse, et dici posse Christianos.

§. CCCVII. Celebrior adhuc, qui eodem tempore vixit, et alio etiam nomine, est *Claudius*, gente Hispanus, et Felicis Urgellitani discipulus, primum Presbyter in aula Ludovici a. 815., dein Episcopus Taurinensis, ut ex Jona Aurelianensi de *cultu imaginum* l. I. constat, Script. S. studio, multisque in eam scriptis commentariis, nondum editis, clarus. Imaginum cultum non tantum inprobavit, sed et eas abolitas voluit, sicut in episcopatu suo post conventum Parisiens. a. 825. reapse praestitit, aliis etiam superstitiosis ritibus se opposuit, uti adorationi crucis, et peregrinationibus sacris ad memorias sanctorum, speciatim ad Ecclesiam Petri. Superbe etiam, vel animose, respondit Theodemiro, Gallo Abbati, qui, litteris ad eum directis, non adorandas quidem, attamen retinendas, ursit imagines; edito apologetico, unde excerpta exstant apud Jonam, de quo mox. Quae collecta exstant apud Goldastum ad calcem *collectionis de cultu imaginum*, et in Catalogo *Testium veritatis* lib. IX. Commentarii ejus ad Script. S. nondum lucem viderunt, excepto ad Epist. ad Galat, in quo sensum litteralem unice sectatur, nec male saepe exposuit, et prooemio ad Epist. ad Ephes. et in Levit. in Analect. Mabillonii tom. I. Accusatus etiam ab antagonistis, mox memorandis, est erroris

Arii

Arii circa Trinitatem, et Felicis Urgellitani circa incarnationem, ſed Jonas agnoſcit, prioris erroris nullum in ſcriptis veſtigium ſe inveniſſe, tantum ab aliis audiviſſe. Ceterum ab hoc Claudio repeti ſolent origines Waldenſium, et cum eo comparari Calviniſtae. Vid. Leger hiſt. Wald. l. I. c. 21.

§. CCCVIII. Theodemiri defenſionem, et Claudii refutationem, ſuſceperunt Dungalus, et Jonas Aurelianenſis. *Dungalus* recluſus, ſeu Monachus ſolitarius, ſive, ut Muratorius Antiq. Ital. Med. aevi diſſ. XLIII. opinatur, ab eo diverſus, et litterarum Magiſter Ticini, Scotus gente, artium liberalium inſtaurator in Italia, librum a. 828. *reſponſionum adverſus Claudii ſententias*, cultum imaginum diſſuadentes, compoſuit, qui a Maſſono editus, dein recuſus eſt in Bibl. Patr. *Jonas* vero, Epiſcopus Aurelianenſis ab a. 821. ad 843., Carolo Regi, Ludovici Pii filio, tres obtulit libros a. 839. vel 840., adverſus Claudium, qui etiam in Bibl. P. exſtant. In quibus diſputat, imagines Chriſti et ſanctorum non eſſe Templis ejiciendas, ſed ad ornatum, et memoriam fidelium, ſervandas, nec pro idololatris tamen habendos eſſe, qui aliquo modo eas colunt: addit, et ſe eas adorare *more Eccleſiaſtico*, ſeu eas ſalutare, neutiquam adorare ut Dominum; fatetur quoque ſuperſtitioſam adorationem indigere emendatione. De quo poſtea uberius. Scripſit praeterea libros tres de *inſtitutione Clericorum*, et unum de inſtitutione Regia, in Spicilegio Dacheriano tom. I. In quibus 1. praeter publicam peccatorum confeſſionem, et quae Deo fit, admittit privatam ſacerdotibus faciendam, quia Deus poteſtatem iis dedit *ligandi et ſolvendi*; de Inſtit. laicorum l. I. c. 5, 6, 16. 2. frequentem ſuadet communionem euchariſticam c. 18. 3. Decimas ſolvendas commendat, et honorem Clericis habendum, eoſque redarguit, qui pauperiores Clericos ſpernunt, et ad vilia adhibent miniſteria cap. 19.

§. CCCIX. Nomen ſuum circa hoc tempus quoque cele-

bre reddidit per quaestionem Godeschalkanam *Servatus Lupus*, Gallus, in Fuldensi monasterio a Rabano ejus Abbate institutus, dein Abbas Ferrariensis in Dioecesi Senonensi, electus a Monachis jussu Regis Caroli, ut ipse epist. 40. testatur a. 842. ubi vid. Baluzius. Cum Gallia tribus quaesitis, de *praedestinatione*, *libero arbitrio*, et *redemtionis Christi amplitudine*, distraheretur, rogatus a Carolo Calvo a. 849. scripsit a. 850. libellum de *tribus quaestionibus*, a Baluzio novissime cum notis editum, una cum variis Lupi epistolis, lectu dignis. Composuit praeterea vitam Wigberti, Abbatis Fritslariensis, et Maximini Episcopi Trevirensis, sed quae fabulis scatet. Singulare est, quod ep. 29. statuat, nullum esse in Ecclesia ordinem, ubi certius promereri Deum possit fidelis anima, quam *monasticum*. Sententiam de tribus illis quaesitis postea exponam. Addatur, nostrum esse a Servato Lupo, presbytero Moguntino, diversum, secundum Manguin in *vindiciis gratiae* etc., disput. histor. et Chron. c. 16.

§. CCCX. Magister ejus *Rabanus*, cognomento *Maurus*, cujus memini, vir celebrioris nominis, primum fuit Abbas Fuldensis, dein Archiepiscopus Moguntinus, cujus vitam descripsit discipulus ejus Rudolfus Scholasticus, apud Mabillon. sec. IV. Benedictin. p. II., ubi etiam elogium Rabani historicum, a Mabillonio confectum, exstat. Natus est Moguntiae, teste epitaphio ejus, et ab Alcuino institutus, dein Fuldensi scholae praefectus, et postea Abbas Fuldensis a. 822., in locum Eigelis, cujus vita Sturmii, primi Abbatis, superest. Qua praefectura, cum 20 annos esset functus, se abdicavit a. 842., totumque tradidit se litterarum studio, et varia lucubravit Opera. Vid. Mabillon. l. cit. Denique Archiepiscopus Moguntinus a. 847. factus, in locum Otgarii, tres habuit Synodos Mogunt., *primam* hoc eodem anno, ad disciplinam in regno Caroli, aeque ac Ludovici, collapsam, instaurandam, *secundam* a. 848. in causa Godeschalkana, qua hypotheses praedestinatianae Godschalki damnatae

natae sunt: *tertiam* a. 852., in qua quid peractum sit, Annalista Fuldensis tacet. Defunctus est a. 856. Fuit prudens, et doctus, Praesul, cujus utriusque dedit specimina; prudentiae scilicet, quod sese dissidiis Ludovici, et Filiorum, non inmiscuerit non tantum, sed et utriusque partis amicitiam conservaverit, imo sequester concordiae et pacis fuerit, edito libro de *reverentia liberorum erga Patres, et subditorum erga Reges*: quem cum opusculo ejus de *chorepiscopis* vulgavit Baluzius in editione P. de Marca *concord. sacerd. et Inperii.* Eruditionis tantam sibi comparavit famam, ut, secundum Trithemium, nec Italia similem, nec Germania pepererit aequalem. Opera vero quae edidit, quantivis, et eo nomine, pretii, quod ad fidem, cultum, regimen, et disciplinam, hujus seculi cognoscendam vel sola sufficiant, sunt maximam partem *Commentarii* in Script. S., sed ex Patrum sententiis contexti, *homiliae*, et alia opuscula, ut de *Clericorum institutione et caerimoniis Ecclesiae, de sacris ordinibus, de disciplina Ecclesiastica*, etc. Exstant *sex* tomis, cura Colvenerii Duacensis Academiae Cancellarii. Praeterea Epistolae ejus ad Hincmarum contra Godschalkum reperiuntur in Oper. Sirmondi tom. II., liber ejus de *computo* in Miscell. Baluzii tom. I., ut et poemata quaedam ibid. tom. IV. *Martyrologium* in Antiq. lection. Canisii t. II. p. II., et ejus prologus in Analectis Baluzii. *Epistola* ad Heribaldum, Episcopum Autissiodorensem, in adpendice Reginonis Baluzii, sed ad Egilonem, Abbatem Fuldensem, cujus meminit autor coaevus, teste Albertino de Eucharistia p. 924. periit. De quo postea.

§. CCCXI. Condiscipulus Rabbani fuit *Haymo*, Halberstatensis Episcopus tertius in Saxonia, de quo multa habet Mabillon. sec. IV. Benedictin., et cujus vitam ac doctrinam prolixe narravit in peculiari dissertatione Paulus Antonius. Fuit Anglo-Saxo, discipulus Alcuini in monasterio Fuldensi, dein Abbas Fuldensis, et postea Hersfeldensis monachus, denique Episcopus Halberstatensis a 840. sub Ludovico,

vico, Germaniae Rege. Interfuit Synodo Mogunt. a. 848. contra Godschalk., quem damnavit. Defunctus est a. 853. Multa reliquit scripta, praecipue in Script. S., quorum aliqua supersunt. Sequitur passim Hieronymum, et litteralem sectatur sensum. Exstat etiam historiae Eccles. breviarium, et ipsi quoque tribuitur liber *de corpore* et *sanguine Domini*, a Dacherio in Spicileg. editus tom. I. Habet nonnulla, notatu digna, quorum aliqua strictim proferam. Passionem Christi 1. et obedientiam, omnibus, modo credant, statuit sufficere ad vitam aeternam ad Heb. V: 9., et alibi in homiliis, uti p. 207. *pro omnibus effusus est Christi sanguis, sed non omnibus prodest, sed illis solummodo, qui credunt in passionem suam.* 2 Gratiam Dei regenerantem, sanctificantem, et salvantem, ubique fortiter adserit. Sic comment. ad 1 Cor. XII. *Deus operatur omnia in omnibus, quibus verbis tollitur humana adrogantia., cum sine Spiritu S. nec magna, nec minima, operari possit nostra fragilitas;* rursus ad 2 Cor. III. *non solum non valemus bonum aliquod perficere sine Dei misericordia et gratia praecedente et subsequente, sed nec cogitare. Dei enim gratia nos praevenit ut velimus, et ipsa nos subsequitur, ut possimus.* Sic et fidem a Deo dari, et non esse ex nobis, ad 1 Cor. XII. Denique in homiliis declarat, *nihil de meritis nostris praesumendum esse, sed in Dei misericordia confidendum*, nec non, *vitam aeternam nulli per debitum reddi, sed per gratuitam Dei misericordiam.* 3. *Parvuli per fidem parentum, vel eorum, a quibus suscipiuntur, in sacro baptismate*, inquit homil. p. 278, 313., *salvari creduntur, ita tamen, ut, cum ad intelligibilem aetatem pervenerint, non solum doceantur, quid in corde debeant credere, sed etiam quid in opere servare.* De aliis ejus dogmatibus postea suo loco. Hic addo. 4. Ipsum per *Petram* Matt. XVI. intelligere Christum, et fidem in eum; et alibi in homil. p. 440. *non putandum est*, inquit, *quod soli Petro potestas clavium data est; sed sicut unus pro omnibus respondet, tu es Christus, ita in uno omnes audierunt, quodcunque ligaveritis* etc.

§. CCCXII.

§. CCCXII. *Walafridus Strabus*, in eodem Fuldense monasterio a Rabbano institutus, quare Fuldensis Monachus a Trithemio adpellatur, postea S. Galli decanus, et tandem Augiae divitis in dioecesi Constantiensi ad Rhenum Abbas a. 842., defunctus a. 849., autor *Glossae*, sic dictae *Ordinariae*, ex Interpretum, in primis Rabbani, commentariis collectae, quae ab aliis postea est aucta, (male enim nonnulli nostrum a Fuldense monacho putant diversum, ut ex dictis patet) condidit, praeter nonnullorum sanctorum, ut S. Galli, Othmari, aliorum, vitas, et poemata; vitas etiam sanctorum complexa, in Antiq. Lect. Canisii tom. II. p. II; utilissimum illud opus de *Officiis divinis*, seu exordiis et incrementis rerum Ecclesiasticarum, in Bibl. Patrum quoque obvium. In quo, quod obiter notetur, cap. 8. mentem de imaginum et sanctorum cultu explicat. Damnat autem imaginum cultum, aeque inmodicum ac nullum: *devotionem et utilitatem, qua commoveri et instrui adpetimus*, dicit, non esse culpandam, nec, *honestos et moderatos earum honores esse omnimodis abjiciendos:* honestos et moderatos honores licet non definiat, videtur tamen insinuare, aliquid plus licitum esse, quam non despuere, aut frangere imagines. Sanctos statuit, *ut Dei amicos, famulos, patronos, vere honoratos et pleniter salvatos, tantum in adjutorium esse vocandos, non ut ipsi praestent per se, quae saluti nostrae necessaria sunt, sed, ut ab autore bonorum, illi proximiores meritis, et ideo certius audiendi, inpetrent, quae saluti petentium opportuna non nesciunt.*

§. CCCXIII. Omnium fere celeberrimus fuit inter Latinos, et scriptis, et rebus gestis, *Hincmarus*, in Abbatia Dionysii Parisiens. institutus sub Hilduino Abbate, quem, ob societatem conjurationis in Ludovicum, in Saxoniam relegatum a. 830. comitatus est, cuique gratiam redeundi inpetravit, teste Flodoardo lib. III., tandem Rhemensis Archiepiscopus in Synodo Bellovacensi a. 845., varia celebravit concilia, variisque fuit inmixtus litibus. a. Godeschal-

kum in Synodo Carisiacense dioecesios Rhemensis a. 849. damnavit, ac scriptis frustra conatus est ad sanitiorem redigere mentem: dein in altera Synodo Carisiac. a. 853. haec quatuor contra eum condidit capitula, *a.* neminem praedestinatum esse ad poenam, *b.* liberum arbitrium gratia praeveniente, et adjuvante, esse redditum, *c.* velle Deum generaliter omnes salvos, licet non omnes salventur, *d.* Christi sanguinem pro omnibus esse fusum, licet non redimantur omnes: ita refert Annalista Bertinianus ad illum annum. Sed capitula illa non in ipsa Synodo, verum in conciliabulo regio paucorum Episcoporum fuisse confecta, non male disputat contra Sirmondum Manguinus, ad calcem historiae Godschalki, in histor. et Chron. dissertatione c. 10., et in primis c. 33. Praeterea prolixum de *Praedestinatione et libero arbitrio* scripsit contra eum volumen, cujus praefatio tantum superest, sed postea aliud a. 859. de *praedestinatione*, quod aetatem tulit. 2. Clericos ab Ebone decessore, post ejus damnationem et illegitimam restitutionem, ordinatos, deposuit, illudque una cum sui electione firmari fecit in Synodo Suessionensi II. a. 851. Restitit porro judicio Papae, ad quem Clerici illi provocaverant; imo confirmationem Synodi suae, licet, ut fertur, per dolum, obtinuit a. 863. a Benedicto III., et Nicolao I. Sed Nicolao, cui jam alia erat mens, cedere coactus est, et in Synodo Suession. III. a. 866. decretum est, ut restitutio eorum Papae demandaretur, absque ut Synodus ipsa id faceret, ne Synodi Suession. II. autoritati quid detraheretur. Factum itaque illud est in Synodo Tricassina, a. 867., jussu Papae coacta. Vid., praeter alios satis notos, Manguin. loco cit. c. 48. Passus itaque in hac causa est quid humani Hincmarus, sed nimio canonum studio ductus.

§. CCCXIV. 3 Nec melius egit, aut res ei successit, in causa Rothadi, Suessionensis Episcopi, quem episcopali communione primum privaverat, dein mox in Synodo Suession. a. 862. deposuerat, quia Rothadus presbyterum; in

in stupro deprehensum, et propterea a se depositum, sed ab Hincmaro restitutum, admittere, aut absolvere, recusabat. Cum autem de excommunicationis sententia ad sedem Romanam adpellaret, et propterea in Synodo Suession. Hincmari comparere nollet, propter eam inobedientiam est depositus. Cum vero Papa Nicolaus juberet, ut aut Rothadum restituat, aut cum ipso Romam ad causam dicendam veniret, addita interminatione suspensionis, si detrectaret, coactus tandem est, post longam repugnantiam, Rothadum dimittere Romam: quando sedi a Papa redditus est. Contendit vero Papa, et firmavit, adpellationes non tantum inter sedis Romanae privilegia esse, sed et Episcopum qualemcunque sine Paparum consensu non esse deponendum, cum illud ad majora Ecclesiae negotia pertineat, ad sedem Romanam referenda. Vid., praeter alios notos, ut Natalem Alex. diss. VI., Manguin. l. cit. c. 46. et Norisius hist. Godschalk. c. 2. Oper. tom. IV., qui Hincmarum hac in causa damnant. Denique 4. cum Hincmaro juniore, cujus erat avunculus, Episcopo Laudunensi, gravissimas exercuit lites. De quo postea in vita Hadriani Papae exponam. Defunctus est Hincmarus in villa Sparnaco, trans fluvium Matronam, a. 882., quo per Normannos, totum Francorum regnum depcpulantes, aufugere coactus fuit. Opera ejus edidit Sirmondus 2 vol. in Fol., praefixa Synopsi Chronica. Epistolas aliquot ediderunt Baluzius Miscell. t. VII., Mabillon. in Analect., et Dacherius in Spicileg. t. II.

§. CCCXV. Celeberrimum quoque haud uno nomine se reddidit *Johannes Scotus*, etiam *Erigena*, seu Scotigena, adpellatus. Eri enim et Eria est Hibernia, eadem antiquitus ac Scotia, de quo vid. Usserius hist. Godschalk. c. 9., probe distinguendus, non tantum a longe recentiore *Johanne Duns Scoto*, sed et *Johanne* Aethelingiae Abbate, ab Alfredo Rege ex Gallia evocato, et Aethelingiae monasterio praefecto, qui non fuit Scotus, sed Ealdsaxo, seu Altsaxo, aut Germano-Saxo: de quo vid. Mabillon. in Praefat. sec. IV.

 Benedict.

Benedict. p. II. p. 460., et in elogio historico Johannis Aethelingiensis ibid. in Act. p. 514. Narrat quidem Malmesburiensis, nostrum quoque Johannem fuisse in Angliam ab Alfredo accitum, et in coenobio Malmesbur. a discipulis, morum gravitatem non ferentibus, stilis et graphiis esse confossum; sed posterius incerta nititur traditione, ipso autore fatente, qui habet, *ut ferunt*, nec ab ullo memoratum est, nec prius certum est, cum de eo sileat Asserus in vita Alfredi. 1. Libros Dionysii Areopagitae latine vertit, et Theologiae mysticae fundamenta jecit inter Latinos. Quod opus nondum lucem vidit, sed epistola dedicatoria ad Carolum Calvum, in cujus florente fuit gratia, teste Malmesburiense, exstat in Sylloge epistolarum Hibernicarum Usserii. 2. Subtilitate Philosophica, et quaestionum solutione, praelusit Scholasticis: cujus dedit specimen in libris de *divisione naturae*, Oxoniae editis a Galeo. In quibus multa reperiri, a Latino tramite deviantia tradit Malmesbur., quare ab Honorio III. Papa liber est solenni bulla condemnatus, et flammis addictus, teste Alberico in Chron. a. 1225., qui illud propter Albigenses esse factum addit, qui suam inde haeresin defendebant. Statuit autem in hoc libro, ut in genere illud observem, omnia et esse originaliter et primordialiter in Deo ab aeterno, et tandem in eum reversura, adeoque Daemonum et omnium creaturarum restitutionem in integrum. 3. In articulo de *praedestinatione* sapere traditur Pelagianismum, et de eucharistia longius a Paschasio Radberto in alterum extremum discessit. Libri ejus de *praedestinatione duo* contra Godschalkum, editi a Manguino in *vindiciis praedestin. et gratiae*, scripti sunt ad petitionem Hincmari Rhem., et Parduli Lugdunensis Episc., ut Godschalkus refutaretur: sed eum non tantum, verum ipsam fidem Catholicam, refellit, et in Pelagianorum castra censetur transiisse, utique multis subtilitatibus Philosophicis a fide catholica deviavit: quos ejus errores refutarunt

tarunt Prudentius et Florus, de quibus mox. Damnavit quoque librum Scoti Synodus Valentina III., ut et Lingonensis. Scripsit quoque librum de *corpore* et *sanguine Domini*, rogante Carolo Calvo, in Synodis Vercellensi ac Parisiensi a. 1050., et Romana a. 1059., damnatum. Docuit autem, teste Hincmaro de Praedestinat. l. I. c. 31., *Sacramenta altaris non verum corpus, et verum sanguinem esse Domini, sed tantum memoriam veri corporis et sanguinis.* Refutavit vero eum Adrevaldus, Floriacensis Monachus sub Carolo Calvo, cujus liber exstat in *Spicilegio* Dacheriano tom. I. Ceterum Scoti liber secundum alios periit, sed ex aliorum opinione idem est ac Ratramni de eadem materia. De quo mox.

§. CCCXVI. Floruit utique hoc ipso tempore *Ratramnus*, alias Bertramus, Monachus primum Corbejensis, dein, favore Caroli Calvi, Abbas Orbacensis in dioecesi Suessionense, duplice lite cum Paschasio Radberto, itidem monacho Corbejense, de quo postea, exercitus, una de partu Mariae Virginis, altera de eucharistia. Quaestio de partu Mariae Virginis *ordinario*, an *extraordinario*, quae hoc tempore in Germania ventilari coepit, in Galliam per Ratramnum est invecta. Tenuit autem ipse, Christum per naturae januam, per solennem parturitionis viam, ex utero Mariae processisse, adeoque naturaliter esse natum; uti ex ejus libello in Spicilegio Dacheriano tom. I. de *nativitate Christi* patet; nec tamen videri voluit admittere, virginitatem Mariae fuisse violatam, sed mansisse integram in partu, et post eum, uti cap. 2., et alibi, fatetur: adeoque censuit, Christum quidem per *vulvam*, sed *clausam*, exivisse, sive, ut ibidem dicit, per vulvam apertam, sed mox rursus clausam, salva virginitate, sicut resuscitatus per januam clausam domum legitur intrasse. Opposuit autem librum eorum opinioni, qui adserebant, Christum, non per januam vulvae ordinariam ortum habuisse, sed monstruose de secreto ventris, incerto tramite, in auras exiisse, ut in principio libri tradit;

cujus ineptae opinionis fundamentum in eo fuit, quod vulva mulieris fuerit pudendum habita membrum. Interea visus est Ratramnus, per eam opinionem, ex obliquo et per consequentiam, virginitatem Mariae in partu temerasse, acsi vulva, vere aperta et rupta, peperisset: quo nomine se ei opposuit Paschasius Radbertus, qui eam traduxit, tanquam inpiam: cujus hac de re libellus exstat in Spicilegio Dacheriano tom. I. Nec tamen, eum contra Ratramnum scripsisse, constat, cum uterque de quaestione, tunc vigente, scribere diversa ratione potuerit, absque ut alter alterum legerit. Plura de hac quaestione qui velit, adeat Mabillon. in praef. ad sec. IV. Benedictin. p. II. c. 3. Quaestio, licet per se inanis, pura puta fuit, quatenus ab utraque parte tractata est, logomachia, de partu, *clausa vulva* facto, ut utrinque statuebatur, dicendo *naturali*, an *supernaturali?* naturalem adpellavit Ratramnus, ut, per ostium vulvae Christum prodiisse, doceret, supernaturalem vero Radbertus, ut, clausa vulva, id esse factum, significaret. Ceterum, ut id obiter observem, Christum, clausa et inviolata vulva virginali, exiisse, Veteres communiter statuerunt, ipse etiam Ambrosius, licet alibi apertae vulvae mentionem fecerit, incertum quo sensu. Vid. not. Benedictin. ad Ambros. in Luc. Oper. t. I. Opinio haec dein adeo invaluit, ut, vel vulvam ad momentum, tempore partus, fuisse *apertam*, et mox post partum *clausam*, adeoque Mariae virginitatem hac ratione mansisse integram, statuere sine nota haeresios non licuerit. Vid. Goffridus Abbas Vindocinensis sec. XII. scriptor, Serm. IV. *in nativitate domini* in Bibl. M. Patrum vol. XXI., ubi quoque tradit, nonnullos eo tempore adhuc *pro vulva aperta* pugnasse.

§. CCCXVII. Alteram quaestionem de eucharistia, ejusque vero intellectu, tractavit Ratramnus in libello de *corpore et sanguine Domini;* qui quidem a. P. Marca in epist. ad Dacherium in Spicileg. t. III. Anselmo Parisio differt. contra

tra P. Allixium ad calcem tom. I. *de perpetua Ecclesiae fide circa eucharistiam*, et aliis, tribuitur Joh. Scoto, cujus modo memini, sed recte Ratramno vindicatur ab aliis, ut Boilavio in praef. ad libri versionem Gallicam, Natali Alex. diss. 13. ad hoc sec., Mabillonio in praef. ad sec. IV. Benedictin. p. II., et aliis: est enim ille Scoti postea combustus, ut supra dixi, Ratramni evasit, nec ulla ratio est libellum Ratramno abjudicandi, est contra, quae pro eo pugnat, quia cod. MSS., a Mabillon. citatus, qui ejus nomen praefert, ab annis octingentis est exaratus. De hujus libri argumento, et autoris sententia, postea fusius agam. Denique duos, jussu Caroli Calvi, conscripsit libros de *Praedestinatione*, qui in Bibl. P. exstant, in quibus Godschalko videtur favere, utique praedestinationem inpiorum ad poenam, nec tamen ad peccatum, admittit: de quo etiam infra. Tandem libros contra Graecorum errores ad Nicolaum Papam composuit, qui in Spicilegio Dacher. exstant tom. I., et postea usui erunt.

§. CCCXVIII. Supersunt tres Godschalki fautores, vel defensores, et Scoti adversarii, Prudentius, Florus, et Remigius; de quibus agendum restat. *Prudentius*, Trecensis Episcopus in Gallia, non tantum intercessione sua apud Hincmarum effecit, ut humanius cum Godschalko egerit, a. 849. sed et, cum ad Synodum, in causa ordinationis Aeneae Parisiensis coactam, venire non posset, *tractoriam*, quatuor articulos complexam, misit, quibus Aeneam, antequam ordinaretur, subscribere voluit. Erant autem, ut videntur, quatuor illis Synodi Carisiacae contra Godschalkum, quos supra in Hincmaro recensui, contrarii, et sequentes, 1. sine gratia nihil boni cogitari aut effici posse, 2. quosdam ad vitam, alios ad poenam, esse praedestinatos, 3. Christum non pro omnibus, sed solis credentibus, esse mortuum, 4. Deum salvare quos vult, neminem posse salvari, nisi quem ipse salvarit. Hic ipse tamen Prudentius paulo ante articulis illis Carisiacis subscripserat, teste Hincmaro de *praedestin.*

 cap.

cap. 21., sive mentem mutaverit, sive, quod Annalista Bertinianus tradit, felle commotus in Episcopos pro Godschalko scripserit. Defendit quidem Manguinus Prudentium in diss. cit. c. 33. et 44., sed, nisi Hincmarum quis velit mentitum esse, quod de tanto Praesule praesumendum non est, nescio qua ratione possit. Composuit praeterea Prudentius opusculum de quaestionibus Godschalkanis contra Hincmarum et Pardulum, in quo propositiones modo exhibitas defendit, et Godschalko patrocinatur. Quo etiam Joh. Scoti, qui contra Godschalkum scripserat, refutatio tendit. Exstant haec opuscula in Bibl. Patrum.

§. CCCXIX. *Florus*, etiam Drepanius Florus, Ecclesiae Lugdunensis subdiaconus, et ejusdem scholae praefectus, indeque *Magister* adpellatus, quem insigni ornavit elogio Walafridus Strabus in carmine ad Agobardum, quod et alii fecerunt, ut Baluzius initio oper. Agobardi ostendit, *collectanea* edidit in Epistolas Pauli ex Patribus, quae Bedae nomen male praeferunt, ut observavit Mabillon. in differt. tom. I. Vet. Analect., praeterea commentarium in *canonem* missae, varia poemata, et, quod hic praecipue memorandum est, *Sermonem* de *praedestinatione* et *libero arbitrio*, nec non librum a. 852., qui prostat in Bibl. Patrum, nomine Ecclesiae Lugdinensis, contra Scoti *erroneas definitiones*, in quo haeresin illam *praedestinatianam*, cujus in historia Semi-pelagianorum notitiam dedi, pro fictitia habet. Accensetur itaque Godschalki fautoribus: de quo postea.

§. CCCXX. Sed Godschalki causam prae reliquis strenue egit *Remigius*, ex Sacri palatii Lotharii Inperatoris Archi-capellano Archiepiscopus Lugdunensis a. 853. in locum Amolonis, a decessore suo in caussa Godschalkana longe diversus. Cum enim iste errores illos exsecratus esset, et, epistola ad Godschalkum scripta, refutasset acriter, Remigius contra ad litteras Hincmari et Parduli, ad Episc. Lugdunens. missas, ut Ecclesiae ejus sententiam exquire-

exquirerent, respondit nomine istius Ecclesiae, edito libro de *tribus epistolis*, cui alterum, tanquam adpendicem, subjunxit, hoc titulo: *absolutio quaestionis de generali per Adam damnatione omnium, et speciali per Christum ex eadem redemtione electorum*: a. 853. Scripsit praeterea, post Synodum illam Carisiacam, librum de *tenenda veritate Script. S.*, in quo capitula Carisiaca refutavit, et Godschalkcanas hypotheses defendit. Exstant et haec opuscula in Bibl. Patrum. Sed duas quoque pro ea causa celebravit Synodos Valentinam III. a. 855., et Lingonensem alteram a. 859. De quibus postea. Ceterum, a nostro est distinguendus *Remigius*, Autissiodorensis monachus, qui non fuit Rhemorum Episcopus, sed ab eo, post annum 882., vocatus, ut gymnasio suo praeesset, teste Flodoardo hist. Rhem. l. IV. Scripsit vero commentarios in Psalmos, Prophetas minores, Epistolas Paulinas, et expositionem Missae. Esse autem eum autorem commentarii in Epistolas Paulinas, et non Remigium Rhemensem, aut Haymonem, demonstravit Albertinus de Eucharistia l. III., et vel ex eo elucescit, quod Gregorium saepe citet, qui alius esse nequit ac Papa, cum Latinos soleat citare, et ipsum adpellet *Papam* ad 1. Cor. XV. praeterea Bedam, in ep. ad Philip. c. III.

§. CCCXXI. Reliquis scriptoribus missis, subjungam Historicos aliquos, non ignorandos, et celebriores quosdam martyrologiorum conditores. *Eginhardus*, inter praeclaros referendus historicos, Caroli M. primum Capellanus, et dein Archicapellanus, seu Cancellarius, et Archicancellarius, (capella non tantum hoc tempore dicebatur sacellum Deo sacrum, sed et denotabat Cancellariam, et Charthophylacium, seu Archivum, in quo mandata et epistolae Principum, tabulae publicae, exarabantur et conservabantur. Vid. Spelman in *glossario archaiologico*) cujus curae et directioni res et personae erant demandatae, sicut Comiti Palatii omnia secularia, ut Adelardus Corbejensis, inter epistolas Hincmari ep. 14. tradit, dein variorum monasteriorum, ut Fonta-

nellensis, Gandensis, et Salegunstadiensis ad Moenum, Abbas. Fueritne Caroli M. gener, seu Imma, ejus uxor, Caroli filia, cum unius Chronographi Laureshamensis nitatur autoritate, et alia obstent, incertum est. Vid. Cl. Schminkius in vita ejus, praemissa *vitae* Caroli, ab ipso editae. Scripsit enim Eginhardus *vitam Caroli M.* aeque pure et eleganter ac fideliter: qui liber Alcuino a nonnullis male tribuitur. Vid. Schminkius, qui eum novissime cum notis edidit. *Annales* vero Regum Francorum, ab aliis annales Laureshamenses dicti, qui magni aestimantur, et sub ejus nomine saepe citantur, habeantne eum autorem, non adeo liquidum est, maxime cum hic illic a vita Caroli diffideant, et ipse Eginhardus in illis laudetur, tanquam sui temporis prudentissimus virorum. Sunt autem varie publicati, uti a Neunario una cum vita Caroli, Reubero inter Veteres scriptores, Pithoeo in scriptoribus coaetaneis, Frehero scriptorum de rebus Francicis tom. II. et aliis. Conscripti etiam sunt a nescio quo *annales*, sic dicti *Bertiniani*, quia ex cod. MSS. Monasterii S. Bertini apud Morinos in Gallia sunt editi. Exstant inter Scriptores Francicos du Chesne, et Italicos Muratorii tom. III.

§. CCCXXII. *Freculfus*, Monachus Fuldensis, dein ab a. 823. ad a. 851. episcopus Lexoviensis in Gallia, reliquit Chronicon, a Mundo condito ad Bonifacium III., seu a. 607., in Bibl. Patrum tom. XV. obvium, subjuncta historia sex Synodorum universalium. Celebrior est *Anastasius*, Ecclesiae Romanae Presbyter et Bibliothecarius, qui ab a. 848. floruit, illustris variis versionibus e lingua Graeca, et in primis libro de vitis Pontificum.. Vertit in linguam Latinam, licet satis barbare, 1. chronologiam Nicephori CPol. 2. historiam Ecclesiasticam ex Nicephoro, Syncello, Theophane contractam. 3. Acta Synodorum Oecumenicarum VI, VII. Nicaenae II. et CPol. VIII., cujus ultimae actioni interfuit. 4. collectanea ad historiam Monotheliticam, a Sirmondo edita. Tribuuntur quoque ipsi vitae Pontificum a Petro

ad

ad Nicolaum I., quas post Busaeum vulgavit Fabrottus, et novissima editio Corporis Byzantini repetiit, sed novissima est, et luculenta editio Blanchini et Vignolii. Interea totum hoc opus non esse Anastasii constat, et ejus tantum videntur esse vitae Paparum a Gregorio IV. ad Nicolaum. Vid. Oudin. Script. Eccles. tom. II. Continuavit vero Gulielmus Bibliothecarius, cujus exstant vitae Hadriani II. et Stephani V. Prodiit denique hoc Anastasii opus in corpore scriptorum Italiae Muratorii tom. III., ad MSS. collatum, una cum doctorum dissertationibus de eo, et antiquis Pontificum Romanorum catalogis: vitae quoque Pontificum per reliqua secula subjunctae sunt. Tribuitur denique ei Chronicon Cassinense, in anno 857. desinens, sed sine certo fundamento. Vixit etiam hoc seculo *Johannes*, Romanae Ecclesiae diaconus, qui vitam Gregorii scripsit, et alia, in cujus, Graecae linguae ignari, gratiam Anastasius multa Latine vertit. Epistolam ejus ad Senarium de ritibus baptismalibus et aliis, qua nonnullorum rituum rationes dedit, exhibuit Mabillon. Mus. Ital. tom. II.

§. CCCXXIII. Celebriores martyrologiorum conditores fuerunt Ado, Usuardus, et Wandelbertus, ac Notkerus: de quibus verbo defungar. *Ado*, Viennensis Archiepiscopus ab a. 860., cujus vitam et gesta in lucem protraxit Mabillon. in *elogio historico* in actis Benedictin. sec. IV. p. II., praeter chronicon usque ad a. 875., ab alio postea continuatum, quod cum Gregorio Turon. prodiit, et in Bibl. Patrum, scripsit *Martyrologium*, usus alio vetustiore, Roma Aquilejam misso, et ipsi Ravennae tradito: quod una cum Adonis edidit Rosweydus, qui etiam illud cum Adone communicatum, putat, antiquum illud Romanum esse: sed quod refutavit Valesius, ad calcem not. in Euseb. H. E., qui, nullum fuisse Ecclesiae Romanae proprium, contendit ante illud, quod jussu et nomine Sixti V. publicatum, et notis Baronii illustratum est. Meminit quidem Synodus Cloveshoviensis in Anglia, a. 747., martyrologii Ecclesiae Romanae,

manae, ut Mabillon. praef. ad p. II. feculi Benedict. IV. obfervavit, fed Martyrologium Ecclefiae Latinae in genere videtur intelligendum, quod Hieronymo falfo eft tributum. *Ufuardus* vero coenobii S. Germani P. ris. alumnus, Hieronymi, Bedae, et Flori Magiftri premens veftigia, martyrologium condidit Caroli, non Magni, fed Calvi, tempore, ut Mabillon. l. cit. demonftravit, noviffime vulgatum a Benedictinis, poft editiones minus finceras. Quo aucto ufa eft Ecclefia Romana, ante recentius illud Romanum, modo memoratum, tefte Molano in praef. ad ufuardi Martyrologium, eftque etiamnum variis Galliarum Ecclefiis in ufu. *Wandelberti*, Monachi Prumienfis a. 842., martyrologium metricum edidit Dacherius in *Spicilegio*, et *Notkeri*, S. Galli monachi, Canifius antiq. Lect. t. II. p. III., qui etiam autor videtur effe libri de *geftis* Caroli M. ibid. ubi etiam Rabbani Mauri martyrologium comparet. Notkeri vero, Germanis in ufu, lectu eft digniffimum.

§. CCCXXIV. Agmen tandem claudat famigeratiffimus ille *Ifidorus Mercator*, autor collectionis Epiftolarum decretalium Paparum Romanorum a Clemente ufque ad Deusdedit: qui ab a. 616. ad 619. fedit. Imitatus in eo eft Dionyfium Exiguum, qui epiftolas illas in ufum Ecclefiafticum colligere primus inftituit fec. VI., nec non Hadrianum Papam fec. VIII., cui collectio capitulorum tribuitur, ex conciliorum canonibus, et Epiftolis decretalibus Pontificum, quam tamen alii factam volunt ab Ingilramno, Epifcopo Metenfi, et Hadriano oblatam. Ex his, aliifque fontibus adornavit non tantum collectionem fuam Ifidorus, fed, quod pejus eft, et eum facit inpoftorem, finxit antiquorum Paparum epiftolas decretales, manifefte fpurias, ut pluribus demonftravit Blondellus in fuo Pfeudo-Ifidoro, et a doctioribus Pontificiorum admittitur. Collectionem vero illam, ex Hifpania in Galliam tranflatam, primus recepit et publicavit Reculfus, Archiepifcopus Moguntiacenfis ab a. 787.; ut patet ex Hincmaro Rhemenfe opufcul. 33. cap.

cap. 24. Quis vero iste fuerit Isidorus, incertum est. Si verum sit, quod ex ipso libro colligitur, ipsum se credi voluisse esse Hispanum, a probabili forte non abhorret, ipsum Isidori Hispalensis personam fuisse mentitum, cum quod et ipse similem fecerit collectionem, tum quod in melioris notae codicibus Isidorus *peccator* adpelletur; ex more, quo Episcopi se peccatores nuncuparunt in Epistolis, et conciliorum subscriptionibus. Sed eum vere non fuisse Hispanum ex eo probat Blondellus, quod nimis parce Hispaniae, sed frequenter Galliae et Italiae meminerit, quodque multi Gallo-francorum, et Longobardorum, idiotismi reperiantur in ejus opere, nulli Hispanorum. Conjicit itaque, eum fuisse Germano-Francum, vel Gallo-Francum. Ceterum, quod non erat negligendum, collectio Isidori eo facta est scopo, ut 1, antiquiorum Paparum testimoniis eminentia et autoritas sedis Papalis confirmaretur, 2. jura adpellationum e toto orbe Christiano ad eam sedem esse fundatissima elucesceret. Est enim hoc epistolarum decretalium, quae hic occurrunt, praecipuum argumentum. Contulit quoque haec collectio, semel admissa, multum ad sedem Papalem evehendam supra omnes alias sedes.

§. CCCXXV. Scriptorum recensione, quantum scopo et instituto nostro sufficit, absoluta, de statu Litterarum et Studiorum in Ecclesia aliquid subjunxisse, non fuerit alienum. Etsi Carolus M. litteris in Occidente instaurandis, nec sine aliquo successu, omnem inpendit operam, votorum tamen non est compos factus, nec effectus conaminum fuit durabilis. De inminuto studiorum ardore conquestus est Lupus Ferrariensis epist. I. ad Eginhardum, et Ludovicus, capitulari edito a. 823. praecepit, ut scholae erigerentur, *ad filios et ministros Ecclesiae instruendos, vel edocendos.* Quam parum vero res successerit, ex concilio Paris. a. 829. colligi potest: petit enim Synodus a Ludovico, et filiis, ut, morem paternum secuti, curent scholas autoritate sua erigi in tribus *congruentissimis inperii locis.* Quod num fuerit

 factum,

factum, non constat. Incubuit quoque in illud Synodus Aquisgran. a. 816., sed quam parum fuerit profectum, dignoscit ex concilio apud Saponarias a. 859.; decretum enim in eo est, ut undique constituantur Scholae S. *Scripturae, et humanae quoque litteraturae, unde annis praecedentibus, per religiosorum Imperatorum studium, magna illuminatio Ecclesiae, et eruditionis utilitas processit*: additur decreti ratio in haec verba: *quia, quod nimis dolendum est, et perniciosum maxime, Divinae Scripturae vera et fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix ejus extrema vestigia reperiantur, et idcirco ingenti cura et studio remedium procurandum esse.* Inter Italos quantopere collapsa fuerit res Litteraria, vel inde colligi potest, quod Praeceptores evocari debuerint ex ipsa Scotia, vel Hibernia, ad erudiendos juvenes, quodque Claudius Taurinensis, imaginum oppugnator, conventum Episcoporum, quem adire recusavit, *congregationem asinorum* adpellaverit: ut Dungalus in fin. opusculi sui contra ipsum refert. Quo Studiorum decremento tandem excitatus Carolus Calvus, manum iis instaurandis admovit, et, doctis undique conquisitis, ac Scholis ubique conditis, rem eo adduxit, ut revocatorum studiorum praecipua laus ipsi fuerit data, ut ex Herico Monacho Altissiodorens. in praefat. ad vitam S. Germani, Carolo, jam Augusto, dicatam, constat: a quo tempore multi eruditione celebres claruerunt in Gallia. Ceterum quae hoc seculo erectae fuerint, seu floruerint, Scholae, ex Hospiniano de *scholarum origine*, et Launoio de *Scholis celebrioribus Occidentis*, facile poterit repeti. Nominasse, ex. gr. suffecerit, in Gallia Antissiodorensem, Corbeiensem veterem, et Parisiensem, in Germania, et vicinis regionibus, Fuldensem, Corbeiensem novam, Prumiensem, Hirsaugiensem, et Sangallensem. In Italia, etsi Papae Eugenius II. et Leo. IV. litteris patrocinati sint, et magistros ac doctores ubique constitui voluerint, res tamen parum successit. De quo vid. Muratorius antiq. Ital. Med. aevi diss. XLIII.

§. CCCXXVI. Eodem tempore, quo Carolus huic rei in-

suo

suo regno incubuit, operam quoque studiis in Oriente renovandis dedit Bardas, sub Michaele Inperatore a. 859. Vid. Zonaras in Michaele, et plenius apud Cedrenum. Humaniores enim litterae per Inperatorum barbariem et inscitiam multis jam lustris jacuerant obsoletae, ut loquitur Porphyrogenn. in vita Michaelis, et Cedrenus. Bardas autem, ut litteras revocaret, singulis scientiis suas scholas certo loco adtribuit, supremae autem omnium Philosophiae ad ipsam Regiam in Magnaura, ut Cedrenus tradit: qui deinceps refert, postquam de Leone Philosopho, ejusque discipulis, litterarum et studiorum instauratoribus, a Barda honoratis, egisset, *bonas litteras prorsus ante exstinctas, ita ut ne vestigium quidem earum aut scintilla exstaret, brevi temporis spatio ad magnam evectas esse altitudinem.* Praeterea per Bardam dicit effectum, ut leges refloruerint, cum earum quoque adcurata, temporum vitio, obsolevisset tractatio. Sed et idem in Anglia praestitit Alfredus, de quo supra monui, qui collapsam Ecclesiae conditionem reformavit, opera usus praeter alios Grembaldi, e Gallia evocati, et Asseri, Abbatis Bancorensis, a. 884. Qua occasione Academiam Oxoniensem fuisse fundatam, tradunt quidem passim autores, sed sine solido fundamento, et universitates, proprie dictas, nondum locum habuisse, nec diu post, satis constat. De quo postea suo loco. Ceterum de Alfredo M., regni et Ecclesiae, studiorumque, eximio instauratore, legendus est Spelmannus in ejus vita lib. II. Illud dictis addatur, floruisse omnis generis eruditionem in Asia Saracenica, quae seculo superiore jam revocari coepit per Saracenos, teste Elmacino in hist. Saracen. l. I. Cui rei Caliphae AEgypti quoque incubuerunt, multis scholis in AEgypto erectis. Vid. Conringius de Antiquit. Academicis.

DOCTRINA ET FIDES.

§. CCCXXVII. Circa doctrinam Ecclesiae in genere no-

tandum est, eadem fuisse hoc seculo, quae antea, fidei capita, ut ex confessionibus Nicephori et Photii, de quibus supra, inter Graecos, patet, et Adelberti ad Hincmarum, Rabbani Instit. Cleric. l. II. c. 57. concilii Wormatiensis etc. inter Latinos. Sed specialia habeo nonnulla observanda. 1. Praeter libros Canonicos codicis Hebraei, Ecclesia Latina alios quoque admisit, quos Protestantes solent Apocryphos adpellare, ut ex catalogo apud Rabbanum Maurum ibid. l. III. c. 7., ac de *Universo* l. IV. c. 10., elucescit, qui etiam ibid. l. V. c. 1 et 2. scripturas sacras canonicas V. et N. Test. recenset, iisque adnumerat libros, sic dictos apocryphos, de autore autem Epist. ad Hebraeos dicit, apud Latinos nonnullos dubitari. Vid. etiam Instit. Cler. II: 54. De traditionibus, Synodorum decretis, et canonibus Ecclesiae Catholicae, idem senserunt, et eodem modo locuti sunt, ac antea. Viguit quidem inter nonnullos Scripturae S. studium, magis etiam quam antea, et in eam commentati sunt, ut ex superiore catalogo patet, sed nihil fere aliud praestiterunt, ac Veterum scrinia compilare, eorumque facere collectanea, versati etiam magis circa allegorica et moralia, quam sensum litteralem, et verum. Sed illud recte se habuit, notatuque dignum est, quod Scriptura S. fuerit per Germaniam et Angliam vulgatior facta, ope versionum in linguas vernaculas. Ludovicus utique Pius eam a. 820. in linguam Germanicam transferri curavit, poetice, ut rudiorum memoriae consuleretur, teste praefatione in librum antiquum, lingua Saxonica conscriptum, in *catalogo testium veritatis* sec. IX. Otfridus quoque, monachus Wissenburgensis in Alsatia, Rabbani discipulus, *harmoniam*, seu diatessaron, euangeliorum, rithmo Germanico vetere concinnatum, scripsit, cui titulus fuit, *volumen euangeliorum*, nec non oratione soluta versionem Psalterii paraphrasticam, ut et reliquorum Scripturae canticorum, ac symbolorum Apostolorum et Athanasii, nec non Orationis Dominicae. Vid. auctarium hist. dogmaticae Usserii de script. et ling. vernaculis.

saeculis. Laboravit quoque in eo Alfredus, Occidentalium Saxonum Rex, ut Clerus et plebs ruditatem deponerent. Ipse enim in praef. ad Gregorii M. *pastorale*, a se versum, testatur, apud Spelman. conc. Angl. tom. I., *adeo funditus concidisse apud gentem Anglicanam doctrinam, ut paucissimi fuerint cis Humbrum sacerdotes, qui vel preces suas communes in sermone Anglico intelligere potuerant, vel scriptum aliquod e Latino in Anglicum transferre.* Quare, ut huic labi mederetur, Psalterium coepit in linguam Saxonicam vertere, nec non libros Ecclesiasticos, in gratiam Cleri et plebis. Vid. Usserius, ejusque auctarium, l. cit.

§. CCCXXVIII. 2. Acris Graecos inter et Latinos coepit hoc in primis seculo disputatio de *processione Spiritus S.*, num ex Patre solo, ut Graeci statuerunt, an ex Patre Filioque, ut Latini. Quae cum ad doctrinam pertineat, et Ecclesias Orientis ac Occidentis diviserit per omnia reliqua secula quoque, ejus historia hic est enarranda, sed re altius repetita. Cum sec. IV*to* Ariani et Macedoniani contenderent, Spiritum S. esse ex Filio, ut ejus esse productum demonstrarent, Orthodoxi, illud negantes, eum esse ex Patre, definiverunt in Symbolo CPolit. Synodi *Imae*, et ex Patre Filioque esse, simul ejusdem naturae participem, statuerunt. Quae et constans fuit Veterum sententia. Sed et eo seculo haec quaestio fuit agitata, sitne Spiritus S. ex Patre et Filio: ut ex Hilario de Trinitate l. VIII. cap. 20. patet: ubi adfirmat quidem, esse ex Patre et Filio, sed, quod notari meretur, addit, *se in hoc calumniari nolle libertati intelligentiae.* Deinceps sec. V. acerrima inter Nestorium, Theodoretum, et Cyrillum Alexandr. orta contentione, cum Cyrillus dixisset, Spiritum esse ex Patre Filioque, Theodoretus illud, tanquam Arianum et Apollinarium, reprehendit, ac dicendum esse ursit, Spiritum esse ex Patre, et non ex Filio, aut per Filium, quia, si ex Filio diceretur, eo minor, et ab eo creatus introduceretur; absque tamen, ut ea controversia, quippe inter

Orthodoxos de nomine magis quam re, ulterius processe ipsa Synodo Ephesina de ea silente. Vid. Lequien diss Damascenica II. §. 4. Interea Graeci aeque ac Latini ritum S. esse non ex Patre solo, sed et Filio, consta docuerunt; ut demonstravit quoque Petavius dogm. Th de *Trinitate* l. VII. c. 3., licet paulo aliter se expresse Graeci, dicentes, Spiritum esse *ex Patre per Filium*, Latini dixerint *ex Patre et ex Filio*. Usus quoque Grae rum phrasi est sec. VIII. Johannes Damascenus de fid. O l. I., ubi Lequien et alia citat loca, quibus negatur, Sp tum *ex Filio* esse, et statuitur, esse ex Patre per Fili Usi autem sunt Graeci ea phrasi, non, ut Filii esse proc tum significarent, sed, ut partim duplex evitarent pri pium, quod phrasis *ex Patre Filioque* innuere videba partim Patris praerogativam, qua principale est et prin diale Deitatis Filii et Spiritus S. principium, sartam tec servarent, quare Augustinus de Trinitate l. XV. c. dixit, Spiritum ex Patre *principaliter* procedere, partim nique, ut dicto Christi Joh. XV. *spiritum ex Patre pro di* inhaererent pressius. Sed Latini eam phrasin *per Fil* vitandam esse censuerunt, quia ad sensum Arianum vi batur ducere, esse nimirum Spiritum *creaturam* Filii, *per Filium* omnia dicantur facta Joh. I. Interea Graeci Latini vix re ipsa dissentiebant, Graeci enim nihil al voluerunt, quam Filium esse ordine priorem, et actio Patris, qua Spiritus est emissus, quoque esse particip sicut omnium actionum naturalium Patris, ut recte adve Lequien l. cit., nec Latinorum mens fuit, Spiritum esse duobus principiis, quia Pater et Filius *unum* sunt, et act nes naturales eaedem, ut habet Augustinus de Trinit. l. c. 14.

§. CCCXXIX. Continuavit fides Graecorum sec. VI., vixit Gregentius Taphrensis, inter Homeritas Episcop cujus exstat disputatio cum Judaeo Herbano, ubi p. 7. cessionem Spiritus S. ex Patre solo professus est. Renov

vero sunt disputationes sec. VII. per Monothelitas, et sec. VIII. per Iconomachos, qui, cum a Latinis condemnarentur, ut haberent quod retorqueant, ipsis hanc ipsam phrasin et opinionem, tanquam perversam, objecerunt. De Monothelitis id constat ex Maximi homologitae epist. ad Marinum, Presbyterum Cypri, et ex Anastasio Bibliothecario in epist. ad Johannem Diaconum, ubi eam Maximi epistolam recitat. Defendit autem Maximus, recte dici, Spiritum S. procedere ex Filio. De Iconomachis vero id patet ex Synodo, haud procul Lutetia Paris. in *Gentiliaco* villa habita a. 767., ut ex Reginone, Adone, et Eginhardo in Chron. constat. Graecos enim inter et Latinos ibi narratur proposita quaestio et ventilata, *utrum Spiritus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio, et de sacris imaginibus* etc.: absque ut addatur, quid ibi sit decretum. Haud diu post Carolus M., cum Tarasii, Patriarchae CPol., haec verba legisset, in actis Syn. Nicaenae II., *Spiritum ex Patre per Filium procedere*, illud reprehendit, et refutavit, in libris de *Imaginibus*. Sed Hadrianus I. Papa in epist. responsoria, cujus memini superiore seculo, defensionem phrasios suscepit. Ex quo, Ecclesias hac parte nondum fuisse divisas, licet diversis uterentur phrasibus, manifestum est.

§. CCCXXX. Attamen majoris divisionis fundamenta ipsis illis sec. VII. et VIII. jacta sunt. 1. Graeci nonnulli phrasin *per Filium*, non ad aeternam Spiritus S. processionem, sed ejus manifestationem per Filium factam, referre coeperunt, licet communis nondum fuerit eorum fides. Confessio Macarii Antiocheni, Monothelitae, in actis Syn. VI., habet: *et in Spiritum S. a Patre procedentem*, καὶ δι' υἱοῦ πεφηνὸς, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις, *et per Filium micantem, scilicet hominibus*. Quae verba etiam reperiuntur in confessione, quae nomen Gregorii Thaumaturgi sec. III. praefert, sed vere est Apollinarii, ut observavit quoque Lequien diss. Damascen. I. §. 3., addit quidem, voces *scilicet hominibus* postea fuisse a Monothelitis adjectas, sed, quod obser-

vo, comparent quoque apud Johann. Damascen. de Trinit. Oper. t. I. p. 475. Praeterea testimonia, ab Hadriano l. cit. prolata, nihil aliud maximam partem probant, ac Spiritum S. hominibus concedi per Filium.

§. CCCXXXI. 2. Sed ad motus concitandos in primis multum contulit, quod Latini non tantum confessionibus suis, sed et Symbolo CPolitano inseruerint vocem *Filioque*, jam initio sec. VII. Primi illud fecisse videntur Hispani, quo tempore Gothi, sub Reccaredo Rege, fidem Catholicam in Synodo Toletana III. a. 589. professi sunt, ubi Symbolum non tantum CPol. cum hoc additamento ex Patre *Filioque* recitatur, sed et ipsum dogma illud sub anathemate sancitur, praescripta etiam Symboli cum ea additione recitatione in Ecclesiis Hispaniae et Gallaeciae. Quod postea in aliis Synodis est repetitum. Videntur vero Hispani inter alia eo adducti per Symbolum Athanasianum, Athanasio quidem falso adscriptum, sed sec. VII. jam sub ejus nomine vulgatum per illas Ecclesias. Hispanos in eo sunt Galli imitati, jam aliquandiu ante Synodum Francoford. a. 794. habitam, ut ex verbis Paulini in Synodo Forojuliens. a. 791. patet, quibus dicit, *propter eos, qui susurrant Spiritum S. solius esse Patris, et a solo Patre procedere, additum esse, qui ex Patre Filioque procedit.* Quod quando fuerit in Gallia factum, non constat. Denique Sec. IX. reliquae nationes regni Francici Symbolum illud cum hoc additamento receperunt, et ad Bulgaros cum Euangelio transtulerunt; unde haec variatio ad Photii aures pervenit, et oppositionum ejus dedit occasionem, ut ipse narrat epist. II. Attamen Ecclesia Romana illud ante sec. XI. non admisit. De quo vid. Lequien l. cit. Utique cum quaestio ea de re hoc sec. IX. esset mota, et in concilio Aquisgran. a. 809. decretum illud additamentum, Leo III. Papa fortiter restitit, nec admissum est in Ecclesia Romana; ut ex colloquio Legatorum Synodi, Romam missorum, cum Leone, patet. Descripsit illud colloquium Smaragdus Abbas S. Michaelis

S. Michaelis in Lotharingia, et exstat apud Sirmond. concil. Gall. tom. II. Ceterum Leo rem ipsam quidem agnovit, sed Symbolo noluit inseri. Quod etiam observavit Mabillon. Mus. Ital. t. II. p. 44. Noluit autem, quod notatu dignum est, quia antiquitus in eo non fuit, nec articuli Symboli sunt nimis multiplicandi. Salutare profecto monitum!

§. CCCXXXII. Hinc vero gravissimi sunt motus orti inter Latinos et Graecos, qui primum censentur a Johanne Hierosolymitano, deinde a Photio, suscitati. Monachi quidam Latini, cum a Johanne Monacho Graeco Hierosolymitano, cum Johanne Damasceno non confundendo, haeresios accusarentur, et vexarentur, quod in confessione haberent Spiritus S. processionem ex Patre Filioque, ad Leonem Papam hac de re scripserunt, qui in litteris responsoriis, a Lequien l. cit. editis, confessionem Ecclesiae Romanae cum illo additamento misit, simul Carolum M. de eo certiorem fecit, qui eam ob causam Synodum convocavit Aquisgran. a. 809., in qua ipsius Symboli CPol. additamentum est sancitum, et ad Papam per Legatos missum, sed ab eo adprobatum non est, ut modo narravi. Motus tantum quod sopitos resuscitavit Photius, qui, cum illud additamentum confessioni, a Latinis inter Bulgaros vulgatae, esse insertum, intellexisset, epistola ad Orientis Patriarchas data, quae superest inter ejus epistolas, ordine *secunda*, contra illud fuse disputavit, eaque ratione quasi classicum cecinit. Edidit praeterea contra hoc dogma, aliosque Latinorum mores, tractatum, cujus fragmenta passim reperiuntur in Operibus Leonis Allatii. Imo Michaeli Inperatori, et Basilio Caesari, autor fuit, ut decretum de fide, contra *illa* capita, emiserint: quod multis refutavit Ratramnus, Corbeiensis Monachus. Protulit denique Photius epistolam, tanquam a Johanne VIII. conscriptam, in qua Latinorum dogmati nota inuritur blasphemiae, sed quo ipsa, quod et aliunde patet, epistola illa demonstratur ficta.

§. CCCXXXIII. Hiſtoria breviter enarrata, qua ratione utrinque fuerit diſputatum, non fuerit inutile expoſuiſſe Graecorum agmen inſtruxit Photius locis citatis, et Latinorum, praeter acta Synodi Francoford., Theodulfus Aurelianenſis, de quo ad ſec. praecedens egi, Ratramnus l. cit. ac Aeneas, Pariſienſis Epiſcopus, qui adverſus 10 objectiones Graecorum ſcripſit a 868., in Spicilegio Dacheriano tom. I. Miſſis Patrum teſtimoniis, quae in utramque partem produxerunt, Photius pro Graecis, et Theodulfus pro Latinis, rationes Graecorum fuerunt. 1. Effatum Domini Joh. XV. *Spiritum a Patre procedere*, 2. diverſa in Trinitate ſtatui principia Patrem et Filium, ſi ab hoc quoque ſit Spiritus. 3. Proprietates characteriſticas perſonarum confundi, ſi et Filius habeat vim emittendi, quae Patri eſt propria. 4. Duo tunc habere principia Spiritum S., Patrem ſcilicet et Filium. 5. Denique, Spiritum longius a Patre diſtare, quam Filium, ſi ſit a Patre Filioque. Latini vero e contra urferunt, 1. varia Script. S. dicta, quibus Spiritus dicitur a Filio mitti, et ab eo accipere omnia, ejus etiam eſſe Spiritum. 2. ordinem naturalem inter Filium et Spiritum S. ſibi non conſtare, ſi hic non ſit ab illo, cum ejus ordinis fundamentum ſit origo. 3. Locum quoque habere non poſſe, ſine originis intellectu, diſcrimen perſonarum, quo una non ſit alia. Denique 4. unitatem naturae, quae in Patre et Filio eſt, requirere unitatem actionis ſpirantis, cum haec vis ſit naturae proprietas. Ex quo etiam rationibus Graecorum occurrerunt, quia non ſunt duo principia Pater et Filius, ſed unum, per unam eandemque actionem ſpirantem, utrique perſonae communem. Plura qui hac de quaeſtione deſiderat adeat, praeter notiores, Natal. Alex. diſſ. XVIII. ad hoc ſec., et Petavium Dogm. Theolog. de Trinitate l. VII Lequien Diſſ. Damaſcen. I., et Pithoeum ad calcem cod. Canonum Romanorum.

§. CCCXXXIV. 3. Viguit quoque circa Trinitatem inter ipſo

ipsos Latinos singularis controversia, agitata inter Hincmarum ab una parte, et Ratramnum ac Godschalkum ab altera, num recte dicatur *Trina Deitas*: sicut ultima strophe hymni, in plurium martyrum solemnitate cani soliti, habebat, *te*, *Trina Deitas*, *unaque*, *poscimus*. Hincmarus phrasin damnavit tanquam haereticam, quae Arianismum sapit, defendit Ratramnus in epist. ad Hildegarium, Meldensem Episcopum, nec non Godschalkus in aliqua schedula, simul contendentes, a Sabellianismi suspicione liberari non posse, qui negarent. Opposuit vero iis Hincmarus librum de *non trina Deitate*, et blasphemiae notam, pro solito zelotarum more, contrariae inussit opinioni. Ceterum in hymno martyrum, quem recenset Manguinus in dissert. histor. et Chron. Godschalkana c. 45. antiquitus fuit, *te Trina Deitas*, sed post hanc controversiam, incertum quando et a quo, invaluit, *te summa Deitas*; ut idem ibid. observat. Sed in hymno, a Toma Aquinate deinceps edito, *trina* occurrit *Deitas*, uti et in hymno Martyrum, tempore Urbani VIII., adeo ut inter Latinos fuerit phrasis facta progressu temporis communis, et Trina Deitas intelligitur, quatenus *tribus* est communis, Vid. Petavius l. cit. l. VIII. c. 9.

§. CCCXXXV. 4. Missa quaestione de nativitate Christi *ordinaria*, an *extraordinaria*, cujus notitiam dedi in vita *Ratramni*, ad Godschalkanam venio de *praedestinatione*, *gratia*, et *amplitudine mortis Christi*, quae hoc seculo acerrime est agitata, et doctores in partes scidit inter Latinos. *Gotheschalcus* (quasi dicas *Servum Dei*, Schalk enim servum denotat in lingua Germanica) monachus fuit Orbacensis in paroecia Suessionica, sub Bavone Abbate, ubi etiam, sicut antea in monasterio Augiae divitis, sub Totone Abbate, institutus est, et praecipuam Augustini libris operam inpendit, unde suas etiam hausit opiniones. Arcta ipsi fuit cum Lupo Ferrariense amicitia, teste hujus epist. 30., et cum Walafrido Strabo, qui carmen ipsi cecinit gratulatorium,

apud Canisium in Antiq. Lect. t. II. p. II. Dein Presbyter a Rhemensi Chorepiscopo, adeoque alterius dioeceseos, et contra canones, factus, sese Romam devotionis ergo contulit, indeque per varia loca, ut euangelium Barbaris et Paganis adnunciaret, vagatus est, simul opiniones suas de praedestinatione disseminavit. Quae primum innotescere coeperunt, cum in domo Eberardi, unius ex praecipuis Lotharii Regis Optimatibus, in Italia versaretur, et cum Notingo de *gemina praedestinatione* habuisset collationem; ut refert Hincmarus de Praedestin. cap. 2. Qua re vulgata, litteras ad Comitem dedit Rabbanus Maurus, Episcopus jam Moguntinus, quibus effecit, ut domo Comitis excedere debuerit Gothescalcus. Exstant litterae apud Ughellum, Italiae S. tom. III., p. 608.

§. CCCXXXVI. Variis dein Germaniae partibus peragratis, cum venisset Moguntiam, mox coacta Synodo Moguntina a Rabbano, a. 848., est damnatus, una cum libro, quem ipsi et Synodo obtulerat; simul ad Hincmarum Rhemensem, ad cujus paroeciam pertinebat, missus est, ut occluderetur, et male sanas opiniones spargere prohiberetur. Vid. Hincmar. l. cit. c. 2, et 5. Habuit quoque Hincmarus mox anno seq. 849. Synodum Carisiacensem, in Carisiaco palatio ad Isaram fluvium, cui diversarum Galliae Belgicae Ecclesiarum Episcopi interfuerunt. In qua non tantum rursus est damnatus, sed et sacerdotio depositus, et flagellis, secundum ordinis regulam, caesus, ac, teste Remigio, crudeliter tractatus, libros quoque cremare jussus, denique in carcerem Ecclesiasticum detrusus, in quo totos annos 21 exegit, usque ad a. 870. Sed carcerem fuisse tolerabilem testatur Hincmarus epist. ad Egilonem, Archiepiscopum Senonensem, opusc. XXIV. Hincmari. Remigii, vel Ecclesiae Lugdunensis, in lib. *de tribus Epistolis* cap. XXV. verba, de hac inhumana Godschalki tractatione, valde memorabilia sunt. *Quare illud prorsus omnes non solum dolent, sed etiam horrent: quia inaudito irreligiositatis et crudelita-*

crudelitatis exemplo, tamdiu ille miserabilis flagris, et caedibus trucidatus est, donec (sicut narraverunt nobis, qui praesentes aderant) accenso coram se igni, libellum, quo sententias scripturarum, sive sanctorum Patrum, sibi collegerat, quas in concilio offerret, coactus est jam pene emoriens suis manibus in flammam projicere, atque incendio concremare. Cum omnes retro haeretici verbis et disputationibus victi atque convicti sunt etc. Scripsit autem in carcere duplicem confessionem, unam breviorem, alteram prolixiorem, et Hincmari confessioni constanter recusavit subscribere. In quo cum usque ad mortem constanter perstitisset, communione et sepultura Ecclesiastica post mortem privatus, et privatam nactus est sepulturam. Vid. Hincmarus in libro de *non trina Deitate.* Scribit quidem Trithemius in vita Rabbani, Godschalkum in Synodo Moguntina cecinisse palinodiam, sed illud falsi convincitur ex Sigeberto in Chron. non tantum, verum ex ipsa epistola Rabbani Synodica ad Hincmarum. Perseveravit quoque summa cum fiducia in sententia sua, adeo ut frustraneam non tantum in eo, jam incarcerato, convertendo operam inpenderit Hincmarus, sed et omnes vexationes patienter tulerit, imo ad ipsum Dei judicium, pro pessimo seculi more, provocaverit, sive ad aquae et olei ferventis examen. Optat utique in *confessione sua* apud Usserium in hist. Godschalk., *ut, quatuor doliis, uno post unum, positis, atque ferventi singillatim repletis aqua, oleo pingui, et pice, et ad ultimum accenso copiosissimo igne, liceat mihi, invocato gloriosissimo nomine tuo, ad adprobandam fidem meam, in singula intrare, et ita per singula transire.*

§. CCCXXXVII. Scissae fuerunt ab eo tempore Ecclesiae Gallicanae causa harum quaestionum, quae magnis animorum motibus, acsi salus Ecclesiae inde penderet ac animarum, a Doctoribus et Synodis pro, ut dicitur, et contra, ventilatae sunt. Duplice Godschalki confessione in lucem emissa, et Hincmari opusculo ad *reclusos* et simplices dioecesios Rhemensis, illis confessionibus opposito, vulgato;

alii Godschalki defensionem susceperunt, ut Ratramnus Corbeiensis, Prudentius Trecensis, et Lupus Ferrariensis, alii refutarunt, ut Amalarius, et Johannes Scotus; sed Scoti propositiones rursus refellerunt Prudentius, et Florus Magister. De quibus omnibus supra egi. Contra Godschalkum rursus scripsit Amolo, Lugdunensis Archiepiscopus, missa ad eum epistola, et Hincmarus, scripta ad Amolonem epistola, nec non Pardulus, Episcopus Laudunensis, qui epistolis suis adjunxerunt epistolam Rabbani ad Nothingum. Quibus tribus epistolis, in conventu Lugdunensi expositis, respondit, nomine Ecclesiae Lugdunensis, Remigius, Episcopus Lugdunensis, qui Amoloni successerat. Gallia hac ratione perturbata, Synodus Carisiacensis altera est a Carolo Calvo convocata a. 853., in qua celeberrima illa quatuor capitula, quae in vita Hincmari exhibui, condita sunt contra Godschalkum, sed quibus mox alia quatuor opposuit Prudentius, ad Synodum, in causa ordinationis Aeneae Parisiensis convocatam. Remigius quoque Lugdunensis ea cum Ecclesiae suae studiosis excussit, et refutavit a. 854., edito libro *de tenenda veritate Script. S.* Godscalki causae etiam est patrocinata Synodus Valentina, jussu Lotharii coacta, a. 855. cui quatuordecim Episcopi, Lugdunensis, Viennensis, et Arelatensis dioecesium interfuerunt: in qua varii sunt conditi canones, quorum sex ad Scoti et Godscalki quaestiones pertinent. Quos sex canones deinceps recepit, et confirmavit Synodus Lingonensis a. 859., et eodem anno Tullensis apud Saponarias, ipse quoque Nicolaus Papa, teste Prudentio in Annal. apud Hincmarum in epist. ad Egilonem, qui subjungit, se illud de Nicolao *per alium non audivisse, nec alibi legisse.* Contra quae capitula Hincmarus postremum scripsit opus de *Praedestinatione* a. 860, quod integrum superest.

§. CCCXXXVIII. Historia narrata, ad ipsam controversiam in vera sua luce collocandam accedo, ex Veterum Monumentis supra, suis locis, citatis, in primis, quod ad God-

schalki

schalki hypotheses adtinet, ex ipsius confessionibus apud Usserium et Manguinum, nec non fragmentis quibusdam ex libro de praedestinatione, et chartula professionis, Rabbano a. 848. oblata, quae servavit Hincmarus Oper. tom. I. Ex Recentioribus consulendi, et conferendi, sunt Usserius Hist. Godscalkana, Manguinus in collectione Vet. scriptorum sec. IX. de *praedestinatione et gratia*, et Norisius in Chronica Synopsi Oper. tom. IV., qui Godschalkum ab Augustini non discessisse sententia contendunt, praeterea Natalis Alex. differt. V. ad sec. IX. et X. Vossius hist. Pelagian. l. VII. p. IV. Sirmondus in historia Praedestinatiana, ne alios memorem, qui eum ulterius processisse disputant. Controversia, quam Hincmarus, ejusque fautores, habuerunt cum Godschalko, ab altera, inter Hincmarianos et Remigianos ex illa nata, de quo mox adcuratius, probe distinguenda, circa Praedestinationem, liberum arbitrium, et amplitudinem mortis Christi versata, originem suam repetiit, vel ex perverso intellectu opinionum Godschalki, vel ex prava ipsius Godschalki explicatione. Cum enim Augustini et Fulgentii hypotheses contra Semipelagianos alte inbibisset, et continuo urgeret, praedestinationem aeque dari ad mortem, ac ad vitam aeternam, neminem salvari velle Deum, ac qui salvatur, liberum arbitrium ad bonum nullum esse, sed gratiam Dei et velle et perficere operari, denique Christum pro solis credentibus et salvandis esse mortuum: haec capita primum Rabbanus, dein Hincmarus, et alii, sensu Praedestinatianorum ab ipso intelligi, et proponi, censuerunt, adeoque puram putam esse haeresin Praedestinatianam; de qua ad sec. V. exposui: acsi Deus ad malum, non tantum physicum et poenale, sed et morale, ac peccatum, praedestinasset homines, adeoque autor esset peccati, praeterea ejusmodi praedestinatio introduceretur, quae necessitatem adfert pereundi, adeo etiam, ut nec bona opera ad vitam, nec mala ad mortem, aliquid facerent, nec praedestinatus ad vitam peccando ea excidat, nec ad mor-

tem praedestinatus eam per bona opera queat evitare. Praeterea liberum arbitrium putarunt penitus ab eo tolli, ita ut sine gratia non tantum sit ad bonum ineptum, sed ne quidem per eam aliquid valeat, et sola gratia operetur; denique Christum ita pro solis salvandis esse mortuum, ut nullo sensu pro reliquis, ne quidem baptizatis, et regenitis, qui non perseverant, mortem obiisse dici queat, adeoque Deum nullo respectu censeri posse velle salutem eorum, qui non salvantur. Hunc in modum contra Ipsum disputarunt ejus adversarii, Nothingus Episcopus Veronensis, seu Vercellensis, Rabbanus in epist. ad eum et Eberardum Comitem, Hincmarus variis in tractatibus et Epistolis, Amolo Episcopus Lugdunensis in epist. ad Godschalkum, et Joh. Scotus. Eodem etiam nomine in Synodis Moguntina ac Carisiacense damnatus est.

§. CCCXXXIX. Sed fueritne haec vera Godschalki sententia, haud una est dubitandi, quin negandi, ratio. 1. Saepe professus est, se Augustini et Fulgentii opinionibus presse inhaerere: a quo in Fulgentium studio censetur *Fulgentii* epitheton accepisse, licet alii inde derivent, quod prae aliis visus fuerit *fulgere* ingenio et litteris. 2. Ecclesia Lugdunensis diserte testatur, sibi tales ejus opiniones non innotuisse, nec se credere eas ab ipso esse profectas. 3. Denique, quod majoris est, in confessionibus ejus, modo memoratis, talia non tantum non reperiuntur capita, sed nonnulla contraria. Confitetur enim in illis *a.* se praedestinationem ad vitam et mortem quidem credere, sed non ad peccatum, esse vero ad mortem ex praevisa incredulitate, et peccato, et propter eam fieri, ac in ea fundari; ad vitam vero esse absolutam praedestinationem, cum *gratia* ad salutem ipsis fuerit absolute decreta. *b.* Deum nolle servare eos, quos praevidit non credituros, et propter incredulitatem eorum *c.* adeoque pro iis Christum non esse mortuum, qui non crederent, quosque Deus praevidit non esse credituros. Haec licet ita sint, testatur tamen 1. Amolo, sibi

eas hypotheses Praedestinatianas ex ipsis Godscalki scriptis innotuisse. Sed potuerunt fictititia esse scripta, ut contendit Mauguinus l. cit. c. 23., vel et interpolata, aut male intellecta, aut in perversum detorta sensum; uti haud raro in ejusmodi litibus Theologicis contingere solet. Ipse Amolo dicit, scripta alia a Godscalko, alia ipsi ab aliis missa esse, tanquam a Godschalko profecta. 2. Ipsa Ecclesia Lugdunensis, in libro de tribus Epist. c. 24. in Godschalko reprehendit levitatem, temeritatem, et inportunam loquacitatem, et de eo dubitanter loquitur, num talia sit opinatus, sicut et Florus, se de eo dubitare, adserit. Prudentius de Praedestin. contra Scotum c. I. dicit, *utrum hoc, vel quare, dixerit* (Godschalkus) *ipse viderit, nos, destinatione Dei ad aliquid necessitate inpelli, vel, sicut a multis dicitur, fataliter cogi, neminem credimus, et confitemur*, etc. Potuit itaque esse, ut nimio suo studio, et inconditis phrasibus, justam dederit ansam, tale quid de ipso suspicandi.

§. CCCXL. Ex hac disputatione fuit altera nata inter Godschalki adversarios et patronos, quorum illi *Hincmariani*, et hi *Remigiani* adpellati sunt. Cum enim Hincmariani praedestinationem tantum ad *vitam* statuerent, Deum *omnes* velle salvari, et Christum pro omnibus, nemine excepto, esse mortuum, tenerent, Remigiani eas hypotheses, tanquam Semipelagianas, ac Augustino contrarias, traduxerunt, iisque sequentes opposuerunt. 1. Praedestinationem ad mortem aeque esse ac ad vitam, licet ad mortem ex praevisa incredulitate, nec ad incredulitatem. 2. Christum pro solis credentibus esse mortuum, et non pro illis, qui non crediderunt, credunt, aut credituri sunt. 3. Deum nullos velle servari alios, ac qui actu ipso salvantur. 4. Liberum arbitrium ad nihil valere, nisi gratia praeveniente, et adjuvante. Quas theses Hincmariani pro Praedestinatianis habuerunt, et eo respectu rejecerunt. Quae controversia cum per undecim annos ultro citroque, ingente cum animositate, esset agitata, ab anno scilicet 848., quo Godschalkus est a

Rabbano damnatus, usque ad a. 859., quo ad Synodi Valentinae decreta respondit Hincmarus, sopiri coepit, auctoritate Caroli Regis, accedente adcuratiore et moderatiore controversiae explicatione.

§. CCCXLI. Etsi enim ab invicem longius viderentur discedere, propius tamen aberant quam in principio, et in fervore disputandi, existimatum fuit. De quo paulo explicatius est agendum. 1. Hincmariani carpebant in Remigianis, quod, praedestinationem ad interitum statuentes, Deum fecerint causam exitii eorum; quia vox praedestinationis, secundum ipsos, efficacem Dei operationem denotabat: sed Remigiani nil nisi decretum per illam intelligebant, quod praeterea in praescientia, et praevisione, incredulitatis fundarunt. Notabilia sunt verba Remigianorum in lib. Ecclesiae Lugdun. de *tribus Epistolis*, cap. XLI. *Quaeritur in praesenti disputatione illud, utrum inpios Deus et iniquos praedestinaverit ad ipsam inpietatem et iniquitatem, id est, ut inpii et iniqui essent, et aliud esse non possent. Quod nullus omnino moderno tempore dicere, vel dixisse, invenitur. Quod est utique inmanis, et detestabilis, blasphemia, ut Deus sua praedestinatione quasi autor sit inpietatum, et iniquitatum aliquos iniquos et inpios esse coegerit: sed illud potius quaeritur, utrum eos, quos veraciter omnino praescivit, proprio vitio inpios et iniquos futuros, et in suis inpietatibus atque iniquitatibus usque ad mortem perseveraturos, justo judicio suo praedestinaverit aeterno supplicio puniendos.* A quo haud longe aberant Hincmariani, qui, Deum poenam praedestinasse peccatoribus, agnoscebant. Tantum Lupus non videtur praedestinationem ex praescientia derivasse, cum ep. 128. exponat de voluntate Dei, nonnullos gratia non liberantis, sed relinquentis in peccato, et damnatione; sic et ep. 129., ubi id parvulos quoque extendit. Remigiani vicissim in Hincmarianis carpebant, quod praedestinationem ad vitam ex praescientia derivantes, uti in capitulis Synodi Caris. II. fecerant, illam in praevisione meritorum fundarint, exclusa gratia,

tis, quasi ex semetipsis bonos praesciret Deus, uti diserte declarat Remigius, quare Synodus Valentina definivit, Deum *praescisse per gratiam bonos futuros.* Hincmariani vero praevisionem meritorum non admiserunt, sed idem quod Synodus Valentina. Utrinque itaque statuebatur praedestinatio ex praescientia ad vitam, et praescientia peccati ac incredulitatis, causae mortis, ut et praedestinatio poenae peccatoribus. Tantum Hincmariani noluerunt praedestinationem ad mortem dicere, ne duplicem admittere videantur praedestinationem, unam ad vitam, alteram ad mortem. Quae itaque aliqualis erat logomachia.

§. CCCXLII. 2. Hincmariani adversariis inputarunt, quod necessitatem pereundi in illis, qui pereunt, inferant, et liberum arbitrium in salvandis tollant per gratiae doctrinam, adeo ut sola gratia operetur. Sed illud diserte negarunt Remigiani, et damnarunt, quia praedestinati ad mortem sunt, quos Deus non credituros praevidit, non quod non possint credere, sed nolint: praedestinatus vero ad vitam credit per gratiam praevenientem et adjuvantem, sed quae liberum arbitrium relinquit salvum. Remigiani rursus, adversarios gratiam inminuere, vel tollere, censuerunt, quod Hincmariani negarunt, cum agnoscant gratiam, et necessitati ac coactioni tantum obviam eant. Rabanus de *universo* L. IV. cap. 10., ut ejus notabilia verba tantum proferam, dicit, *initium salutis nostrae, Deo miserante, habemus, ut acquiescamus salutari inspirationi, nostrae potestatis est,* — — — *ut non labamur adepto salutis munere solicitudinis nostrae est, et coelestis pariter adjutorii, ut labamur potestatis nostrae est et ignaviae.* 3. Quod ad quaestionem adtinet, num Deus omnes velit salvari? Hincmariani, qui illud adfirmabant, Deum illud absolute et efficaciter velle non statuerunt, et Remigiani, qui id negarunt, Deum, qua creatorem bonum, omnes velle salvos, non sunt inficiati, sed tantum qua justum Judicem nolle inpoenitentes salvari, nec eos ad salutem velle efficace voluntatis actu compellere. Carpebant

itaque alii in aliis, quod non ſtatuerunt. *Velle* **ſalvare Hinc**marianis erat antecedens et conditionatum velle, **Remigia**nis vero efficax et abſolutum, quare illi Deum ajebant omnes velle ſalvari, hi vero illos tantum, qui ſalvantur. Quaeſtio itaque tantum ſupererat de vero phraſium Script. S. intellectu, quibus declaratur, Deum *velle omnium ſalutem*. Remigiani eas de omnis generis hominibus interpretabantur vel neminem ſalvari, niſi cujus Deus miſeretur, vel Deum illum in credentibus ſuſcitare adfectum charitatis proximi, quo id velint. Interea admittebant 1. illud de bonitate Dei, qua Creatoris, univerſali, intelligi poſſe, 2. tolerabant eos, qui ad omnes omnino homines extendebant. Vid. liber Eccleſiae Lugdunenſis de tribus Epiſtolis, cap. XI. Denique 3. eadem ratione de amplitudine mortis Chriſti diſputarunt. Hincmariani tenuerunt, Chriſtum pro omnibus, etiam qui non ſalvantur, eſſe mortuum, ſed pro credentibus tantum, Remigiani; ſed ita, ut *illi* fructum mortis Chriſti non negarint ad credentes et ſalvandos tantum pertinere, nec *hi* inficias iverint, mortem Chriſti omnibus ſalutem ſufficienter inpetraſſe, ut poſſint, ſi modo velint, ſalvari, imo admiſerint, omnes redemiſſe baptizatos, licet poſtea deficiant, et pereant. Lupus ep. 128. dicit, ſolos intelligi fideles, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, ſive in gratia permanſuros, ſive ab ea ſuo vitio receſſuros. Remigianis praecipue aegre erat, Chriſtum et pro illis dici mortuum, qui jam erant defuncti et damnati: uti patet ex Remigio et Synodo Valentina. Sed Hincmariani illud alio non intelligebant ſenſu, ac Chriſtum eorum peccata in ſe ſuſcipere voluiſſe, ut pro iis ſuo tempore moreretur, vel iis redemtionem, ſuo tempore efficiendam, obtuliſſe.

§. CCCXLIII. Ex diſputatis, ni fallor, eluceſcit, divortium ſententiarum non tam reale fuiſſe, quam verbale, et circa methodum maxime phraſium Script. S. explicandarum, et fidei exprimendae, nec ejus fuiſſe naturae, ut ſe invicem in charitate non potuerint tolerare. Quare Remigius mutuam

tuam tolerantiam ſaepe inculcavit, nec non difficiles illas quaeſtiones eſſe vitandas. Cui conſentit Lupus epiſt. 129. In Eccleſiae Lugdun. libro, modo citato, caput XX. his verbis finitur. *Nulla ergo contentione pro aliis adverſos alios litigetur: non una ſententia pro altera damnetur. Et quia vere fieri poteſt, ut ignorantiam et inperitiam noſtram in hac re aliquid lateat, nihil temere definiatur, ut, quolibet acquieſcat modo, non ſit haereticum, niſi contentione haereticum fiat.* Quibus ultimis verbis, ad eorum illuſtrationem, ſubjungit eadem Eccleſia in lib. *de tenenda veritate Scripturae*, cap. 12. *nam qui non tranquille et pacifice moderatur, quod ſenſit, ſed ſtatim paratus eſt ad contentiones, diſſenſiones, et ſcandala, etiamſi non habeat haereticum ſenſum certiſſime habet haereticum animum.* Praeterea et illud obiter obſervetur, Remigianos inter et plurimos Contra-Remonſtrantes, ut adpellantur in oris noſtris, perfectum non eſſe conſenſum, cum Remigiani 1. praeſcientiam pro praedeſtinationis principio habuerint. 2. Baptizatos cenſuerint eſſe fideles, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, eoſque deficere et perire poſſe. 3. Eos, qui pereunt, non perire, quod non poſſint, ſed nolint credere, ſtatuerint, nec non 4. Deum, qua Creatorem, velle omnium ſalutem, et Chriſtum pro omnibus ſufficienter eſſe mortuum. Ne dicam, eos voluiſſe, ut diſſentientes ſe mutuo in charitate et pace tolerent.

CULTUS.

§. CCCXLIV. In cultu Imaginum, cujus hiſtoria in Oriente et Occidente eſt ante omnia pertexenda, nihil fuit in Oriente innovatum, quandiu Irene primas tenuit in regno, nec aliquid actum, ea inperio mota, et Nicephoro in thronum evecto, niſi quod Iconoclaſtis libertas, ipſis per Synodum Nicaenam erepta, reddita fuerit, ut Scriptores Byzantini teſtantur, abſque ut Iconodulis ſeſe oppoſuerit Inperator, qui Nicephorum quoque, acerrimum Imaginum

 patronum,

patronum, constituit Patriarcham CPolitanum. Sed sub Michaele Curopalata caput rursus erexit Iconodulia per Nicephorum Patriarcham, cujus etiam suasu ad necem usque saevitum est in Manichaeos, Phrygas, seu Montanistas, Athinganos, qui in Phrygia consederant, et, praeter circumcisionem, observabant legem Mosis, ipsos quoque Iconomachos, tanquam illis haeresibus, ut traducebantur, infectos. Vid. Theophanes. Nicolaus denique eremita, propter abrasam imaginem Dei genitricis, lingua praecisa est occisus. Sed haec scena brevi est mutata, et bellum rursus imaginibus, earumque cultoribus, indictum sub Leone Armeno, qui successit Michaeli a. 813. De quo similis narratur fabula, ac antea de Leone Isauro, ipsi scilicet a pseudo-vate Sabbatio, una cum Filio, praedictum esse inperium 32 annorum, si aboleret imagines. Autor vero incertus historiae Leonis, Theophani subjunctus, refert, Leonem Armenum eo fuisse permotum ex fatorum infelicium Inperatorum, qui imaginibus patrocinati sunt, et felicium aliorum, qui eas inpugnarunt, adtenta consideratione. Cedrenus etiam refert, eum a Praefecto ordinis eorum, qui in palatio Psallerent, ad id excitatum esse occasione lectionis verborum Jes. XLIX., *cui adsimilabitis Dominum?* num opifex *effigiem faciet* etc. Adstans enim Inperatori dixit ipsi, *animadverte haec verba, ne te lateat veritas; amplectere hanc religionem, quam tibi vates dictat*, Vid. etiam Zonaras in Annal. l. XV. Quod animi propositum cum Inperator Antonio, metropolitae Sylaei, Pamphiliae civitatis, significasset, promisso Patriarchatu, si opem ferre vellet, ipseque consensisset, anathemate mox percussus est a Nicephoro Patriarcha in Synodo CPol. a. 814, cui 270 membra interfuerunt: uti narratur in epist. Synodica Orientalium aliquot Episcoporum ad Theophilum Inperatorem, apud Combefisium in *manipulo rerum* CPol. Qua de re quicquid sit, (Autor enim modo laudatus refert, Orthodoxos cunctos, Clericos, Monachos, et Laicos, vigilias per totam noctem

tem habuisse cum Patriarcha, deprecantes, ut Deus eorum consilium dissiparet; addit tamen, Episcopos et Monachos in Patriarchium convenisse, et imaginum cultum se tuituros promisisse,) cum Leo, habito cum Nicephoro et aliis colloquio, iconoduliam iis eripere non posset, Synodo coacta a. 815. confirmata est Synodus Constantini Copronymi contra imagines, simul decreta contra eas sunt cusa. Quo facto, imagines violari, diripi, et confringi non tantum coeperunt, sed et earum propugnatores, cum intoleranda vehementia id facerent, partim sunt in exilium missi, partim vexati variis modis, ad ipsam mortem usque. Inter quos eminuerunt Nicephorus Patriarcha, et Theodorus, ac Nicolaus Studita; de quibus supra dixi, Vid. Ignatius Diaconus in vita Leonis, Continuator Theophanis, Theosterictus in vita Nicetae hegumeni. Refert continuator Theophanis, permisisse Leonem Monachis *intra monasteria agere quicquid vellent*, *modo nec seditiosi forent*, *nec schismatici*, eaque moderatione multos fuisse permotos, ut a factiosis monachis discesserint, seseque Inperatori submiserint. Ex quo manifestum est, vexationem reliquorum inportuno eorum pro imaginibus zelo acceptam esse ferendam: cujus illustre exemplum est in Studita, qui turbulento plane fuit actus spiritu, ut ex ejus *vita* et *Litteris* patet. Vid. ex. gr. l. II. ep. 75. et 80., ubi Inperatorem indignissime tractat, et intolerandis conviciis traducit.

§. CCCXLV. Michael Balbus, ejus successor, eadem quidem tenuit vestigia, sed in initio moderatius instituit, imo in eo totus fuit, ut discidia e medio tolleret. Quo fini exules revocavit, et Synodum voluit haberi liberam, cui utriusque partis interessent: sed recusarunt iconoduli. Deinde silentium indixit, et utramque Synodum Constantini ac Nicaenam facessere jussit. Legatos quoque a. 824. ad Ludovicum Pium ac Romanos misit, ad lites componendas. Notabilis admodum est ejus ad Ludovicum epistola, cum legatione missa, qua horrendam Graecorum circa imagines superstitionem vivis depinxit coloribus. Dicit, inter

alia, imagines ubique in crucis locum esse statutas, lucernas coram iis positas, incensumque factum, eas esse adoratas, et ab iis petitum auxilium, eas infantum de baptismatis fonte susceptrices esse factas, colores de iis abrasos sacris inmixtos oblationibus, vel de earum manibus communicasse. Quibus enarratis declarat, se nihil aliud intendere, ac superstitiosum imaginum inhibere cultum, eumque in finem se eas in sublimioribus locis relinquere, de humilioribus tantum auferre, ut in initio fecerat Leo Isaurus. Addit tantum, de Christi Ecclesia esse removendos, qui ejusmodi *malignis inventionibus studerent.* Exstat haec epistola in actis Synodi Paris. a. 824. et in Constitution. Inperialibus Goldasti ad a. 825. tom. I., de quo postea. Cum autem omnes suos conatus frustra cadere intellexisset, iconoduli quoque vehementiores et turbulentiores fierent, usus est majore autoritate ac severitate in superstitiosis zelotis reprimendis. Vid. Georgius Monachus in ejus vita, et Constantinus Porphyrogennetus. Nec a decessorum tramite discessit successor ejus Theophilus a. 829. Prohibuit enim et ipse imaginum cultum severissime, imagines quoque a Patre relictas sustulit, iconolatras obstinatos et ferventiores carceribus, exilio, aliisque suppliciis, punivit. Inter exules sunt celebriores duo fratres Theodorus Graptus, et Theophanes historicus, quorum vultibus et pectori versus sunt inscripti, tanquam essent viri seditiosi. Vita Theodori exstat in *manipulo rerum CPol.* Conbefisii, cui nescio an per omnia fidendum sit; quippe iconoclastarum, et Imperatorum, maledico adversario. Habita denique est Synodus CPol. in Blachernis, quae adoratores imaginum anathemate feriit, a. 832.

§. CCCXLVI. Tandem tamen, post omnes hosce Inperatorum conatus, praevaluit causa imaginum, sedemque accepit fixam et durabilem, per Theodoram, viduam Theophili, cum summa rei penes ipsam esset, Filio Michaele adhuc minorenni. Theodoram, initio alienam ab ea

re,

re, eo fuisse a matre Theoctista, superstitiosa foemina, et per regni tutores, Theoctistum et Manuelem, avunculos ejus, minis additis nisi obediret, inductam, refert Cedrenus. Sed eam fuisse professam, se hanc rem semper in animo versasse, verum exsequi non ausam, tradit Curopalat., qui addit, sanitatem Manuelis, ipsi promissam, si imagines instauraret, fuisse restitutam. Quod etiam tradit Cedrenus, qui etiam haud obscure insinuat, Theodoram ab imaginum restitutione non fuisse alienam. Dicit enim, eam, sive *Manuelis minis perterritam*, *sive alias*, *ut diximus*, *dilectatam*, *se totam isti negotio dedisse*. Qua de re quicquid sit, imaginum cultores mox sunt ab exilio revocati, et earum adversarii depositi, et ejecti. Inter quos fuit Johannes, Patriarcha CPol., cui suffectus est Methodius, antea ob iconoduliam mulctatus exilio. Praeterea Synodus est celebrata CPoli a. 842. in *Canicleo*, seu cancellaria, aut secretario, S. palatii, cui praefectus erat Theoctistus. In qua confirmata est Synodus Nicaena II., cultus imaginum stabilitus, damnatis et anathemate percussis Iconoclastis: acta exstant in tomis Conciliorum. Ab hoc itaque tempore Synodus Nicaena II. autoritatem constanter tenuit in Oriente, iconodulia triumphavit in perpetuum. Photius eam in libro de Synodis laudavit tanquam oecumenicam VII*mam*, et Synodus anti-photiana, vulgo VIII., a. 869. anathemata pronunciavit multa in Iconomachos. Interea observandum est, Graecos non admisisse sculpta simulacra, statuas, sive sculptas, sive fusas, ἀνδριάντας, ἀγάλματα, ξόανα, γλυπτὰ, λαξευτὰς εἰκόνας, sed tantum, εἰκόνας γραπτὰς *imagines pictas*, sive ex coloribus, sive tessellis aut alia materia. Vid. Durandus, Mimatensis Episcopus, in *rationali divinorum officiorum*, qui etiam adserit, Graecos in eo cultu esse Latinis sequentium seculorum modestiores. Ceterum, quod non erat negligendum, imaginum cultus ad Armenos demum sec. X. transiit per Gregorium de Narka, de quo vid. La Croze hist. Eccles. Athiopiae et Armeniae l. IV.

§. CCCXLVII. Conferamus nos nunc ad Occidentis Ecclesias, et qua ratione imaginum cultus ibi viguerit, enarremus. In Germania et Gallia eadem hac parte doctrina, et praxis, continuavit, quae tempore Caroli M. stabilita fuit. De Germaniae Ecclesiis illud, praeter Annalistas et Historicos, testatur Walafridus Strabus de *rebus Ecclesiasticis*, cap. 8., illudque etiam constat ex Haymonis Halberstad., et Rabbani Mauri, libris. Imo testatur Nicetas Choniata in Isaacio Angelo a. 1188. lib. II: 3. apud Alemannos et Armenios Imaginum adorationem esse interdictam. De Galliae Ecclesiis res est manifesta ex conventu Parisiensi, a. 824., cujus acta etiam reperiuntur in *Constit. Imper.* Goldasti, tom. I. ad a. 825., genuinitatem vero praeclare vindicavit Dallaeus de *Imaginibus*, nec non ex Jona Aurelianense de *cultu imaginum*, Dungalo, et Agobardo Lugdunense in libro de *picturis et imaginibus*, qui nullam cultus religiosi speciem relinquit imaginibus, easque ob superstitionem non quidem inprobat e medio auferri, licet retineri posse in memoriam sanctorum concedat: imo nonnulla habet cum Claudio Taurinense, de quo mox, communia usque ad ipsa verba. Vid. Cl. Wesseling, qui autor est observ. in Symbolis Litter. Ikenii tom. III. p. II. Nonnulla ejus effata non possum quin hic legenda offeram, *Nemo se fallat*, inquit §. 31. — — *quicunque aliquam picturam, vel fusilem sive ductilem, adorat statuam, non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos, vel homines sanctos, sed simulacra veneratur. Agit hoc nimirum versutus et callidus humani generis inimicus, ut sub praetextu honoris sanctorum rursus per diversas effigies adoretur, ut avertat nos a spiritualibus, ad carnalia vero demergat*, etc. Rursus §. 32. *Habuerunt antiqui sanctorum imagines — — sed causa historiae ad recordandum, non ad colendum*, etc. Denique § 33. *Quae hujus erroris causa, fides de corde ablata, tota fiducia in rebus visibilibus conlocata*, etc. Postremo §. 35. *Nec iterum, ad sua latibula fraudulenta recurrat astutia, ut dicat, se non imagines sanctorum adorare; sed*

sed sanctos. Ex his monumentis clare elucescit, imagines quidem esse honorandas, sed non adorandas, aut externo religionis cultu venerandas, tantum non esse confringendas, aut violendas; sed in honore, ad memoriam refricandam, et pium excitandum adfectum, habendas. Hincmarus quoque in *libro 55 capitum* cap. 20. laudat Synodi Francoford. decretum, tanquam Scripturae et doctrinae Patrum consentaneum. Citari quidem solent ex eo loco haec ejus verba: *autoritate hujus Synodi* (Francoford.) *nonnihil repressa est imaginum veneratio, sed tamen Hadrianus et alii Pontifices in sua opinione perseverarunt, et, mortuo Carolo, suarum pupparum cultum vehementius promoverunt*, sed, quod Dallaeus l. cit. jam advertit, verba sunt Centuriatorum Magdeburg. et non Hincmari, ipsi inde temere inscripta. Interea addi meretur, Gallicanos Praesules, quamvis adorationem imaginum repudiarunt, eos pro idololatris noluisse haberi, qui inferiore cultus genere eas propter prototypa prosequuntur, modo non adorent, ut Deus adoratur. Sic diserte Jonas Aurelian. *nam et illi, qui, nimio et indiscreto amore ob honorem sanctorum, eorum imaginibus supplicant, nescio an temere idololatrae sint vocandi;* licet mox notam superstitionis ipsis inurat. Dungalus quoque Claudium reprehendit, quod Christianos, *ob cultum imaginum non indiscretum*, adpellaverit idololatras. De sanctorum quoque cultu ita fatur: *creaturam etiam Dei sanctam et bonam, hoc est, Angelum sanctum, vel hominem sanctum, vel sanctam crucem, pro diversitate dignitatum, adoramus et colimus, hoc est humiliter honoramus, diligimus, amplectimur, propter Deum et in Deo, longe dispari modo, quam illum colimus et adoramus.* Quod ad imagines etiam adplicat, eas eodem loco collocans cum cruce et reliquiis. Capitulum Theodulfi Aurelian. 22. hunc orandi modum praescribit fidelibus: symbolo fidei, quasi ejus fundamento, recensito, *dicat*, inquit, *quisquis tribus vicibus*, qui plasmasti me miserere mei, *et tribus vicibus*, Deus propitius esto mihi peccatori, *et compleat orationem Dominicam. Si ergo locus*

cus aut tempus exegerit, sic pergit, *deprecetur Sanctos, Apostolos, et martyres, ut pro eo intercedant: et armata fronte signo crucis, elevatis cum corde manibus et oculis Deo gratias agat.* etc. Concinit denique Paschasius Radbertus ad Matth. c. IV. ubi dicit: *adorari Deum propter se ipsum, ut Deum, satis decet, et serviri illi a creatura ut Creatori: angelum vero aut hominem venerari juxta quod expedit, non propter se ipsum, sed propter Deum, ut Deus in eis veneretur — — alioquin non sunt adorandi prorsus — — adhibendi quidem sunt in precibus, veruntamen non colendi, ut et ipsi quasi non adorentur.* Vid. etiam Wal. Strabus loc. cit. Rabanus instit. Cler. lib. c. 43. Elucescit praeterea ex Dungali libro, non Claudium solum se superstitioni opposuisse, sed et alios multos, et Ecclesiam fuisse hac parte divisam.

§. CCCXLVIII. Sed in Italia, quae ditionis erat Regum Francorum, ulterius processit Claudius Taurinensis Episcopus, qui ne ferre quidem in sua dioecesi potuit imagines, sed e Basilicis sustulit: unde ipsi iconoclastae nomen adhaesit. Opposuit sese praeterea aliis quoque superstitiosis ritibus, ut reliquiis et peregrinationibus: quare male audire solebat apud reliquos Galliae et Germaniae Praesules, qui *indiscretum zelum* adpellarunt, et eum refutarunt: ut supra in ejus vita observavi. In Italia vero, Romae subjecta, viguit iconodulia, teste epistola Synodi Parisiensis, ejusque legatione ac Ludovici ad Papam: ubi, inter alia, habetur, *Romae et in reliqua Italia pestem illius superstitionis partim veritatis ignorantia, partim pessimae consuetudinis usu inolevisse.* Denique in Hispania nullum adhuc iconoduliae occurrit indicium, nec in Elipando aut Felice illud notatum est, ex quorum tamen schola prodiit Claudius. Quid? quod Etherius et Beatus in lib. contra Elipandum sub fin. dicant, *Sancti Dii dicuntur, sed non coluntur, solus Christus dicitur Deus et colitur.* De Britanniae ecclesiis ad sec. superius idem observavi. Nusquam itaque, ut concludam, iconodulia in Occidente locum reperit, excepta Italia Romana.

§. CCCXLIX.

§. CCCXLIX. Interea continuavit, imo crevit, crucis, sanctorum, et reliquiarum superstitiosa plane veneratio in utroque orbe, etiam apud eos, qui ab imaginum cultu se profitebantur alieniores. Quam *religiosae* cruces pictae fuerint, ex eo etiam clarescit, quod litteris, promissa vel pacta continentibus, *cruces*, ad majorem certitudinem, fuerint praefixae. Leo Grammaticus dicit, Regem et Basilium fidem jurejurando dedisse, *venerabilibus factis crucibus subscribentes*. Quo etiam respicit Cedrenus in *hist. compendio*, p. 419., ubi Theophilum Inperatorem refert *crucem et litteras* Manueli misisse, ut hac fide data securus ad se rediret: unde perjurus, fide cruce firmata fracta, σαυροπάτης *crucis proculcator* adpellari suevit. Vid. etiam Joh. Curopalata p. 656., qui etiam p. 657. crucem symbolum νικητικώτατον adpellavit, quatenus ejus virtute hostes debellantur. Quare Inperatores, ad exemplum Constantini M., ἐν τούτῳ νίκα in signis erigere fuerunt soliti. De virtute signi crucis nonnulla etiam adtulit Amalarius, Metensis Diaconus, de Eccles. Offic. l. I. c. 14., qui mentem de adoranda cruce sanius tamen exposuit, inter alia his verbis: *quem deprecor, ipsum adoro; prosternor corpore ante crucem, mente ante Dominum; veneror crucem, per quam redemtus sum, sed illum deprecor, qui redemit.* Addatur, claves Petri, *argento fabrefactas, proponi adorandas*, teste Theodoro Studita serm. XV. in Bibl. M. P. tom. XIV., qui subjungit, *tanta est eorum religio.*

§. CCCL. De reliquiarum honore apud Gallos suffecerit citasse Ludovici sacram a. 834., de colligendis et transferendis S. Dionysii monumentis, quae superstitione scatet multiplice, apud Goldastum Inperial. tom. I. Fuit autem reliquiarum inventio ac translatio frequens admodum: de qua curiose et fuse egit Baronius in Annalibus. Eminent autem reliquiae Cypriani, Pentaleonis, Sebastiani, Marcellini, et Petri, in Galliam transvectae. Celebris in primis, et superstitiosae devotionis, ac miraculosarum sanationum, ple-

nissima est translatio corporis S. Martini Turonensis e Burgundia, ubi, tempore infestationis Danorum, degerat Antissiodori, Turonum a. 887., descripta ab Odone, Abbate Cluniacense, de quo postea, et in Bibl. M. Patrum tom. XVII. obvia. In qua narratione illud, inter alia, occurrit singulare, 1. quod, inpetratae sanitatis causa, pecunia fuerit Clericis oblata; unde, inquit autor, *tantus oblatae pecuniae excrevit cumulus, ut munerum quantitas excedens Antissiodorensibus Clericis* (inter quos tunc in alieno loco cubabat Martini corpus) *invidiae fomitem ministraret.* 2. Quod Martinus, Turonensibus redditus, inmensa sanationum gratia factus narretur celebris, supra ipsum Christum. Cum enim Christus fidem poposcerit, Martinus, inquit autor, *etiam non petentibus, etiam non accurrentibus, et, quod majoris clementiae est, etiam nolentibus subveniebat.* Concludit denique autor narrationem his notabilibus precibus, *Te igitur, bone Martine, pie pater, pastor, et patrone noster, nobis, obsecro, filiis et alumnis, nec non veneratoribus tuis, more tuo, bona confer, noxia submove, et orationum jugi instantia gaudia nobis vitae interminalis obtine, praestante Domino nostro Jesu Christo.* Reliquiarum Christi Martyrum, et Confessorum, quas, undequaque conquisitas, in Ecclesias suas Centulenses in Gallia transtulit Angilbertus, Abbas in initiis seculi, et Adalhardus, Abbas Corbeiensis in Gallia, in suum monasterium, inmensum catalogum qui scire velit, adeat autorem vitae ejus in Actis Benedictin. Mabillon. sec. IV. p. I. p. 108., nec non vitae Adalhardi in adpendice ibid. p. 353— Ceterum *erat seculum Ludovici Pii*, inquit Baluzius in epist. ad Mabillon., praemissa *libello de visione et obitu Wetini* Monachi Augiensis, in Actis Benedictin. Mabillon. sec. IV. p. I., *pronum ad pietatem, signorum ac miraculorum avidum, tum sacrarum reliquiarum comparandarum cupidissimum, visionum denique, ac revelationum, et amantissimum simul et feracissimum.* Ceterum notatu haud indignum est, sanctorum corpora ante seculum VII. loco moveri et transportari quidem

dem non fuisse insolitum, sed dein in desuetudinem venisse a tempore Gregorii M., praetextu nimiae eorum sanctitatis, et abusuum, cum in commercium venirent, deinceps sec. VII. frequentiores factas esse translationes, nec tamen membratim fuisse distracta, aut altaribus inposita corpora, uti deinceps, etiam hoc seculo, ut mox notabo, in morem transiit, sed sub altari, vel subtus apsidem recondita. Vid. Mabillon. praefat. ad sec. III. Benedictin. §. IV., qui etiam non neglexit adnotare, solitos fuisse antiquos, si quid furti in oratoriis accidisset, ad rei amissae restitutionem, sanctos non tam oratione, quam pia, ut inquit, violentia adigere, sive ex. gr. altarium nudatione, sive luminum exstinctione, sive reliquias, aut imagines, sanctorum in terram aut spinas deponendo etc. Marci Euangelistae famosa est in urbem Venetorum translatio, quibus mox superaedificata est celebris illa Basilica S. Marci, Jacobi quoque majoris in Hispaniam, ubi postea surrexit Compostella in Gallicia, in episcopalem evecta dignitatem a. 1124., nomine ficto ex *Jacomo Apostolo.* Historiolam inventi corporis Jacobi, sub Alphonso casto, adcurate narravit Mariana, qui tamen fatetur, argumenta, quibus corpus Jacobi fuit agnitum, non esse memoriae prodita. Denique notetur, sanctorum reliquias jam super altare fuisse positas, quod antea erat insolitum, cum nihil super illud, praeter sacrificium, collocare fas duceretur, *quia mensa est Domini exercituum*, ut loquitur anonymus *de vita S. Servatii* Tungrorum Episcopi. Ratherius Episcopus Veronensis in *oratione Synodica* inquit, ex. gr., *super altare nihil ponatur, nisi capsae, aut reliquiae, aut forte quatuor euangelia, et buxida cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis.* Odo quoque Cluniacensis collation l. II. refert, S. Gualburgin indignatam, quod reliquiae ejus super altare per aliquot dies manserint, a miraculis faciendis propterea cessasse, simul cuidam ex infirmis adparuisse, eique dixisse, *idcirco non sanamini, quia reliquiae meae sunt super altare Domini, ubi Majestas divini mysterii debet solummodo*

celebrari. Denique, ut illud tanquam superstitionis, etiam fraudis, signum satis singulare subjungam, percrebescere coepit miraculosum, ut credebatur, sepulchri Domini Hierosolymis *lumen*, in eo situm, quod in ipso paschali sabbato sepulchri Domini *lampas* fuerit quotannis divinitus accensa. Cujus rei primus meminit Bernardus, Monachus Gallus, qui a. 870. Hierosolymam peregrinatus est, et se vidisse testatur, uti Malmesbur. gest. Reg. Anglorum l. IV. et Albericus in Chron. referunt. De quo miraculo alter quoque Monachus Gallus, sub Nicolao I. terram sanctam visitans, testimonium praebuit, cujus itinerarium edidit Mabillon. Act. Benedict. sec. III. Historiam hujus miraculi dedit, et varia ejus fata enarravit, fraudes quoque detexit, Cl. Moshemius Diss. ad hist. Ecclesiast. vol. II. Praeter alia miraculorum, etiam fraudis, detecta exempla, quae proferre possem, unum addere juvat, propter miraculi singularitatem, in castro Devionensi, apud Ecclesiam Benigni Martyris. Duo Monachi cum sancti cujusdam ossa, ex urbe Roma, vel ex aliis Italiae partibus, ut dicebant, ad Martyris illius Basilicam detulissent, et ingens hominum inde ortus esset confluxus, *coeperunt in ea Basilica quaedam miracula fieri*, verba sunt Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis in epist. ad Theoboldum Episcopum Lingonensem, ubi hujus rei occurrit narratio, etiam refutatio, in adpendice Agobardi edit Baluz. tom. II., *non sanitatum et curationum*, — — *sed percussionum et elisionum, quibus miserae mulierculae subito in ipsa orationis domo cadere et conlidi, et quasi vexari, viderentur, cum tamen in nulla corporis parte laesae adpareant, aut ulla plagae alicujus vestigia monstrari videantur.* Additur, *trecentas, seu quadringentas, aut eo amplius personas, dicto modo corruentes, et elisas, et perpaululum, velut recepto sensu, sanatas nullatenus a loco discedere potuisse, quia videlicet, si ad domos suas redire tentaverint, statim nova plaga percussae ad Ecclesiam, de qua exierant, redire compellantur.* Subjungit denique autor, non solum in Eccle-

sia

sia sancti Benigni, sed et *aliis* nonnullis in locis, similia contigisse.

§. CCCLI. Partes cultus religiosi expositurus, aliquid de usu linguae Latinae in sacris officiis praemittam. Animi enim tantopere singulari hoc praejudicio fuerunt occupati, et usus iste adeo jam invaluerat in Occidente, ut Hadrianus Papa, et Cardinales, cum, Cyrillum et Methodium, praecones euangelii in Moravia, genti conversae permisisse intellexissent, sacra officia lingua vernacula Slavonica celebrare, eos in initio increpuerint: nec Papa illud concesserit, nisi postquam ejus necessitatem demonstrassent Cyrillus et Methodius, ut in eorum vita apud Bollandum act. Sanct. Mens. Mart. narratur. Quod privilegium postea confirmavit Johannes VIII., teste epist. ejus ad Stentopulcrum, Comitem Moraviae a. 880. apud Baronium, et in concil. collectione Labbei: ubi tamen addit Papa, Euangelium propter majorem honorificentiam Latine esse legendum, et postmodum in linguam Slavonicam transferendum, *sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur.* Illud rectius est, quod ibid. demonstrat, Deum non tribus tantum, sed omnibus, linguis velle celebrari. Nec tamen nisi coactus et hic Papa eo venit, ut illud concesserit, sicut ex ejus epist. ad Methodium a. 879. ibid. apud Labbeum constat, ubi lingua Slavina missas celebrari vetat, id faciendum statuens vel Latina, vel Graeca, lingua, sicut, dicit, Ecclesia Dei *toto terrarum orbe diffusa, et in omnibus gentibus dilatata, cantat:* tantum permittit praedicare, aut sermonem facere, lingua vernacula. Ratio autem privilegii postea concessi inde est repetenda, quod veritus fuerit Papa, ne Slavi, exemplo Bulgarorum, se ad Patriarcham CPol. conferrent. Vid. hac de re Usserius in hist. dogmat. supra citata, et auctarium ejus. Ceterum eadem indulgentia usos esse Graecos erga Ruthenos, seu Moscos, postquam fidem cum Graecis ritibus exercendam iis tradiderint, docet Papebrochius in *conatu Hist. Chron.* ad catalogum Pontificum Romanorum diss. XVIII., subjuncta

Pontificatui Nicol. I. et in Ephemeridibus Graeco-Moscis praefixis tom. I. Sanctorum Maji.

§. CCCLII. De ritibus religiosis, quorum notitia peti debet, et facile ab unoquoque potest, inter Latinos ex Amalario Metense de *Ecclesiasticis officiis*, Hincmaro epist. V. ad Presbyteros Rhemenses de *baptismo*, Rabano Mauro de *institutione* Clericorum etc., Walafrido Strabo de *divinis officiis*, denique Johannis, Ecclesiae Romanae Diaconi, epistola ad Senarium, virum illustrem, apud Mabillon. Itin. Ital. tom. II., ubi inter alia illud singulare occurrit, quod sabbato sancto in Ecclesia Rom. *lac* et *mel in calicem* inmittantur, cum seculum nostrum parum suppeditet peculiare, paucis defungar, praecipue quoad baptismum et eucharistiam. In genere notatu non est indignum, *constitutum fuisse, ut nullus chrismetur, neque baptizetur neque a lavacro fontis illius suscipiatur, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi Symbolum et orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum aetas minime perduxit.* Verba sunt Theodulfi Aurelianensis cap. 22., qui praemisit, *omnes fideles orationem Dominicam et Symbolum memoriter tenere, et toto corde credere debere*, si Catholicus sit habendus. Addit, quod non erat omittendum, in his duobus *omne Christianae fidei fundamentum incumbere.* Utinam Christiani intra hos cancellos sese continuissent, nec eos arctiores arctioresque fecissent in detrimentum Ecclesiae! 1. *Confirmationis* ritus, quemadmodum in Ecclesia Romana administrabatur, cum ad alias Occidentis Ecclesias sit translatus, ejus notitia, sed re altius repetita, paulo adcuratius est danda. Confirmationem mox post baptismum fieri solitam per *Chrisma*, seu oleum et balsamum secum mixta, Sylvester, Papa Romanus sec. IV., ad Episcopos restrinxit primus, ita ut unctio aeque ac chrismatis confectio, ac consecratio, a solo Episcopo fieri debuerit in Ecclesia Romana. Tradit illud de Sylvestro liber Pontificalis et brevis epilogus concilii ab eo Romae habiti, a. 325. Excipitur tamen casus necessitatis,

cessitatis, ubi manifestum est mortis periculum, quando Presbyteris etiam conceditur. Quae consuetudo tamen extra Romam sese late non extendit, nisi postquam ab Innocentio sec. V. fuisset confirmata. Erat enim eo tempore res adeo dubia, ut Decentius, Eugubinus Episcopus, Innocentium de ea consuluerit, respondit autem Papa, *consecrationem infantum* ab alio quam Episcopo fieri non posse: concessit tamen sec. VI. Gregorius M chrismationem per Presbyteros, ubi desunt Episcopi, lib. IV. ep. 26. Addidit insuper Innocentius quid novi, cujus ad illud usque tempus nusquam occurrit mentio, duplicem scilicet dari chrismationem, diverso in capitis loco fieri solitam, unam in *vertice*, vel alio loco extra frontem, uti in *pectore* tempore Gregorii M., ut patet ex ejus epist. 9. et 26. lib. III., alteram in *fronte*, illam etiam a Presbytero peragi, modo chrisma sit ab Episcopo consecratum, sed hanc a solo Episcopo, et per eam tradi spiritum paracletum. Vid. epist. I. Innocentii ad Decentium. Quae duplex chrismatio non nisi post sec. VII*mum* ad alias Occidentes Ecclesias propagata est. Autores vero nostri hujus sec., modo citati, de confirmatione agentes, duplicem chrismationem Innocentianam distincte memorant. Cum vero de loco unctionis presbyterialis nihil ante hoc tempus constet definiti, eadem monumenta docent, eam in *vertice* fuisse factam. Ceterum utraque unctio fiebat pollice in crucis figuram, ut ordo Romanus habet, sed unctionem episcopalem in fronte praecedebat *inpositio* manuum, quae antiquitus, cum una erat chrismatio, sequebatur chrismationem. Nondum tamen moris fuit, ut confirmatio per Episcopum fuerit a baptismo sejuncta, ut postea factum est. Baptizati enim, et chrismate uncti a Presbytero, mox ab Episcopo confirmabantur, nisi absens esset, per chrismationem in fronte, et inpositionem manuum, Vid. Dallaeus de Confirmatione lib. III. c. 13., ubi etiam evicit, eam nondum fuisse sacramentum a baptismo diversum, sed cum eo connexum ritum sacramentalem baptismi. Negari tamen

nequit, magni fuisse, ut olim, factam confirmationem. Loquuntur utique autores citati de ejus effectu magnifice: scilicet, unctione presbyteriali significari Spiritus S. super baptizatum descensionem, ad habitationem Deo consecrandam, et per Episcopalem unctionem declarari, ejusdem Spiritus S. septiformem gratiam, cum omni plenitudine sanctitatis, scientiae, et virtutis, venire in hominem: ut verba habent Rabani Instit. Cler. l. I. c. 30. Vid. et Ratramnus adversus Graecos l. IV., qui illud *donari* adpellat.

§. CCCLIII. 2. Altaria in Ecclesiis Gallicanis quidem coeperunt *picturis* ornari, ut Mabillon. de Liturg. Gall. l. III. observavit, sed *imagines* iis nondum fuerunt inpositae, quod non nisi post sec. X. factum est. Notatu digna sunt Leonis IV. verba in quadam homilia: *super altare nihil ponatur nisi capsae et reliquiae, aut forte quatuor euangelia, et buxida cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis.* Sed Crux super altare pendere solebat, teste Gregorio Turon. l. II. de miraculis S. Juliani. Quo spectare videtur canon concilii Turonensis II. a. 566., quo praecipitur, ut corpus Domini in *altari*, *non in imaginario ordine* (seu loco, ubi imagines reponi solebant) *sed sub crucis titulo componatur.* De quo canone vid. Mabillon. de *Azymo* et *fermento* cap. 8.

§. CCCLIV. Majoris est, panes *azymos* jam hoc seculo fuisse Latinis in usu, adeoque ante schisma Photianum, secus ac Dallaeus et Sirmondus contendunt. Alcuinus ep. 69. dicit, *tria esse, quae in sacrificio sunt offerenda, panem, et aquam, et vinum*; *panem*, addit, *absque fermento mundissimum.* Quod discipulus ejus Rabanus clarius exprimit, et demonstrat de Ecclef. off. l. I: c. 31., nisi quis cum Dallaeo illud ei postea velit esse insertum; sine solido fundamento. Idem confirmat libellus Eldefonsi Hispani, qui medio sec. IX. floruit, in quo, per modum revelationis, divinitus factae, septem res explicantur, *hostiarum inscriptio, quantitas, numerus, pondus, rotunda figura, azymi qualitas, et coctio intra ferrum.* Facta, seu ficta, est revelatio, non ut azymi usus

introduceretur, sed ut jam receptus, certis titulis, quantitate, numero, et pondere definiretur. Exstat libellus in operibus posthumis Mabillonii tom. I. Qui, si genuinus sit, multa de hostiis docet; fuisse eas scilicet figurae rotundae, ex azymo, et solida massa, sed intra ferrum coqui solitas, ita ut ex una libra centum majores hostiae conficerentur. Vid. de ritu, quo factae sunt oblatae, Mabillon. praef. ad sec. III. Benedictin. §. VI. Produxit et alia testimonia hujus sec. pro pane azymo Mabillon. l. citatis, ubi etiam ad Sirmondi argumenta respondit, quocum conferendus est Ciampinus de *azymo* etc. Quibus tamen in eo non adsentior, quod azymum panem jam diu antea, imo per omnia secula, Latinis in usu fuisse disputent. De quo ad superiora secula suis locis egi. Illud tantum a probabili non videtur alienum, azymum fuisse sub finem sec. VII. in Ecclesiis Hispaniae jam usitatum. Utique in concilio Toletano XVI., tunc habito, reprehensis nonnullis, qui *panem usibus suis praeparatum in sacrificium adhibebant*, decretum est, *panem non nisi integrum, et nitidum, qui ex studio fuerit praeparatus, neque grande aliquid, sed modicam tantum oblatam, offerendam esse*, idque pro consuetudine Ecclesiastica. Verum quidem est, Photium hoc Latinis non objecisse; sed cum et alias discrepantias, postea in medium adductas, omiserit, hinc nihil aliud colligi poterit, quam azymorum usum adhuc apud Latinos minus necessarium fuisse habitum, nec lege aut canone sancitum; quod tempore Leonis IX. demum factum est, post discidium Michaelis Cerularii. De quo postea, suo tempore. Sed ex silentio Photii multo minus colligi velim, Graecos quoque azymo fuisse usos, cum contrarium patescat, ut in superioribus observavi, 1. ex Epiphanio, in Ebionaeis id reprehendente, haer. XXX. 2. ex Johanne Philopono sec. VI. in disputatione de Paschate: 3 ex Nicone, Graecis addicto, qui dimidio seculo post Photium Armenos carpit, quod azymis uterentur. §. CCCLV. 4. Offerebantur adhuc hostiae ab Ecclesia,

licet tempore Hincmari non tam ab universis fidelibus, quam familiarum capitibus, ut ex primo ejus *capitulari* patet. Sed praeter hanc oblationem alius adferebatur ad Ecclesiam panis, quo ministri Ecclesiae alerentur. Quas duas oblationes distinguit ibid. Hincmarus art. 16. et concilium Nannetense can. IX. Ex alterutra oblatione, quod notandum, fiebant *Eulogiae*, quae panis *benedicti* tantum, non *consecrati*, nomen gerebant, erantque hostiae *non consecratae*. Idem quidem antiquitus dicebat eulogia ac eucharistia, ut ex Cyrilli Alexandrini, Chrysostomi pluribus locis, dudum est a Casaubon. ad Baronium exercit. XVI., et Albertino de Eucharist. l. II. c. 2. demonstratum. Sed circa haec tempora fuit ab eucharistia distincta eulogia, tanquam ejus vices supplens, quaeque iis dabatur, qui non communicabant, ut habet canon Nannetensis citatus a. 890., his verbis: *partes incisas habeat*, Presbyter, *in vase nitido et convenienti, ut post missarum solennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, et in diebus festis, exinde excipiant, quae cum benedictione prius faciat.* Conf. etiam Hincmari capitulare citatum, et vid. Bona rer. Lit. l. I. c. 23. Ceterum oblationi panis et vini postea successit eleemosyna pecuniaria, Presbytero facta, nomine *stipendii*, etiam donationes praediorum pro materia sacrificii in usu esse coeperunt, vid. Mabillon. praef. ad sec. III. Benedict. §. VI.

§. CCCLVI. 5. Invalescere etiam incepit mos consecrandi calicem vini per particulae corporis Christi, seu panis consecrati, inmissionem. Cujus primus meminit Amalarius de Off. Ecclef. l. III. c. 31. Plures citavit Mabillon. comment. praevio ad *ordinem Romanum*. Antea ritus sec. VII., qui tunc incipiebat, quo *pro complemento communionis intincta tradebatur eucharistia populis*, fuit prohibitus, et damnatus in Synodo Bracarense a. 685., quae constitutio, sed sine solida ratione, Julio Papae est a Gratiano adtributa. Postea mos iste est vulgatior factus sec. XI., ut

ut suo loco patebit. 6. Circa finem seculi introducta est consuetudo.. panem non, ut antea, in manus communicantium, sed in os inmittendi. Crescente nimirum reverentia erga elementa, et in superstitionem magis degenerante, mulieribus primum est injunctum, non *nuda manu* ea sumere, sed *velata*, ut canon concilii Antissiodor. in Gallia a. 590. habet. Cujus in Oriente nullum non tantum adparet vestigium, sed et, cum nonnulli, praetextu reverentiae, sacramentum non manibus, verum quibusdam receptaculis ex auro vel argento suscipiebant, illud vetuit, et manibus in crucis formam accipiendum esse decrevit, concilium Trullanum. Postea, circa finem forte seculi, mos invaluit panem in os inmittendi, cujus ut recepti meminit Ratherius, Veronensis Episc., serm. II. de paschate, sec. X. scriptor: ubi haec occurrunt verba de nonnullis, qui sacerdoti mala moliebantur: *ipsi, qui sanctum panem mittebat in ore, dicendo, corpus Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam aeternam, non cessabant perditionis laqueos tendere.* Praeterea Burchardus Decretal. l. III. memorat decretum a Synodo Rotomagensi conditum in haec verba: *nulli laico aut foeminae eucharistiam in manibus ponat* sacerdos, *sed tantum in os ejus cum his verbis, corpus Domini et sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum, et vitam aeternam.* Sed quae verba citat Regino de discipl. Eccles. l. I. c. 199. tanquam ex concilio Turunensi. Concilii Rotomag. acta, nondum edita, exstant MSS., ubi sub Ludovico, scilicet II., cognomento Balbo, dicitur habitum, circa a. 880. ut observavit Mabillon. praef. ad sec. III. Benedict. §. VI. Ceterum Beda ejus usus in Anglia jam mentionem fecit hist. l. IV. c. 24., et in Ecclesia Romana exemplum exstat sec. VI. apud Gregorium M. Dialog. l. III. c. 3.

§. CCCLVII. 6. Missae *solitariae* et privatae, cum in monasteriis magis magisque invalescerent, prohibitae quidem et hoc seculo, sicut antea, sunt admodum severe, in concilio Nannet. apud Ivonem. Vid. Bona rer. Lit. l. I. 13.

Septimum quoque capitulum Theodulfi Aurelianensis, ad presbyteros parochiae ejus, habet, *sacerdotem Missam solum celebrare non debere*, cum celebrari illa nequeat *sine salutatione sacerdotis*, *responsione plebis*, *admonitione sacerdotis*. etc. Concinit can. 43. concilii Moguntiaci sub Carolo M. a. 815., qui habet, *Nullus presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare valet recte. Quo modo enim dicet, Dominus* vobiscum, vel, sursum corda *admonebit habere, et alia multa his similia, cum alius nemo cum ipso sit*. Vid. etiam can. 48. Synodi Parisiens. VI. a. 829. Sicut sec. X. etiam fecit Ratherius Veronensis in epist. Synodica in Spicileg. Dacheriano: jacta tamen jam sunt hujus moris fundamenta; ut ex iis, quae Walafrid. Strabus de rebus Ecclesiast. c. 22. habet, manifestum est: cum inde colligi possit, legitimum posse sacramentum esse, licet praeter sacerdotem nemo ei intersit: dicit enim, sacerdotem, licet solum, non esse tamen solum in Missa, sed habere et cooperatores, et offerentes, et communicantes, licet absentes, quorum ipse sustinet personam. Fatetur tamen, legitimam esse illam missam, *cui intersunt sacerdos, offerens et communicans, sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Postea sec. X. jam confirmatae sunt missae solitariae, ut ibi videbimus. Denique 7. formula consecrationis nondum quidem in quinque verbis Christi, *hoc enim est corpus meum*, sita fuit, sed in precibus et gratiarum actionibus, ut vel ex solo Rabano Instit. Cler. I. 32. patet, ubi in haec verba loquitur, *cum benedictione et gratiarum actione primum Dominus corporis et sanguinis sui sacramenta dedicavit, et Apostolis tradidit; quod exinde Apostoli imbuti fuere, et successores suos facere docuerunt, quod et nunc per totum orbem terrarum generaliter tota custodit Ecclesia:* attamen ex Paschasio Ratberto de *corpore et sanguine Domini* cap. 15. elucescit, mutationem fieri per verbum illud Christi, reliqua, quae sacerdos aut populus profert, esse gratiarum actiones et petitiones. Vid. etiam Hincmarus Rhem. de *cavendis vitiis* etc. Op. t. II. p. 99.

Secreta

Secreta vero verborum consecrationis, et tacita, pronunciatio, ut a populo audiri non potuerit, nondum quoque usu fuit recepta, ut ex Paschasio, Ratramno, et aliis, comprobavit Dallaeus de Cult. Latin. VIII: 7., attamen jam ante incepit, et sec. X. invaluit. Vid. Martene antiq. Eccl. rit. p. I. c. 4., ubi canonem Missae, ritus consecrationis complexum, fuse descripsit. 8. Denique, Missae quotidianae, antea quidem in usu aliquatenus, lege canonica stabilitae sunt, uti in Synodo Ticinensi a. 855. Vid. Mabillon. praef. ad sec. III. Benedictin. §. VI.

§. CCCLVIII. Quoad fidem et doctrinam Christianorum hujus seculi, ad quam pro more explicandam pergo, de praesentia Christi in Sacramentis, praecipue Eucharistiae: Graeci in eadem perseverarunt, et Iconoduli mentem eodem modo, quo Johannes Damascenus, et alii, superiore seculo, expresserunt, uti ex Nicephoro CPol. in Antirretico II. apud Leonem Allat. de cons. etc. Orient. et Occid. l. III. c. 15. et Theodoro Grapto de *inculpata Christianorum fide* apud Combefis. in *manipulo rer. CPol.* manifestum est. Panem noluerunt dici *imaginem* corporis Christi, et ipsum corpus esse tenuerunt, sed ipsum ejus corpus *θεωθέν* *deificatum*, ac Sancti spiritus adventu in corpus Christi transmutari. De quo ad superius sec. exposui. Verum in Ecclesia Latina Paschasius Radbertus clarius explicuit doctrinam de praesentia Christi in eucharistia, et dogmatis Transubstantiationis fundamenta jecit: quo nonnulli sunt offensi, et motus aliqui exorti. Quae historia in clariore collocanda est luce, postquam ipsius Paschasii dedero notitiam. *Paschasius*, in pago Suession. natus, et in monasterio virginum Benedictin. ibidem educatus, ac corona clericali ornatus, ut ipse in *expositione* Ps. XLIV. testatur, et Engelmodus, Episcopus Suession. in *carmine in ejus* laudes, postea secularem vitam amplexus, dein, ejus pertaesus, Monachus Corbeiensis, in dioecesi Galliae Ambianensi, factus, pietatem et studia tanto cum successu ibi excoluit, ut summam fuerit con-

secutus laudem, et egregios post se reliquerit discipulos, uti Adalardum juniorem, Anscharium, Hildemannum et Odonem, Bellovacenses Episcopos, praeterea Ludovici gratiam nactus. Quo ipso tempore famigeratissimum conscripsit libellum de *corpore et sanguine Domini*, a. 831., rogatu cujusdam discipuli sui, et in gratiam juniorum Corbeiensis monasterii novi apud Saxones; ut ipse tradit in praefat., et in epist. ad Frudegardum, ut eos vera hujus mysterii notitia imbueret. Quem librum postea Abbas factus recognovit, et ad Carolum-Calvum misit, teste epistola ejus ad ipsum: cujus libelli adcuratior editio exstat in *collectione* Vet. scriptorum Edm. Martene tom. IX. Abbas a. 844. factus interfuit a. 846. Synodo Parisiensi, et privilegium electionis ac libertatis monasterii sui confirmari impetravit. Adfuit quoque Synodo Carisiacensi a. 849., contra Godscalkum, quando haud diu post, incertum quo anno, Abbatiae renunciavit, et ad vetera rediit studia, ut ipse testatur ad Ps. XLIV. Defunctus est a. 851., secundum Sirmondum in vita Paschasii, editioni ejus praemissa, sed a. 865. secundum Mabillon. sec. IV. Benedictin. p. II. ubi ejus vitam et doctrinam multis enarrat. Variis fuit inmixtus litibus, seseque opposuit opinionibus Felicis Urgelitani de adoptione Christi, Claudii Taurinensis de cultu imaginum, Ratramni de partu virginis, ut supra narravi, denique aliorum de praesentia Christi in Eucharistia. Reprehendit etiam ad Matth. XXV. *quosdam novos adsertores*, ut inquit, *falsitatis, qui nulla alia esse genera, neque loca, tormentorum, adfirmabant, praeter proprias conscientias hominum.* Inter quos fuit Johannes Scotus. De quo supra egi. Scripsit autem, praeter libellum de corpore et sanguine Domini, commentarios in Matthaeum, Ps. XLIV., Threnos Jeremiae etc. Opera ejus edita sunt a Sirmondo, et recusa in Bibl. P., exceptis nonnullis, quae ab aliis sunt publicata, uti de *partu Virginis Mariae*, a Dacherio in Spicilegio, de *tribus virtutibus*, fide, spe, et charitate, a Pezio in thesauro Anecdot. noviss. tom. I. p. II.

II. Fuit profecto vir laboriosus, studiorum amans, in primis Scripturae S. Cui adeo adhaesit, ut lib. II. in Matth. III. *quod in scripturis sanctis non legitur, melius ignorari quam temere definiri*, declaraverit. In exponendo quoque Matthaeo *tropologias, nec mysticas sententiarum intelligentias, sed solummodo simplicem sensum* se sectari, professus est *in fine lib. IV.* Invehitur passim in Simoniacos, avaros sacerdotes, nec non in Clericos et monachos, secularium negotiorum et litium sectatores. Denique magnam prae se tulit modestiam, se in scriptis suis passim adpellat monachorum peripsema, et leviarum ultimum, nec ad sacerdotium se permoveri est passus.

§. CCCLIX. Doctrina ejus de Eucharistia praecipue ex libro ejus de *corpore et sanguine Domini*, epistola ad Fredugardum, vel Frudugardum, et comment. ad Matth. XXVI. petenda est: sed cum his ejus scriptis conferendus est tractatus Bertrami de eadem materia, scriptus contra Paschasium, ut testatur Anonymus, a Cellotio in adpendice historiae Godschalki editus, et inde Cellotianus dictus, quem Herigerum esse Abbatem Lobiensem in Belgio, a. 1107. defunctum, contendit Mabillon. praef. ad sec. IV*tum* Benedictin. p. II., sed Gerbertum esse, postea Sylvestrum Papam, sec. X. censet Pezius l. cit. Vid. Differt. ejus Isagogica: ubi libellum etiam recenset. Ipsa libri Bertrami comparatio cum tractatu Paschasii ipsi esse oppositum satis evincit. Plura de Bertramo, ejusque libello, supra suo loco protuli. Hic verbo notetur, ipsum jussu Caroli Calvi scripsisse, ut Christianis vera fides de praesentia Christi in eucharistia indicaretur; cum diversae de ea vigerent opiniones in Ecclesiis Galliae et Germaniae. Ex recentioribus vero de Paschasii doctrina legendi sunt, ex Catholico-Romanis Natalis Alex. diff. X. ad sec. IX. et Mabillon. l. cit., ex Reformatis Blondellus de eucharistia, E. Albertinus, Larroquanus, Claudius, de eadem materia; ne alios utriusque partis memorem.

§. CCCLX. De statu controversiae, et opinionibus Paschasii ac Bertrami, non idem sentiunt docti. Communis, et Catholico Romanorum et Protestantium, habet opinio, Paschasium idem, quod nunc Catholico-Romani, statuisse; adeoque carnem et sanguinem Christi hic adesse sub speciebus panis et vini. Sed Bertramum alii fatentur sententiam Reformatorum tenuisse, panem et vinum non esse ipsum corpus et sanguinem realiter, sed figuram et pignus eorum, sicut Christus ex gr. adpellatur *vitis*. Sed alii, ut Perronus, Arnaldus, Natalis Alex., eum in idem dogma cum Paschasio consentire contendunt, illorum autem inpugnare opinionem, sive veram, sive fictam, qui, nulla admissa figura in praesentia corporis Christi, idem corpus ex Maria, etiam quod ad existentiae modum, adesse, dicebant, vel dicere censebantur. Dissentit P. Marca ex Catholico-Romanis, et Blondellus ex Reformatis. Prior in diss. de *eucharistia*, quae exstat in *collectione variorum tractatuum de Eucharistia* Roterodamensi, Paschasium non tantum realem carnis et sanguinis Christi praesentiam tenuisse censet, sed et sine accidentibus panis et vini, ita ut color et sapor panis et vini, qui soli supersunt, sint ipsius carnis et sanguinis, quos ob certas rationes Deus adesse voluit, ne carnem saperent credentes: Bertramo vero adtribuit dogma Inpanationis, ut adpellatur, et Paschasium directe refutare contendit. Sed Blondellus de eucharistia cap. 19. et Paschasio et Bertramo eam inpanationis opinionem vindicat, sed a Paschasio crudius et durius propositam, ita ut viam ad Transubstantiationem straverit. Denique Albertinus in Paschasii sententia fluctuat, eumque sibi non constare, sed modo Transubst., modo consubstantiationem, modo inpanationem, statuere autumat.

§. CCCLXI. 1. Scopus Paschasii, ut mentem per partes distincte, et paulo fusius, explicem, in toto tractatu illo est, evincere, quid amplius esse in eucharistia, quam figu-

ram corporis et sanguinis Christi; ut ipse haud obscure in expositione Matt. XXVI. indicat. Unde mihi probabile fit, eandem quaestionem, quae occasione imaginum in Oriente mota fuit, num panis sit imago corporis Christi, an ipsum ejus corpus, de quo ad sec. VIII. egi, hoc seculo cum ipsa controversia de cultu imaginum ad Ecclesias Galliae et Germaniae esse translatam, et Paschasio occasionem dedisse, hunc tractatum ad novos conversos in Saxonia instruendos scribendi. 2. Hunc ut adsequeretur scopum, eandem tenuit viam, quam in Oriente Johannes Damascenus: inter quem et Paschasium est exacta convenientia, quam P. Marca jam vidit, et inde exponenda est ejus sententia. Nusquam quidem meminit Damasceni, sed, quin eum ante oculos habuerit, dubitare non poterit, qui utriusque instituerit collationem. 3. Thesis, quam mox in principio ponit, et per totum tractat librum, habet, *non obstante figura panis et vini, omnino nihil aliud, quam carnem esse, credenda, et ut mirabilius loquar*, inquit, *non aliam plane, quam quae nata est de Maria, et passa in cruce, et resurrexit de sepulchro.* Quae thesis tria continet capita, *a.* panem *vere* esse carnem, et vinum sanguinem, et non figurate *b.* eam ipsam Christi carnem et sanguinem, quae nata est et passa. *c.* solum panem esse carnem, et vinum seorsim sanguinem, non ergo panem esse totum corpus Christi, sed carnem tantum unitam verbo: cap. 19.

§. CCCLXII. 4. Hanc thesin derivat a potente verbi et spiritus Dei virtute, quae omnia, et secundum et contra naturam, jussu suo agit: illustrat vero eam ex creatione carnis in utero Mariae sine semine viri, et multiplicatione panum miraculosa, aliisque mirabilibus effectis, et ex conversione aquae in vinum, et cibi in carnem nostram. Declarat itaque, panem *omnipotente Dei virtute carnem et sanguinem potentialiter creari*; *ex substantia panis et vini mystice idem corpus et sanguinem Christi consecrari et effici*: cap. 5. et alibi. 5. Hanc carnem, addit, de Christo

 sum-

fumi, et Christum manere integrum; sicut, cum praesens instituit coenam, carnem suam eandem dedit discipulis licet integer adfuerit et manserit, cap. 18. et in expositione Matthaei. Denique 6. carnem Christi a communicantibus sumtam, non, ut reliquos cibos, digeri, et in secessum abire, sed in substantiam eorum converti, et spiritum ac corpus inmortalitate donare, modo fide sumatur cap. 19. et 20., ubi etiam haec verba profert, *frivolum est, sicut in apocrypho libro legitur, in hoc mysterio cogitare de stercore, ne commisceatur in alterius cibi digestione.*

§. CCCLXIII. Haec qui sola consideraverit, vix aliter ac P. Marca de ejus opinione judicare poterit, nihil plane praeter carnem et sanguinem esse in eucharistia universo corpore panis et vini cum accidentibus abolito. Sed 7. adjungamus ab altera parte, quae panem et vinum concernunt, ut, quid de iliis reliquum velit Paschasius, patescat *a.* Ubique inculcat, panem et vinum *visu corporeo et gustu non demutari, exterius in speciem non mutari, sed interius*, cap. 8., imo miraculum fore dicit cap. 13., si *carnis species visibilis adpareret, non amplius fides, aut mysterium*, quare mox addit, *per miraculum nonnunquam Christum in agni forma, vel carnis, ac sanguinis, specie se manifestasse in eucharistia:* cujus exemplum narrat cap. 12., nisi illud, quod contendit Blondellus, sit ab alia manu insertum; utique, si caro substantialiter adesset sine specie sua, sed sub panis et vini accidentibus, illud miraculum foret, non contra. *b.* Agnoscit in eucharistia *figuram* et *veritatem*, cap. 4., ubi, quo sensu utrumque sit, explanat, scilicet, *figura dum frangitur, dum in specie visibili aliud intelligitur, quam quod visu carnis et gustu sentitur, dumque sanguis in calice simul cum aqua miscetur dum sacerdos quasi aliud exterius gerens ob recordationem sacrae passionis ad aram venit. Veritas* vero est, dum corpus et sanguis Christi virtute spiritus in verbo ipsius ex panis et vini substantia efficitur. Ergo secundum *speciem* est panis, secundum *veritatem* corpus: h. e. exterius panis, interius

interius corpus. c. Accedit, ipsum cap. 20. statuere, hoc mysterium in pane celebrari, imo in *substantia* panis, et nos non carnem, nec cruorem Christi sumere *proprie*, sed in *figura*, et in ipso pane et vino, adeoque non carnaliter, sed in mysterio, Vid. et c. 13. Sic et vocem *figurae* adplicat ad humanitatem Christi cap. 4., adeo ut in Christo sit *veritas*, scilicet divinitas, et *figura*, nimirum humanitas, et eodem modo in eucharistia figura, vel character, et veritas. Ex quo liquet, panem aeque vere adesse in eucharistia ac humanam in Christo naturam. Quo etiam facit, quod c. 20. dicitur, Christum obtulisse panem, ut fecerat Melchisedecus. Verus itaque oportet sit in eucharistia panis.

§. CCCLXIV. *d.* Saepe inculcat, et ubique repetit, carnem Christi non corporaliter, sed spiritualiter, sumi, intelligibiliter, in mysterio, fide, et non sensu: imo panem esse corpus mystice, et mysticum corpus; ita in specie mentem exponit cap. 3., ubi declarat, quid sit sacramentum? dicit esse, *ubi in re visibili divinitas aliquid secretius ultra efficit speciem corporalem.*. Quam difinitionem mox adplicat *baptismo, chrismati, et corpori ac sanguini* Domini: quae tria hoc loco tantum memorat sacramenta: addit, et incarnationem vocari sacramentum, quia *in homine visibili divina Majestas secretius operabatur.* Species itaque externa aliud non denotat, ac ipsam rei substantiam, quae non perit, utique in baptismo, chrismate, ac Christo homine: ergo nec in pane et vino. Addit mox, *carnem et sanguinem Christi nec visu, nec gustu, comprehendi, sed, quia spiritualia sunt, fide et intellectu pro certo plenissime sumi.* Egregie hanc in rem cap. 13. *Quod vero colorem et saporem carnis minime praebet, virtus tamen fidei et intelligentiae, quae nihil de Christo dubitat, totum illud spiritualiter sapit et degustat — — — — nihil enim in eodem est dubium, ubi efficax virtus ejusdem rei sentitur, ubi plena similitudo exterius, et vere virtus agni, atque caro ejus immaculata, interius vocatur.*

tur. Nihil enim rationabilius, ut, quia jam nos similitudinem mortis ejus in baptismo accepimus, similitudinem quoque carnis ejus sumamus, et similitudine pretiosi sanguinis potemur, ita ut et veritas non desit in sacramento, et ridiculum nullum fiat paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus. Avidius enim requiritur quod latet, et pretiosius est quod cum fide quaeritur. Quae omnia cap. 14. repetuntur et confirmantur: ubi et haec notabilia occurrunt verba: *potior quippe virtus rerum est, quam species, et fucatus color: idcirco virtus magis consideranda est, quam color et sapor exterius, quia, qui universis virtutem naturae dedit, hic huic sacramento divinitus indulsit, ut sit caro et sanguis ejus, ut quod caro et sanguis ipsius Ecclesiae contulit, hoc totum sacramentum hujus mysterii compleat, et ad inmortalitatem suos inmaculatos clementer perducat, carnales quoque et corruptibiles ad spiritualia et incorruptibilia perficiat. Propterea ergo debuit Spiritualiter celebrari.* Quae omnia mihi evincere videntur, carnem et sanguinem dici in eucharistia esse, quatenus fide et intellectu adesse creduntur, et per divinam virtutem omnia effecta carnis et sanguinis Christi praestant, et divina Christi natura se cum pane et vino unit.

§. CCCLXV. *e.* Comparatio cum *manna* cap. 14. fin. eodem plane, et egregie, tendit. Veteres, dicit, *sub unius speciei gustu omnem saporem, et omne delectamentum, fide percepisse, nec tamen illud tunc aliud monstratum, licet, quicquid saporis, et delectamenti, est, sub uno eodemque colore totum manna praestiterit.* Sic et sub colore et sapore panis nos carnem Christi sapere dicit. Denique *f.* addatur, ipsum in pane et vino non tantum Christi carnem et sanguinem, sed et Ecclesiam, *unum cum Christo corpus*, agnoscere cap. 10., quod non nisi repraesentative et spiritualiter intelligi potest. Cui etiam consentit Bertramus §. 179. Imo *g.* ibidem et carnem, et sanguinem, adesse contendit, quia Christus et *caro* est, propter redemtionem nostram, et *panis, qui de coelo descendit, et vinum, quo laetificantur credentes:* quando sic pergit, *hinc est*

est sane, quod sapientia Dei Patris maluit hoc mysterium in specie panis ac vini permanere, quam in colorem ac saporem carnis et sanguinis demutari, quia nec hoc est jam quod videtur, nec fieret illud amplius, ut esset caro et sanguis, quam ut percipitur et idcirco sicut in isto saporem panis aut colorem non adtendimus; ita namque, si mutaretur in carnem, nihil amplius Christi caro est, quam est, quia totum spirituale est, quod comedimus.

§. CCCLXVI. Ex quibus, quae ex Paschasio in medium adtuli, colligere mihi posse videor, ut mentem ejus explicem, 1. panem et vinum manere, quantum in sensus incurrit. 2. Divinitatem ita arcte sese cum iis unire, uti cum humana natura: quo etiam pertinet, quod Christum *quotidie incarnari*, vel verbum fieri carnem, dicat cap. 12. 3. Omnem vim, omnia effecta carnis et sanguinis Christi, ex divina et humana natura constantis, communicari cum pane et vino. 4. Christum esse et manere in coelo, idque integrum et inmutabilem, quo oculi et corda elevari debent, quod ubique inculcat. Attamen 5. credendum esse, Christi carnem et sanguinem vere esse *in* et *sub* pane et vino, quocunque id fiat modo, fieri vero illud per omnipotentiam Dei, ita ut fide et intelligentia, non sensu, caro Christi et sanguis gustetur, et sumatur in eucharistia. Ea utique ratione de panis et vini conversione in carnem et sanguinem Christi loquitur, ut credi censeri debeat voluisse, carnem et sanguinem singulari et extraordinario modo adesse. Nec tamen ipse, aut alius, percipit, quo modo id fiat. Dubia itaque hac parte manet ejus mens, nisi quod Transsubstantiationem non in mente habuerit, licet viam ad eam straverit.

§. CCCLXVII. Quae ex comparatione cum opinione Bertrami clariore donabuntur luce. Convenit enim in praecipuo capite cum Paschasio, sed mentem clarius explicat, et ansam ea opinione abutendi tollit. *Bertramus*, aeque ac Paschasius, panem et vinum ubique statuit effici carnem et sanguinem Christi, permutari quoque et converti in ea,

idque per omnipotentem Dei virtutem: praeterea esse in eucharistia externam *speciem* panis et vini, ac interiorem virtutem carnis et sanguinis, *extus* esse panem, *intus* carnem, corporaliter et visibiliter panem, spiritualiter et invisibiliter carnem; panem esse, quod videtur et gustatur, carnem vero fide et intelligentia credi. Imo panis substantiam, et vini creaturam, dicit converti in proprium Christi corpus et sanguinem, Christi carnem non tamen corporaliter edi, sicut infideles Joh. VI. capiebant Christi verba, sed per mysterium vere panem et vinum in corporis ac sanguinis Christi conversa substantiam a credentibus sumi. Rursus, panem adserit in Christi corpus *transponi*, *non visibiliter*, sed operante invisibiliter spiritu, et longe aliud per potentiam invisibilem existere, quam visibiliter adparet, adeoque quid secreti continere. Sic etiam sacramenta adpellari tradit, quod *tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem accipientium fideliter dispensat.* Sic corpus et sanguinem Christi esse *figuras*, secundum speciem visibilem, at vero secundum *invisibilem substantiam*, *id est divinam potentiam verbi*, corpus et sanguinem Christi vere existere. Denique in hoc mysterio agnoscit *commutationem* esse factam, et mirabiliter, divine, et ineffabiliter, sed *interius*; Spiritus S. divina virtute, manente eadem specie externa; esse quidem corpus Christi, sed spirituale, et spiritualiter, non corporaliter et carnaliter, in eucharistia aliud exterius per figuram ostentari, aliud interius per intellectum fidei repraesentari.

§. CCCLXVIII. Quae si quis cum supra ex Paschasio prolatis contulerit, eorum in multis consensum non poterit non agnoscere, simul Bertrami doctrinam huc redire perspiciet, 1. panis et vini substantiam manere integram et salvam, secus ac illi ex Catholico-Romanis opinantur, qui suam de Transsubstantiatione sententiam ipsi adtribuunt, *a.* enim ubique inculcat, panem omnes suas qualitates retinere, edi, consumi, et dissolvi, imo in secessum mitti, plane ut reliquus

quus

quus panis omnis, absque ut ulla hac parte fiat mutatio. *b.* Panem figurate et myſtice adpellari corpus, ſicut Chriſtus dicitur panis, vitis etc., ubique adſerit et demonſtrat. *c.* Corporis Chriſti *immolationem* in euchariſtia fieri negat, ſed ejus, ſemel factae, tantum eſſe *commemorationem* tradit. *d.* Ex comparatione cum baptiſmo demonſtrat, panem eodem ſenſu vocari corpus Chriſti, quo aqua baptiſmi ejus ſanguis, et mortis Chriſti ſimilitudo in eo ponitur. *e.* Panis aeque Eccleſia adpellatur, ac caro Chriſti, quatenus figura et ſignum eſt. Denique *f.* eandem nunc dicit credendam eſſe panis in carnem Chriſti converſionem, ac quae olim eſt in *Manna* facta, eſca ſpirituali, quam veteres comediſſe teſtatur Apoſtolus, et *aqua petrae. Ipſe namque,* ſic concludit comparationem, *qui nunc in Eccleſia, omnipotente virtute, panem et vinum in ſui corporis carnem, et proprii cruoris undam, ſpiritualiter convertit: ipſe tunc quoque manna, de coelo datum, corpus ſuum et aquam, de petra profuſam, proprium ſanguinem inviſibiliter operatus eſt.* Quo nihil eſt evidentius.

§. CCCLXIX. 2. Nec tamen nudam admittit figuram, ſed quae rem ipſam, quam repraeſentat, ſecum habet conjunctam, non corporaliter, ſed ſpiritualiter, oculis fidei, non carnis, patentem: adeoque corpus Chriſti eſſe panem, quia divinitas ejus cum eo unita eſt, eique vim vivificatricem addit, plane eandem, ac quae in carne Chriſti reſidet, qua virtute praeditum panem nuncupat corpus Chriſti, quia verum ejus corpus, cum divina natura unitum, exhibet, et eadem praeſtat effecta. Et haec eſt mutatio ac converſio, quam pani adſcribit, uti ex ſupra dictis clare eluceſcit: *ſpiritualem verbi poteſtatem et virtutem* pani adeſſe, omnibuſque ſacramentis, et ejus reſpectu nomina ac rem ipſam ad ſigna transferri, ubique adfirmat. *In ſacramento corporis et ſanguinis Domini*, alibi inquit, *quicquid exterius ſumitur ad corporis refectionem aptatur. Verbum enim Dei, qui eſt panis inviſibilis, inviſibiliter*

liter in illo existens sacramento, invisibiliter participatione sui fidelium mentes vivificando pascit. Sed describendus foret libellus, si omnia huc conferenda essent.

§. CCCLXX. 3. Sed, si Paschasius et Bertramus re ipsa vix dissentiunt, quid ergo refutat Bertramus, et quid ipsum ad libellum componendum movit? Haec explicari merentur. *α*. Autores Reformati in ea passim sunt opinione, *realem* carnis Christi praesentiam sub panis accidentibus ab eo refutari, sed Catholico-Romani refutationem restringunt ad *carnalem adparentiam*, quae ne accidentia panis quidem relinquit, ut sic salva, opinione sua de reali praesentia, Bertramum in suas trahant partes. Verum, ex mea opinione, errant utrique, quia utrumque verum est. Praesentiam Christi et realem et carnalem refellit, quia utramque pro eadem habuit, et distinctionem inter realem praesentiam sub alienis vel propriis accidentibus ignoravit; quae ad hoc usque tempus, quantum constat, ignota fuit: Christi propriam carnem non adesse ex eo probat, quod nil praeter panem in sensus incurrat, nullum carnis adpareat indicium: unde per se clarum putavit, carnem non adesse: quod non concluderet, si caro proprie adesse posset cum panis accidentibus. Carnem esse praesentem, et videri ac sentiri, ipsi unum idemque est. Quare quaestionis statum ita format; *num mysterium corporis et sanguinis Christi nulla sub figura, nulla obvelatione fiat, sed ipsius corporis nuda manifestatione, peragatur? an sub mysterii figura, ut aliud sit, quod corporis sensibus adparet; aliud, quod fides adspiciat? Figura* ipsi est, cum aliud innuitur, aliud dicitur, ut cum Christus panis et vitis adpellatur: veritas *nuda manifestatio* est, cum id intelligitur idem quod adpellatur, ut ubi Christus dicitur natus, passus, mortuus, resuscitatus. *Veritas* ergo est, cum caro vocatur, et caro intelligitur, sed *figura*, cum carnis virtus, non caro adest. Nuda manifestatio rei, et res ipsa, itaque idem sunt, et id omne, quod opponitur figurae, seu imagini,

imagini. Negat autem carnem esse, secundum nudam manifestationem, hoc est, ita sicut caro sine figura solet accipi, res cum ejus adparentia, quemadmodum cum Christus inter homines versatus est. Denique, corpus cum ejus manifestatione idem ipsi esse, ex eo quoque patet, quod si caro vere adsit, in sensus incidere debeat, et non amplius dici *credo*, sed *video*, corpus Christi. Quae non concluderent, si caro, sine carnali adparentia, vere et carnaliter adesse posset. Accedit, speciem carnis et carnem ipsam ipsi unum idemque esse; nec usquam eum distinctionem inter carnem, et speciem externam sine carne, tangere.

. §. CCCLXXI. β. Sed quem ergo refellit, et quid ipsum ad hoc scriptum compulit? Indicat ipse, nemine nominato, esse, qui nullam admittunt figuram, tantum nudam rei manifestationem in phrasi, *hoc est corpus meum*, adeoque Christi corpus ex Maria natum, et passum, proprie intelligendum esse. Catholico-Romani eos volunt digito monstrari, qui carnem Christi non tantum vere, et realiter, adesse contendebant, quod secundum ipsos Catholicorum erat dogma, sed ita praeterea, ut adpareret, et in oculos incurreret, sicut cum inter homines est versatus. Quos si monstrari velis, in scenam producunt *Stercoranistas*, a Perronio, fide Algeri sec. XII. scriptoris, citatos: cui addidit Paschasium cap. 20. et Anonymum Cellotianum, qui ejus haereseos auctores adpellat Heribaldum Altissiodorensem Episcopum, et Rabanum Maurum: qui eo nomine fuissent notati, quod ipsum Christi corpus statuissent esse digestioni obnoxium, et in secessum vadere. Sed *Stercoranistarum* nomen non fuisse alicujus sectae a Doctis dudum est demonstratum, sed convicii, quo Latini Graecos et se invicem diffamarunt, non acsi ipsum Christi corpus, sed elementa panis ac vini statuerent corrumpi. Graecis vero ab Algero haec nota inusta est, quia per eucharistiam solvi jejunium censuerunt; quippe unde colligebant Latini, Christi corpus secundum Graecos cum cibo misceri, et digeri; quae falsa est

concluſio, cum Graeci nihil aliud voluerint, quam eucha-riſtiam non eſſe celebrandam, niſi cum ſolvi jejunium le-gitime poſſet; praeterea, panem, in ſe conſideratum, eſſe verum cibum. Praeterea inter Latinos ipſos, et qui carnem Chriſti adeſſe ſtatuebant, et qui panis naturam manere vo-lebant, *Stercoraniſtae* ſunt ab adverſariis adpellati, *priores*, quia, cum quod in os intrat in ſeceſſum abeat, per conſe-quentiam cenſebantur admittere debere, Chriſti carnem eſſe digeſtioni obnoxiam, quod tamen infitiati ſunt, *poſteriores* quia, cum panem naturam ſuam conſervare crederent, eo ipſo videbantur agnoſcere, Chriſti carnem, quo nomine pa-nis venit, eam ſubire mutationem. Praeterea, quo tempo-re quaeſtio fuit mota, num ipſe panis, vel externa corpo-ris Chriſti in euchariſtia ſpecies, accidens corruptionis retineret, nec ne? illis, qui prius tenuerunt, *Stercoraniſta-rum* epitheton ab adverſariis eſt datum. Vid. de hoc Ster-coraniſtarum convitio, praeter Pagi ad Baron. a. 883. et Albertinum de Euchariſtia l. III. p. 930. doctus Anonymus in *praemonitione* Bertrami, Gallice et Latine editi.

§. CCCLXXII. Ex dictis, ni fallor, eluceſcit, nullam non tantum fuiſſe Stercoraniſtarum ſectam, ſed et ipſum Bertramum, aeque ac Rabanum Maurum, et alios ſimiles, ad eorum claſſem fore referendum, quia nihil mutationis accidere voluit pani, qua pani, ſed eſſe et manere cibum, quo corpus alitur, ut ex toto libello ejus manifeſtum eſt, longe itaque abeſt, ut contra Stercoraniſtas ſcripſerit. *In-*terea non nego, eum patronos realis praeſentiae corporis Chriſti refutare, acſi illud ſine externa panis ſpecie adeſſe voluerint; ut ex toto libello conſtat. Refellit utique eos, qui phraſin corporis Chriſti in euchariſtia ſine figura, ſe-cundum nudam rei manifeſtationem, intelligebant, et inter alia iis objicit, cum dici non debere *credo*, ſed *video*, cor-pus adeſſe. Nec tamen propterea cum Catholico-Romanis admitto, Bertramum agnoviſſe realem praeſentiam, et ex-ternam apparentiam tantum rejeciſſe, cum modo demon-

ſtraverim

straverim contrarium, verum nullam novisse distinctionem inter realem praesentiam, et externam adparentiam, adeoque utramque simul refutasse, et realem praesentiam ex eo, quod non adpareat caro, sed panis, in eucharistia.

§. CCCLXXIII. Videtur itaque mihi Paschasium, aliosque ejus similes, in oculis habuisse Bertramus, eorumque sententiam de praesentia Christi in eucharistia ita intellexisse, acsi omnem figuram et panis speciem excluderent, nihilque praeter ipsum Christi corpus ex Maria natum, et passum, in eucharistia agnoverint. Paschasius panis substantiam diserte quidem non abstulerat, sed de carnis Christi praesentia reali tam fortiter et emphatice fuerat locutus, ut justissimam dederit ansam tale quid de ipso suspicandi, ut ex libro ejus manifestum est, quippe de quo adhuc disputari possit, num non omnem panis speciem negaverit, saporem vero et colorem panis pro corporis Christi accidentibus habuerit. Equidem ipsi hanc opinionem non inputaverim, ut supra exposui, attamen ita passim loquitur, acsi simile quid statueret. Imo fuisse, qui ejus opinionem ita acceperunt, ut nihil figurae superſit in phrasi Domini *hoc est corpus meum*, et ipsum Christi corpus plene adsit, ipse Paschasius haud obscure innuit, cum illud a se studiose removeat in epist. ad Frudegardum, ubi et haec ejus inter alia occurrunt verba: *et ideo, si quis dicit, hanc carnem et hunc sanguinem, sic ipsa esse absque mysterio et sacramento, nec in figura ex parte sumendum, ut illi tunc carnales carnaliter sapientes sumserunt, totum dissipat.* Hoc ipsum erat, quod Frudegardus de ipso fuerat opinatus, ut ibid. indicatur, quodque Bertramus multis refutat. Testatur quoque in expositione Matt. XXVI. Paschasius, fuisse qui *reprehenderent, quasi nimium dictis Christi tribuere voluerit.*

§. CCCLXXIV. Quod vero de Paschasio dubium est, num ipsam carnem realiter et substantialiter adesse velit in eucharistia, illud majore cum veri specie de Haymone

Halberst. adfirmari potest, si auctor sit tractatus de *corpore et sanguine Domini*, qui ejus nomine exstat in Spicilegio Dacheriano tom. I. in quo diserte declarat, *se credere et tenere, quod substantia illa, panis scilicet et vini, per operationem divinae virtutis, id est, natura panis et vini substantialiter, convertatur in aliam substantiam, id est in carnem et sanguinem. In quo quidem Christi corpore*, sic postea pergit, *et sanguine, propter sumentium horrorem, sapor panis et vini remanet, et figura, substantiarum natura in corpus Christi et sanguinem omnino conversa.* Adpellat deinde *corporalem et temporalem corporis et sanguinis Christi comestionem, et incorporationem*; expresse quoque negat, panem *signum* posse adpellari corporis Christi, cum signum non sit illud, cujus signum est; eo vero tantum sensu illud nomen gerere respectu sumentium, quatenus unum corpus fiunt per illud sacramentum, et aeternam societatem ac refectionem in coelo *significat*. Quae et quorum similia alium vix admittunt sensum, ac nullam figuram respectu corporis Christi locum habere, et nudam esse rei manifestationem, ita ut sapor et figura non amplius sint panis et vini accidentia, sed ipsius corporis Christi, quod ita in ore sapit ut panis et vinum. Haec licet habeat autor istius tractatus, qui Haymoni adscribitur, ipse tamen in comment. ad 1 Cor. XI. mentem ita exponit, ut Veterum sententiae de unione divinae naturae cum pane et vino plane conveniat. *Sicut enim illa adsumta, videlicet caro*, haec ejus verba sunt, *corpus est Christi, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed unum corpus: Divinitatis enim plenitudo, quae fuit in illo, replet et istum panem, et ipsa divinitas verbi, quae inplet coelum et terram, et omnia quae in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod a multis sacerdotibus per universum orbem sanctificatur, et facit unum esse corpus. Et sicut ille panis et sanguis in corpus Christi transeunt, ita omnes qui in Ecclesia digne comedunt, illud unum Christi corpus sunt.*

§. CCCLXXV. Tales intendere potuit Bertramus, qui

vel

vel in veram Paschasii mentem penitius intrarunt, vel, quod probabilius est, illum male intellexerunt, et absurdum sensum sectati sunt, quem refutavit Bertramus. Ex quo de scopo et occasione libelli ejus clare, ni fallor, constat. Paschasius in eos insurrexit, qui nihil nisi figuram, et typum, statuebant: sed cum ille nimis fortiter et crudius de reali et corporali praesentia esset locutus, justamque dedisset suspicionem, corporalem praesentiam ab ipso introduci, abolito omni quod panis fuerat, imo aliqui in eam absurdam essent praecipitati opinionem, Bertramus, a Carolo Calvo excitatus, fidem Ecclesiae rectius exposuit et demonstravit, figuram omnino esse in eucharistia tenendam, salva veritate corporis et sanguinis Christi, adesse scilicet carnem Christi, sed non corporaliter, verum spiritualiter et mystice, quoad divinam naturam et virtutem, cum elementis unitam.

§. CCCLXXVI. Viguerunt itaque inter Doctores, in Ecclesia Latina, tres potissimum de praesentia Christi in eucharistia opiniones, strictim recensendae. 1. Fuerunt ante et post Paschasium, qui nihil praeter figuram statuerunt, ita ut panis dicatur corpus Christi, quia illud repraesentat, ejusque commemoratio est. Memoravit tales Paschasius, iisque libellum suum opposuit *de corpore et sanguine Domini*. Sed post eum professus eam opinionem est, et defendit, Johannes Scotus, edito tractatu de ea materia, quo sec. XI. usus est Berengarius, teste epistola ejus ad Lanfrancum et Richardum. Quo ipso seculo liber Scoti damnatus est in Synodo Romana sub Nicolao II. a. 1059., eumque comburere coactus est Berengarius, ut Guitmundus et Lanfrancus referunt, de quo postea suo loco: a qub tempore desiit superesse Scoti liber. Testatur autem de ejus opinione Hincmarus de *praedestin.* l. I. c. 31. eam fuisse, *sacramenta altaris non verum corpus et sanguinem esse Christi, sed tantum memoriam veri corporis* etc., ex quo etiam patet, idem tenuisse Prudentium Tricassinum. Adserit quoque illud de

libello Scoti Ascelinus Monachus ad Berengarium, et eo nomine se ei opposuit Adrevaldus Floriacensis, Monachus Benedictinus, in tractatu *de corpore et sanguine Christi contra ineptias Johannis Scoti:* quem Dacherius in Spicil. luci exposuit tom. I. Sed nihil explicat, nihil demonstrat, autor, sententias Veterum collegisse contentus. Ceterum praeter Prudentium, modo memoratum, corpus Christi non aliter in sacramento adesse quam in figura, statuisse quoque censetur Druthmarus; de quo mox.

§. CCCLXXVII. 2. In alterum extremum visi sunt abiisse alii, qui nullam admiserunt figuram, sed ipsius rei nudam manifestationem tenuerunt, adeo ut ipsum Christi corpus natum et passum adsit reapse, licet speciem panis in colore et sapore praeferat, sive ita vere senserint, sive sentire fuerint visi, et aliis hoc de ipsis opinandi praebuerint ansam. Quorum princeps fuit Paschasius Radbertus, quem alii sunt secuti, ut, sicut putatur, fide libri *de corpore et sanguine Domini*, ipsi adtributi, Haymo Halberst., de quo modo egi, et Hincmarus, de quo mox. Nec tamen radices hoc tempore egit haec opinio, ut ipse Paschasius haud obscure innuit, dicens in epist. ad Frudegarum, *multos de ea re dubitare*, et in comment. ad Matth. XXVI., se a quibusdam reprehendi, quod nimium verbis Christi tribuerit. De exiguo successu et illud testari videtur, quod nonnulli Caroli Calvi jussu contra Paschasium scripserint: quod de Johanne Scoto diserte tradit Berengarius in epist. ad Richardum apud Albertinum de Eucharistia lib. III. p. 932. Accedit, communem et dominantem sententiam fuisse adhuc aliam, quam exponere adgredior.

§. CCCLXXVIII. 3. Fuit autem ipsa illa, quam in lucem protraxit Bertramus, et supra explicui. Consentit ipsi per omnia Rabanus, qui et ipse contra opinionem eorum scripsit, qui ipsum Christi corpus, ex Maria natum et passum, in altari realiter esse dixerunt: uti ipse, a se in epist. ad Heribaldum esse factum, testatur in epist. ad Egilonem Abbatem

batem, cujus meminit Rabanus cap. 33. libri *poenitentialis* Oper. tom. VI. Sed quae epistola non superest, nisi ea sit, quae titulo *dicta sapientis contra Radbertum* vulgata est a Mabillon. sec. IV. Benedictin. p. II. ad calcem, ut probabile fecit Mabillon. Tenuit quoque Rabanus de panis et vini substantia servata, ea elementa digestioni esse obnoxia, ut ait in epist. ad Heribaldum. Quam ob causam in Stercoranistarum classem est relatus, et acriter reprehensus ab Herigero, Laubiense Abbate, qui anonymus esse censetur a Cellotio editus in *adpendice hist. Godschalki.* Nec tamen nudam figuram admisit Rabanus, sed agnovit, elementa *sanctificati per Spiritum S., et in sacramentum divini corporis transire*, seu, ut l. VII. de *sacris ordinibus* dicit, panem et vinum *in carnem et sanguinem converti* per Dei omnipotentiam. Lib. V. de *Universo* cap. IX. dicit, *quia panis corpus confirmat, ideo ille corpus Christi congruenter vocatur, vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Haec autem, dum sunt visibilia, santificata tunc per spiritum sanctum in sacramentum divini corporis transeunt.* Quae verba etiam exstant l. I. Instit. Cler. cap. 31. Simul inter sacramentum, et ejus virtutem, distinguit. Sacramentum dicit ore percipi, sed *virtute sacramenti interiorem hominem satiari, et sicut illud in nos convertitur, cum illud manducamus et bibimus, sic et per hanc nos converti in corpus ejus.* Vid. Institut. Cler. l. I. c. 31. In epist. ad Heribald. agnoscit, sacramentum confici ex rebus visibilibus ac corporalibus, sed *invisibilem tam corporis quam animae efficere sanctificationem et salutem*, nec non, panem post consecrationem aliam habere naturam, ac ante eam. Concinit per omnia autor libri modo memorati, quem Rabanum esse putat Mabillon., ut ex lectione ejus cuique facile patebit. Mabillonius quidem censet, eum a Paschasio non multum dissensisse, sed deceptus verbis ibi p. 593. occurrentibus, quibus dicitur, *veram carnem esse potenter de pane creatam per consecrationem S. Spiritus, sicut in utero*

Mariae etc., quippe quae non sunt hujus autoris, sed Radberti, quae citat et refutat.

§. CCCLXXIX. Ejusdem fuit opinionis Amalarius, cujus sunt libri de *Officiis Eccles.*, et Epistolae in Spicilegio Dacherii tom. III., nec non *responsio de corpore et sanguine Domini*, ibid. tom. I. Eum in libris de Off. Eccles. multa proferre, quae eum retinuisse verum panem et vinum, esseque signa corporis Christi, demonstravit abunde Albertinus l. cit. l. III. Sed, eum quid plus quam nudum signum statuisse, haec verba ejus de Off. Eccles. l. III. c. 24. evincunt: *credimus, naturam simplicem panis et vini mixti verti in naturam rationabilem* (h. e. spiritualem: vid. Florus de missa in Bibl. Patrum) *scilicet corporis et sanguinis Christi*, et addit, *hoc morsu coelesti benedictione inpleri animas credentium.* In laudata vero *responsione* dicitur, *mysterium corporis et sanguinis virtute coelestis benedictionis, et verbi divini, in id, quod non erat, consecrari*: et mox, *virtute invisibili converti, ut aqua in vinum conversa est*: illud sola fide conspici, esseque in eo sacramento, praeter panem et vinum, *vim divinae virtutis, ei spiritualiter infusam.* De ipsis elementis dicit, se ignorare, quid post comestionem fiat, et illud solum Dominum scire, *scimus*, inquit, *consumi posse spirituali virtute, etiam conservari posse inconsumtibili perennitate; absit tamen, ut tantum mysterium secessui sit obnoxium.* In epist. ad Rantgarium phrasin, *hic calix est Novi Testamenti in sanguine meo*, ita interpretatur, *hic calix est in figura corporis mei, in quo est sanguis, qui manavit de latere meo* etc. *manducare vero carnem Christi* Joh. VI. ipsi est, *participem fieri passionis*, dici autem sacramentum corporis, *secundum quendam modum corpus.* Denique, ne plura congeram, in epist. ad Guntradum dicit: *Dominum corpus suum per artus et venas diffundere ad salutem nobis aeternam:* dein de mysterio corporis addit: *ita vero sumtum corpus Domini bona intentione, non est mihi disputandum, utrum invisibiliter adsumatur in coelum, an reservetur in corpore nostro, usque in diem*

sepul-

sepulturae, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur etc. *hoc solum cavendum est, ut Judae corde sumam illud, et ne contemtui habeatur, sed discernatur saluberrime a communibus cibis.*

§. CCCLXXX. Eodem quo Rabanus modo cum de hoc mysterio differuerit Walafridus Strabus de reb. Eccles. CXVI. eum praetermitto, haec ejus notabilia verba citasse contentus: *in coena, quam ante traditionem suam ultimam cum discipulis habuit, post paschae Veteris solennia, corporis et sanguinis sui sacramenta, in panis et vini substantia, eisdem discipulis tradidit, et ea in commemorationem sanctissimae suae passionis celebrare perdocuit*, etc.: dein cap. 17. *Igitur cum ipse Filius Dei dicat, caro mea vere cibus est, et sanguis meus verus est potus, ita intelligendum est, eadem redemtionis nostrae mysteria, et vere esse corpus et sanguinem Domini, ut illius unitatis perfectae, quam cum capite nostro, jam spe, postea re, tenebimus, pignora credere debemus. Inde et sacramenta, a sanctificatione, vel secreta virtute, dicuntur.* Et de Remigio Autissiodorensi verbum addo: cujus doctrina eodem tendit in *expositione missae* in Bibl. Patrum. Notabilia tantum ejus verba, quae ibi occurrunt, non possum quin proferam, cum clavem praebeant ad Veterum dicta recte explicanda. *Quia*, ita habent, *sicut divinitas verbi est una, quae inplet totum mundum, ita, licet multis locis, et innumerabilibus diebus, corpus consecretur, non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices, sed unum est corpus Christi, et unus sanguis, cum illo, quod sumsit in utero virginis, et quod dedit Apostolis, Divinitas enim replet illud, quae et conjungit, ac facit, ut sicut ipsa una est, ita conjungatur corpori Christi, et unum ejus corpus sit in unitate.* Addit mox, *mysterium est, quod aliud videtur, aliud intelligitur; quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem,* rursus, *illius ergo panis et calicis oblatio est mortis Christi commemoratio.* Concinunt plane verba autoris *explanationum in Epistolas* Pauli, in Biblioth. M. Patrum tom. VIII., qui

 est

est Remigius quoque noster, et non Rhemensis sec. VI., ut supra observavi, quae ad 1 Cor. X. occurrunt, digna, quae et hic legantur. *Quoniam unus, subaudi panis Christi, unum corpus multi sumus, qui comedimus illum panem, caro, quam Verbum Dei Patris adsumsit in utero virginali, in unitate suae personae, et panis consecratus in Ecclesia, unum corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus, sed nec sunt duo corpora, sed unum corpus. Divinitatis enim plenitudo, quae fuit in illo, replet et istum panem, et ipsa Divinitas verbi, quae inplet coelum et terram, et omnia quae in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod a multis sacerdotibus per universum orbem sanctificatur, et facit unum corpus Christi esse. Et sicut ille panis et sanguis in Christi corpus transeunt, ita omnes, qui in Ecclesia digne comedunt, illud unum corpus Christi sunt, — — — sicut ipse dicit, qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. Tamen illa caro, quam adsumsit, iste panis, omnisque Ecclesia, non facit tria corpora Christi, sed unum corpus* etc. Vid. etiam ad cap. XI., ubi etiam dicit, in *commemorationem passionis Christi et nostrae redemtionis* coenam celebrari, et verba, *hic calix est novum Testamentum*, exponit per *significat vel confirmat.* Hattonis Episcopi Basileensis, et Abbatis coenobii Augiensis, hujus sec., capitulare can. 5., in Spicilegio Dacheriano tom. VI. et in collectione Synod. Harduini tom. IV., dignum quod hic legatur, habet: *in sacramentis*, seu mysteriis corporis et sanguinis Domini, *visibilem creaturam videri, et tamen invisibilem salutem, ac aeternitatem animae subministrari, quae in sola fide continetur.*

§. CCCLXXXI. Subjungo denique Druthmarum, qui propius ad Johannem Scotum accedit, Hincmarum, Paschasio magis consonum, et Florum Magistrum. Druthmarus, presbyter et Monachus Corbeiensis in comment. ad Matt. XXVI. diserte tradit, non tantum verum panem et vinum esse, et manere, sed et corpus ac sanguinem in figura

gura et ob memoriam adpellari; tantum addit, ſpiritualiter panem transferri in corpus, et vinum in ſanguinem, ut per haec duo memoremus, quae fecit pro nobis. Sed dubium eſt, quo tempore vixerit autor, dum alii huic ſeculo eum adligent, quia cap. 56. ad Matth. dicit, *Bulgaros quotidie baptizari*, quod hoc ſec. factum eſt, alii vero ad ſec. XI*mum* transferunt, fide anonymi Mellicenſis c. 102., ubi *Guidmundus*, qui et Chriſtianus, adpellatur. Vid. Fabricius Bibl. med. et infim. Latinitatis l. III. Quod ſuo relinquo loco.

§. CCCLXXXII. Hincmarus de Praedeſt. l. I. c. 31. in Johanne Scoto et Prudentio reprehendit, quod ſacramenta altaris, *non verum corpus et ſanguinem Chriſti*, ſed tantum *memoriam*, dixerint: nec tamen panis et vini ſubſtantiam voluit abolitam, cum inter ſpiritualem carnem manducare, et carnaliter ac viſibiliter ſacramentum corporis ſumere, diſtinguat, uti ibid. cap. 38. Porro in *explanatione in ferculum Salomonis* Oper. tom. I. p. 767. dicit, *lavat nos a peccatis noſtris quotidianis in ſanguine ſuo, cum ejusdem beatae paſſionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura in ſacramentum carnis, et ſanguinis, ejus ineffabili Spiritus ſanctificatione transfertur* etc. Quae etiam in lib. de *cavendis vitiis* cap. XI. reperiuntur: ubi quoque dicit, totum eſſe myſterium, quod in hac oblatione Dominici corporis et ſanguinis agitur, *aliud enim videtur*, inquit, *aliud intelligitur, quod videtur, ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem.* Sic et cap. 12. *vita utique erit corpus et ſanguis Chriſti*, inquit, *ſi, quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur*: addit mox, Chriſtum *manducari in corpore, et manere integrum in coelo, et in corde.* Quo ſenſu dicit, *Deum adeſſe verbis ſuis euangelicis, ſine quibus ſacramentum non conſecratur, et ipſum ſanctificare ſacramentum ſuum, et facere ſeipſum* etc. Sic in ſequent., *nos, accipientes virtutem coeleſtis cibi, in carnem illius, qui caro noſtra facta eſt, tranſire*: dein addit, *ut veluti quidam eſſet*

 horror

horror cruoris, sed maneret gratia redemtionis, ideo in similitudine quidem accipis sacramentum; sed verae naturae gratiam, virtutemque consequeris, etc. Quo sensu mox dicit, *per Christi sermonem mutari species elementorum et naturas.* Imo subinde tam fortiter loquitur, ut idem de eo judicium, quod de Paschasio, ferri fere debeat, utique nemo propius ad eum accessit. Vid. etiam fragmentum epistolarum ejus VII*mum* ad calcem operum. Florus de *actione missarum* in Bibl. Patrum, et in *homiliario* Mss. apud Mabillon. in praef. ad sec. IV. Benedictin. p. II. p. 29. eodem quidem modo loquitur, sed ita ut omnem praecidat ansam verba in realem ac corporalem praesentiam detorquendi. De quo non ausim differere, ne nimis prolixa fiat tractatio, quae et jam forte modum excessit: sed res mihi visa fuit digna, quae clariore donaretur luce, cum haud pauca inde colligi possint alicujus momenti.

§. CCCLXXXIII. Elucescit enim ex disputatis, 1. diversas obtinuisse in Ecclesia Latina opiniones de modo praesentiae Christi in eucharistia, absque ut ea scissa fuerit, aut per Synodos factae sint definitiones et discessiones. 2. Communem huc usque mansisse opinionem de divinae naturae unitione cum pane et vino, ac divina virtute iis indita, ut idem habeant, ac caro et sanguis Christi, effectum, salva panis et vini substantia. 3. Attamen exortos fuisse aliquos, qui realem et corporalem praesentiam visi fuerunt tenuisse, uti Paschasium, Haymonem, et Hincmarum; licet res certa non sit. 4. Methodum eorum, qua praesentiam Christi realem explicuerunt, fuisse minus notam aut vulgatam. Sicut ex ipso Paschasio patet, et inde confirmatur, quod Carolus Calvus nonnullis dederit in mandatis, uti Bertramo, Scoto, et aliis, ut fidem Ecclesiae hac parte exponerent. Ipse Paschasius in epist. ad Frudegarum tradit, *multos ea de re dubitare, seque plures ad intelligentiam illius mysterii commovisse, quosdam ex ignorantia errare, alios loquacissimos magis quam doctos ea refugere credere.* Fuerunt

erant quidem antea, qui haud absimili modo locuti sunt, ut superiore sec. observavi, sed illud fuit minus animadversum aut vulgatum. 5. Neminem adhuc aut voce Transsubstantiationis fuisse usum, aut rem tenuisse. Qui enim *corpus* Christi adesse censebant, aut censere videbantur, sub *specie panis* et *vini*, eam non pro accidente panis et vini habuerunt, sed ipsius corporis Christi; ut supra notavi: quare realem praesentiam, et nudam manifestationem sine figura, pro uno eodemque acceperunt: ut ex Bertramo supra observavi. Denique 6. de missa, seu vero conspectu eucharistiae et effectis ejus, idem adhuc communiter sensisse ac antea. De quo non necesse est plura addam.

§. CCCLXXXIV. Cum seculum nostrum de circumstantiis cultus publici parum suppeditet, praeter pauca de *festis*, tractationem de hac Ecclesiae parte breviter absolvam. Festorum catalogum contexuit Caroli M. capitulare, et Synodus Moguntina a. 813. quae ad praecedens sec. recensui. Hic notetur 1. Festum *omnium sanctorum*, quod jam antea obtinuit, etiam in aliquibus Galliae Ecclesiis, introductum fuisse per omnes Galliae et Germaniae Ecclesias, statuente Ludovico Pio, et admonente Gregorio IV. Papa: ut tradit Sigebertus in Chron., et Ado in martyrologio. 2. *Octavam* diem *adsumtionis* Mariae instituit Romae celebrandam Leo IV., occasione miraculosae liberationis, ut ferebatur, a vexatione basilisci, diri serpentum generis, quae ipso illo festo contigerat: eodem Sigeberto teste, et Anastasio in vita Leonis. 3. Cum in Synodo Moguntina decretum esset, ut eorum martyrum et Confessorum festivitates celebrarentur, quorum *in unaquaque parochia sancta copora requiescunt*, varia exorta sunt *sanctorum* festa; non recensenda. Praeterea a seculo praecedente inceperunt mutuae societates in commendationem in primis mortuorum, et anniversaria defunctorum officia, sive semel, sive perpetuo recurrentia. Vid. Mabillon. praef. ad sec. III. Benedictin.

§. VI. Addatur denique in publicis Litaniis preces vel ſuperiore ſeculo circa fin., vel hoc, incepiſſe dirigi ad ſanctos, ut eorum inploretur interceſſio apud Deum, cum antea ad ſolum Deum fuerunt factae. Vid. *Veteres litanias Anglicanae* apud Mabillon. in Analectis tom. II., et alias litaniae apud Baluzium adpend. ad *Capitularia* tom. II. p. 95.

REGIMEN ET DISCIPLINA.

§. CCCLXXXV. Primus Paparum hujus ſeculi, ut pro more eorum pertexam hiſtoriam, eſt *Leo III.*, *a cunctis ſacerdotibus, ſeu Proceribus, et omni Clero, nec non Optimatibus et cuncto populo Romano electus, et mox altero die conſecratus* a. 795., ut verba habent Anaſtaſii; et mox poſt ordinationem Carolum ea de re certionem fecit, ac legationem ab eo, ad pactum firmandum, petiit. Quod et factum eſt, Carolo Patricii et Defenſoris dignitate firmata; ut epiſtola Caroli reſponſoria in Tomis conciliorum habet. Quando Papa *claves confeſſionis S. Petri* et *vexillum Urbis* ei miſit, teſte Eginhardo in Annalibus. Pontifex eſt et ſingulari facto, et rebus geſtis, celeberrimus. Quatuor fere cum ſediſſet annos, Paſchalis Primicerius, et Cambulus Sacellarius Eccleſiae Romanae, nepotes Hadriani, qui ſub eo principatum tenuerant Romae, et dominati erant, ſed a Leone in ordinem redacti, in eum, litanias cum populo celebrantem, in ipſo proceſſu, irruerunt, eumque multis adfectum plagis oculis privarunt, et, lingua praeciſa, in cuſtodiam detruſerunt, ſed inſigni miraculo viſum ac loquelam fertur recepiſſe, *Domino annuente*, inquit Anaſtaſius, *atque beato clavigero Petro regni coelorum ſuffragante*, ac ope Vingiſi, Ducis Spoletani, liberatus, ac Spoletum abductus: unde ad Carolum tetendit, et ab Ipſo magna cum veneratione ſuſceptus, et ſedi reſtitutus eſt; a. 799. Carmine adventum ejus ad Carolum deſcripſit Anonymus aequalis, in Antiq.

Antiq. Lect. Canisii tom. II. De miraculosa ejus sanatione licet aequales testentur autores, Aymon tamen l. IV. c. 8. dicit, *ut aliquibus visum est.* Hermannus Contractus sec. XI. in Chron. ad a. 799. *famae* refert acceptum, *Leo Papa, ut fama est*, inquit, *in litania majore a Romanis praecisa lingua excoecatur*, et Zonaras, l. XV. eos, quibus excoecatio erat demandata, *pepercisse Papae, et oculos tantum laesisse extrinsecus, sed lumine non privasse.* Vid. etiam Schminck. in *vita Caroli* p. 124.

§. CCCLXXXVI. Inter gesta ejus maxime memorabilia, praeter triclinii exstructionem, eminet Caroli M. coronatio. Triclinium, *aulae Leoninae*, vel *Basilicae*, nomine notum, ab ipso in palatio Lateranensi a. 796. aedificatum, propter singularem picturam adtentionem meretur. Geminae ejus erant tabulae, et tres in unaquaque personae; in *altera* Christus sedens in medio, et ad utrumque latus Constantinus M. et Sylvester Papa in genibus, in *altera* vero Petrus sedens, et Carolus ac Leo ad latera ejus super genua. Quae personae sua accipiunt insignia a Christo et Petro, Imperatores *vexillum*, Papae, alter *claves*, alter *pallium*. Vid. Alemannus in dissert. de *Lateranensibus picturis.* Sed Caroli coronatio nostra in primis digna est adtentione. Venit Romam a. 800., ut de criminibus, Papae objectis, judicaret. Sed, cum Episcopis, Abbatibus, et Nobilibus, in unum coactis, jussisset, ut examen institueretur, omnes, ut refert Anastasius, dixerunt, *sedem Apostolorum, quippe omnium Ecclesiarum caput, omnes judicare, sed a nemine judicari*: verius videtur, quod Aymon tradit, *neminem eorum criminum probatorem esse voluisse.* De quo quicquid sit, Papa, euangelio capiti inposito, juravit, se a criminibus esse purum: ut narrat San-gallensis monachus de *Ecclesiast. cura Caroli* l. I., idque pro more seculi, quo reus, deficiente accusatore, se juramento declarabat innocentem. Papa, hac ratione in sede confirmatus, in signum grati animi pro multis beneficiis, a Carolo Ecclesiae et sedi Romanae conces-

sis, ipsi, nihil tale suspicanti, ut fertur, *coronam* inposuit, cum missa celebraretur. Quando ei a populo mox adclamatum est, *Carolo piissimo Augusto, a Deo coronato, magno pacifico Inperatori, vita et victoria.* Quo facto, titulo Patricii sublato, Inperator, et Augustus est adpellatus, ac adoratus, etiam, quod notandum, a Papa, ut Annal. Fuld., Adelmus in Annal. Francorum, Ado, aliique, testantur; praeterea a Papa benedictus, et oleo sancto inunctus: ut Ademarus, et Eginhard., in vita Caroli narrant. Quando quoque *perpetuum* capessivit *Consulatum*; ut ex praefatione legum, ab ipso Mutinae datarum, quam recenset Sigonius de Regno Italiae ad a. 801.. constat. Hac ratione Carolus fuit primus Inperator a Papa benedictus, et in ipso censetur *renovatum* Inperium Occidentis, quod in Augustulo conciderat, et inde penes Gothos ac Orientales fuerat. Fert vero rectius *renovati*, quam *translati*, inperii conspectum, cum quod Occidentis inperium plane erat exstinctum, adeoque renovandum, quare etiam in nummis Caroli legitur *renovatio Inperii*, tum quod Irene Inperatrix nihil de jure suo remiserit, nec Orientis Inperatores hunc titulum concedere voluerint Francorum Regibus, quos *reges* vel *Inperatores* Francorum adpellant, imo ipse Carolus illis, post susceptum titulum inperii, fuit odiosus, teste Eginhardo. Ceterum, quod observari velim, *utile* urbis dominium mansit penes Papam usque ad a. 823., quando illud a Paschali I. est concessum Lothario: de quo postea. Duravit ab hoc tempore consuetudo, qua Francorum Reges sunt a *Papis* coronati, ante quam coronationem sibi non sumserunt *Inperatoris* titulum, ut ipse Ludovicus II. testatur in epist. ad Basilium Graecorum Inperatorem, apud Du-Chesnium hist. Franc. tom. III. Habuerunt itaque ab hoc tempore Reges Francorum *tres coronas*, *Inperii Romani*, qui titulus ab urbe Roma, et ejus territorio, est ortus, *regni Francorum* et *Longobardorum*. De quo vid. Lessasschierus in *Opusculis* p. II.

§. CCCLXXXVII.

§. CCCLXXXVII. Cujus singularis casus occasione cum duae ntilentur quaestiones, *una*, quid Carolo sit datum? *altera*, jus autoritate et potestate? de iis quaedam sunt dicenda. Carolo proprie nihil accessisse potestatis, sed nudum honoris ac dignitatis titulum tantum esse datum, vel ex eo nstat, quod jam antea in populos subjectos omnem habuerit et exercuerit potestatem; ut ex Caroli historia manifestum est, et ab Annalista Lambeciano diserte traditur: qui, cum dominium Caroli in omnes terras subjectas tradidisset, addit, *ideo justum iis esse videbatur*, (scilicet quia omnes illas sedes in potestatem ejus concessit) *ut Ipsum cum Dei adjutorio, et universo populo petente, ipsum nomen haberet.* Dubium tantum aliquatenus est, num Inperatoria, an Patricia, tantum gavisus sit potestate in ipsa Urbe Roma, post hunc titulum receptum? de quo postea. Hic nasse suffecerit, quod Eginhardus, et Annales Francici, memoriae prodiderunt, Carolum Roma non ante discessisse, quam *ordinatis Romanae urbis, et Pontificis, totiusque Italiae; non tantum publicis, sed etiam Ecclesiasticis, et privatis rebus:* Papa licet coronaverit et inunxerit Carolum, titulum tamen in eum non contulit ex propria autoritate, sed totius populi, et Ecclesiae Romanae, consensu: quare ipsi ab omnibus esse adclamatum, et ab omnibus constitutum Inperatorem, tradit historia. Annalista quoque Lambecianus, illud nomen fuisse *Papae, et universis Patribus ac populo*, diserte tradiderit. Cum tamen Papae praecipua esset Romae autoritas, ab Ipso etiam illud in primis derivandum est, sicut et propterea quoque ab Historicis ut plurimum tribui solet.

§. CCCLXXXVIII. Ex dictis ni fallor, satis elucescit, non illos Pontificios hinc male colligere, Papis potestatem competere *transferendi regna.* Nihil utique simile hic actum est; nihil novae potestatis datum est Carolo, qui tantum coronatus est cum novo titulo, qui mere cerimonialis est titulus. Quo tamen postea abusi sunt Papae, ut suo loco patebit.

patebit. Vid. Cl. Spanhemius in Diatriba de *ficta collatione Inperii in Carolum*, in Miscell. S. Antiq. l. IV. Verum quidem est, chartam divisionis regni inter tres ejus filios, ab Ipso Carolo factam, quae superest in Capitular. Francorum Baluzii tom. I., missam quoque esse ad Papam, ut ei subscribat, teste Eginhard. in Annal. a. 800., sed Papae non est oblata, ut ab eo requirat autoritatem, cum jurejurando jam satis esset, teste eodem autore, ab Optimatibus confirmata, sed ut de genuinitate magis constaret, et a nemine in dubium vocaretur, simul facilius executioni mandaretur. Sic et reliquis filiis sublatis, et solo Ludovico superstite, eum, consensu Primorum, nulla adsensus Papae facta mentione, constituit *totius regni*, *et Inperialis nominis*, *haeredem* a. 813.

§. CCCLXXXIX. Reliqua levidensi brachio perstringam, cum minoris sint momenti. *Spongiam*, sanguine Christi inbutam, et Mantuae repertam, tradit Annalista Metensis, a Papa esse adprobatam. Quo tempore Mantua ab ipso est sede Episcopali ornata. Vid. Ughell. Ital. Sacr. in Episcopis Mantuanis. Recusavit Papa additamentum Symboli CPol. *Filioque*, ut supra narravi. Cum ante Ipsius tempus *sinistra* in Synodis fuerit honoratior habita, datus est, Leone sedente, hic honos *dextrae*: quod tamen postea varie est mutatum. Vid. Papebrochius in *conatu Chronico Historico ad catalogum Pontificum in* Leone III., et de dextra an sinistra in sessu ac incessu honoratiore Jan. a Costa in Decret. Gregorii l. I. tit. 33. Denique, cum, Carolo mortuo, Romani denuo ipsum variis onerarent criminibus, et tumultus concitarent, coram Ludovico rursus est absolutus, et brevi post mortuus, a. 816.

§. CCCXC. *Stephanus* IV., licet decretum, ut Pontifex Romanus electus *non nisi praesentibus legatis Inperialibus consecretur*, quod ipsi a Gratiano distinct. 33. tribuitur, non condiderit, sed Stephanus VI., vulgo VII., de quo postea, misit tamen Legatos ad Ludovicum, *qui Inperatori pro consecratione*

tione sua suggererent, ut habet Eginhard. in Annal., vel, ut verba sunt autoris *vitae Ludovici*, inter Scriptores Franc. coaetaneos Pithoei, *satisfacerent super Ordinatione*. Unde patet, consensum Inperatoris fuisse requisitum. Praeterea statim ac Pontificatum suscepit *omnem populum Romanum*, jussit, *fidelitatem cum juramento promittere Ludovico*: ut refert Theganus, Trevirensis Chorepiscopus, de *gestis Ludovici*. Coronavit quoque, eodem teste, Ludovicum Inperatorem, simul passus est, ut Ludovicus ante pedes suos sese in *terram tribus vicibus prosterneret toto corpore*. Brevi est defunctus a. 817.

§. CCCXCI. *Paschalis* I., unanimi Cleri, Optimatum, et populi consensu electus, et sine Inperatoris expressa autoritate consecratus, dicitur quidem a Platina et Ciaconio se excusasse apud Inperatorem, et responsum tulisse, ut caverent, ne in posterum Majestas laederetur, sed quo fundamento, non constat, cum nusquam ejus reperiatur indicicium: *excusatoriam* tantum narratur ab Eginhardo misisse epistolam, qua sibi nolenti testatur inpactum esse Pontificatum, quia accusatus erat apud Inperatorem ambitionis, a qua se defendit, ut autor vitae Ludovici refert. Exstat quidem apud Gratianum Dist. 63., celebris Ludovici donatio ipsi facta, qua superiorum regum donationes non tantum confirmantur, sed et multum amplificantur, simul electio ac consecratio Papae ab Inperatorum autoritate conceditur libera, quam recenset, praeter Baronium, Baluzius Capitular. tom. I., et in collectione conciliorum Harduini tom. IV. et alibi. Sed eam esse fictam, post Mornaeum in *historia Papatus*, multis ipse Pagi ad Baron. a. 817., demonstrat, cujus nemo meminit ante Leonem Ostiensem in Chron. Casinens. l. I. sec. XII. scriptorem, quaeque et forma, sive initio et fine, et donatione provinciarum, sese facile prodit. Illud verius est, Paschalem, ut Romanorum tumultus, quos continuo contra Papas concitabant, reprimeret, renunciasse supremo in Urbe dominio, illudque in Inperatorem contulisse,

lisse, ac successores ejus, quo tempore Lotharius, Ludovici Filius, Inperator ab eo coronatus est, a. 823.; uti refertur in supplemento Pauli Diaconi, in *corpore historiae Francicae veteris et sincerae*, his verbis: *Paschalis quoque Apostolicus potestatem, quam prisci Inperatores habuere, ei super populum Romanum concessit.* Sed, quod notandum, Lotharius nihil accepit, quod a Carolo M. et Ludovico non antea possessum erat, qui dominium utile quidem dederunt Papis, sed verum, et supereminens, sibi reservarunt. Denique iconodaliam promovit litteris ad Monachos, propter eam a Leone Armeno vexatos, superstitionem reliquiarum auxit, et revelationes reliquiarum nonnullorum Sanctorum praetendit, ut ex litteris Papae, et Anastasio, refert Baronius a. 821.

§. CCCXCII. *Eugenius* II., successor ejus, nomine haud uno sese reddidit celebriorem. 1. Consecrationem Pontificis, sine praesentia legatorum Inperalium, condito decreto prohibuit, Clero injuncto juramento. *Ego* L. L. (h. e. N., loco nominis proprii, ut postea invaluit) *promitto, per Deum omnipotentem, et per ista sancta quatuor euangelia, et per hanc crucem Domini nostri Jesu Christi, et per corpus beatissimi Petri, Principis Apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero Dominis nostris Inperatoribus, Ludovico et Lothario — — — salva fide, quam promisi Domino Apostolico, et quod non consentiam, ut aliter in hac sede Romana fiat electio Pontificis, nisi juste et canonice — — et ille, qui electus fuerit, me consentiente, consecratus Pontifex non fiat, priusquam tale juramentum faciat in praesentia missi D. Inperatoris, et populi, quale Dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet perscriptum.* Exstat in supplemento Longobardicorum Pauli Diaconi, et in fine libelli ejus de Episcopis Metensibus. Movit vero Papam ad hoc decretum, ut continuis dissidiis obviam iret, et Lothario gratificaretur. Nec tamen hic mos nisi cum Gregorio IV. coepit, dein subinde interruptus, et tandem aboli-

tus

tus est. Vid. Pagi ad a. 815. 2. Constituit et hic Papa superstitiosam purgationem ac probationem per aquam frigidam, de quo postea, sed et, quod longe laudabilius est, earum disciplinae instaurandae ac studiis promovendis impendit, ut ex canonibus Synodi Romanae a. 826. ab ipso habitae, patet; in quorum uno praecipitur, *ut in universis Episcopiis, subjectisque plebibus, et aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, habeantur Doctores, sacrae et secularis scientiae periti, et adsidue doceant.* 3. Notanda denique constitutio Lotharii est, Romae a. 824. publicata, ad injustitias, quae praecedentium Praesulum negligentia et perversitate perpetratae erant Romae, compescendas et instaurandas, quae de supremo Inperatoris dominio Romae clare testantur. In earum una praecipitur, *ut omnis homo praestet in omnibus obedientiam ac reverentiam* Romano Pontifici.

§. CCCXCIII. In *Valentino*, successore ejus, qui vix mensem sedit, nihil nobis occurrit notabile, praeter ejus *inthronizationem*, cum quod ipse primus admiserit pedum oscula ab omnibus, etiam ab ipso Senatu, teste Anastasio, qui in Leone IV. morem illum adpellat *antiquum*, tum ea facta fuerit ante ordinationem et consecrationem, contra morem, quo haec praecedere solebat. Fiebat autem ordinatio in Basilica S. Petri, seu Vaticana, et inthronizatio in Lateranensi Ecclesia. Consecrationis ritus vero hoc tempore, teste Anastasio, erant ipsa consecratio ad S. Petrum, inpositio novi Papae in sedem Petri, oblatio sacrificii per eum, convivium et munera in Senatum et populum erogata, quae *presbyteria* vocabantur. Successor vero ejus *Gregorius* IV. ab a. 827. ad 844. non fuit consecratus, nisi postquam Legatus Inperatoris Romam venit, et electionem populi examinavit, ut Eginhardus, autor vitae Ludovici, et Annalista Bertinianus tradunt. Ipse etiam, juramento interposito, sponsionem fidei fecit Ludovico, ut Baluzius ad Agobardum demonstravit, cujus juramenti ipse Gregorius

 meminit

meminit in epist. ad Francos apud Baluz. oper. Agobardi t. II. Exercuit etiam Inperator per missos suos judicia Inperialia in urbe: ut ex lite Ecclesiae Romanae cum Abbate monasterii Farfensis, in Ducatu Spoletano siti, quam missi Inperatoris judicarunt, patet. Cum autem Papa judicio stare nollet, ad Inperatorem provocavit. Vid. Chron. Farfense apud du Chesnium tom. III.

§. CCCXCIV. Sed Gregorium praecipue nobilitavit, quod bello filiorum Ludovici cum Patre non tantum inmixtus fuerit, sed et eorum partes tuitus, ut multa produnt indicia. Vid. autor vitae Ludovici, unde etiam constat, eos conjunctos postea non fidisse Papae. Videri quidem voluit pacis conciliandae causa venisse in Franciam, sed longe alio animo eo tetendisse censitus fuit, ut Ludovicum, et Episcopos Franciae ei adhaerentes, excommunicaret: quam ob causam recusarunt Episcopi ei pro more occurrere, et honorem exhibere, imo palam dixerunt, *se nullo modo velle ejus voluntati succumbere, sed, si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, quum aliter sese habeat antiquorum canonum autoritas:* ut autor citatus refert, et ipse innuit Gregorius in epist. ad Episcopos Franciae, Oper. Agobard. tom. II. edit. Baluz. Esse autem fragmentum epistolae Papae probat P. Marca *concord. Sacerd. et Inper.* l. IV. c. 11., ubi hac de re plura habet notanda. Disci autem inde potest, Episcopos non tantum absolutam suam a Papa dependentiam non agnovisse, sed et judicasse 1. cum Majestate Inperatoria consistere non posse excommunicationem Papalem: quod Papa in illa Epist. refutat. 2. Papam ipsum excommunicari posse, quod Papa non negat, si sit perjurus, homicida, sacrilegus, fur, aut similium aliorum criminum reus. 3. Inperatori in ejusmodi rebus magis quam Papae esse obediendum: quod Papa etiam refellit, suam autoritatem apud Episcopos praevalere debere, contendens. 4. distinguendum esse inter sedem Romanam, et inter eum, qui in ea sedet, hunc quippe malum esse posse et deponi, *sal-*

vo ſedis honore. Quae antiquior eſt diſtinctio, ut Baluzius in not. probat. Papa regerit, propter ſedem etiam ſedentem eſſe honorandum, nec valere eam diſtinctionem, ubi crimen deeſt. Hic addatur, Ludovico poenitentiam fuiſſe ab Epiſcopis indictam, et ab aliis ſolutam, ac a Synodo confirmatam, ne conſulto quidem Papa: manifeſto indicio, autoritatem Papae in cauſis Eccleſiaſticis Principum ſemper non fuiſſe requiſitam, licet paſſim fuerit, ut exemplum eſt in Juditha Auguſta, quae a poenitentia eſt abſoluta per Gregorium, et alios Epiſcopos, teſte Thegano. Ceterum, qualem et quantam poteſtatem ſibi in rebus Eccleſiaſticis jam adrogaverit Papa, eluceſcit ex Epiſtola ejus ad *univerſos Coëpiſcopos* per Galliam, Germaniam, et univerſas provincias, in tomis concil., et apud Baronium a. 839. In qua ſuam ſedem adpellat *omnium reliquarum caput*, et ad eam omnes majores cauſas eſſe referendas, et adpellationes inſtituendas, contendit: imo inter alia addit, *nullum dubium eſſe, quod non ſolum Pontificalis cauſatio, ſed omnis ſanctae religionis relatio, ad ſedem Apoſtolicam, quaſi ad caput Eccleſiarum, debet referri, et inde normam ſumere, unde ſumſit exordium* etc. Cointius in Annal. Eccleſ. Franc. epiſtolam hanc pro ſpuria quidem habet, contra communem opinionem, nec ſolido fundamento nixus.

§. CCCXCV. *Sergius* II., quem nonnulli cum Platina falſo tradunt antea *os porci* adpellatum fuiſſe, et nomen ſuum mutaſſe, indeque morem nominis mutandi eſſe ortum, cum is fuerit Sergius IV., et primus conſuetudinem illam introduxerit Johannes XII., ut obſervat Onuphrius ad Platinam, Sergius, inquam, ſucceſſor Gregorii, cum inconſulto Lothario Inperatore eſſet conſecratus, Inperator, jus ſuum vindicaturus, Romam miſit filium Ludovicum, cum Drogone, Archiepiſcopo Metenſe, et ingente exercitu, *ut caveretur, ne deinceps, Apoſtolico decedente, quiſquam illic praeter ſui juſſionem, miſſorumque ſuorum praeſentiam, ordinetur Antiſtes*, ut habet Annaliſta Bertinianus. Tradit vero

Sigebertus, missum esse Ludovicum ad confirmandam electionem. Exceptus fuit Ludovicus, tanquam Rex Longobardiae, seu Italiae, qualis etiam erat a Patre renunciatus, cum debito honore, ut refert Anastasius, qui, de pedum Papae osculo nihil habens, dicit, portas S. Petri noluisse Papam ante aperiri, quam, se bono animo venire, professus esset Ludovicus. Quo facto, ipsum Regem Italiae unxit, sed non Inperatorem, quod Leo IV. a. 850. demum fecit: recusavit quoque juramentum fidelitatis ipsi faciendum, quod Franci urgebant, tantum Lothario fecit, et fieri permisit; teste Anastasio. Unde patet, Inperatorum quidem, sed non Regum, Italiae dominium in Urbe fuisse agnitum. Constituit quidem praeterea Drogonem vicarium suum in Gallia et Germania, sed, cum Episcopi resisterent, teste concilio Vernensi II. a. 844., effectu caruit. Nullus enim post mortem Bonifacii a. 755. fuit in illis regionibus sedis Apostolicae Legatus. Ceterum palam et inpune grassatam fuisse haeresin Simoniacam, ita ut Episcopatus publice fuerint divenditi sub hoc Papa, tradit autor coaevus apud Vignier. hist. Ecclef. a. 844.

§. CCCXCVI. Successit Leo IV. ab a. 847. ad a. 855. sine expresso Inperatoris consensu, aut legatorum praesentia, quidem ordinatus, sed sub hac protestatione, quod nullo modo laesam vellent fidem, et honorem Inperatori debitum. Ratio tam citae ordinationis erat, quod metuerent Saracenos et Mauros, qui Beneventum jam invaserant, et ad Romana confinia usque populabantur, teste Annalista Bertin. a. 847. Gallia quoque a Normannis infestabatur, adeo ut Legati vix tuto ire et redire ultro citroque potuerint. Unxit Ludovicum, Lotharii filium, Inperatorem, eodem Annalista referente, et a. 853. Alfredum, Saxonum Occidentalium in Britannia Regem, quem prius instituerat. Vid. vita Alfredi. Praeterea urbem munivit contra Saracenos, quos per Neapolitanos, classe instructa, quoque profligavit. Ceterum totus fuit in Ecclesiis instaurandis et ornandis, ac

moca

moenibus exstruendis, quibus Vaticanum cinxit, et urbem Leoninam, de suo nomine, adpellavit. Sed et superstitionis haud unum dedit indicium, uti in sanctorum corporibus in urbem transferendis, et *serica veste facta pro aeterna animae suae redemtione*, ut Anastasius loquitur; nec non in basilisci, omnes halitu suo necantis, fugatione, solenni pompa facta, et incendii restinctione, *signaculo crucis propriis digitis facto*, eodem autore teste etc. Denique notandum, sub eo jam invaluisse, ut in actis publicis annus Pontificatus Paparum fuerit notatus, ut ex Synodo ipsius Romana patet, quae celebrata dicitur *anno Pontificatus sanctissimi, et euangelici, et universalis, quarti Papae Leonis septimo*, Quo in concilio canones conditi vel renovati sunt ad disciplinam instaurandam, et multiplices abusus, qui inter Clericos et Monachos irrepserant, e medio tollendos.

§. CCCXCVII. De Successore magna inter doctos agitatur controversia, cum alii Johannam Papissam, sic dictam, alii Benedictum, ei successisse contendant. De *Johanna* itaque hic agendi locus est. Historia ejus, quemadmodum in Martini Poloni Chronico narratur, haec est. Johannes Anglicus, ex Moguntia oriundus, cum Athenis aliquamdiu operam dedisset studiis, Romam venit, tantamque ibi in triviis legendo, et discipulos faciendo multos, acquisivit famam et autoritatem, ut, Leone IV. mortuo, Papa communi consensu fuerit factus. Quam sedem cum annos duos, Mens. 5. et D. 6. tenuisset, accidit, ut, cum de S. Petro solenni supplicatione tenderet in Lateranum, inter Colisaeum et S. Clementis Ecclesiam partum subito ediderit, sed et vitam cum morte commutaverit. Ex quo manifestum fuit factum, eum fuisse foeminam, a familiari, quo cum Athenis jam fuerat, inpraegnatam. Addatur, supplicationes, in facinoris execrationem, hanc viam deinceps non amplius transiisse. Ita rem narrat Martinus Polonus, qui circa fin. sec. XII. floruit, a. 1278. mortuus. Sed huic historiolae postea quaedam sunt adsuta. Statuam in ejus memoriam fu-

isse erectam, tradit Theodoricus Niem *de privilegiis et juribus Inperii*, sec. XV. circa ann. 1414. Quo seculo etiam vixit Gulielmus Brevin, qui de *septem principalibus Ecclesiis Romae* scripsit, et refert, sellam perforatam, post Johannae tempora, fuisse introductam, cui novus Papa insidebat, ut genitalia ejus attrectarentur, et sexus exploraretur. Duo ex hac narratione orta sunt quaesita, *unum*, num ante Martinum Polonum ullus ejus meminerit? *alterum*, sitne vera an ficta? De quibus distincte, et paulo adcuratius, differendum est.

§. CCCXCVIII. In priore quaestione sunt certa a dubiis distinguenda. Dubio autem mihi carere videtur, nullam hujus Papae ab aliquo mentionem fuisse factam ante Marianum Scotum, circa fin. sec. XI. mortuum, a. 1086. Omnes, qui supersunt scriptores, sec. IX. et X., et XI. usque ad medium, uno tradunt ore, Leoni IV. successisse Benedictum III. Quorum catalogum contexuit, praeter alios, in primis Blondellus de Johanna Papissa. Sunt autem praecipui, qui in censum veniunt, Lupus Ferrariensis epist. 103. ad Benedictum III., concilium Tullense ad Saponarias a. 859. Nicolaus I. Papa variis in Epistolis, Ado Viennensis in Chronico, Anastasius in vitis Pontificum, Hincmarus Rhemensis epist. 26., Gulielmus Bibliothecarius in vita Hadriani II., Annales Bertiniani ad a. 955. Luitprandus, Flodoardus in hist. Rhemense, Hermannus Contractus, initio sec. XI., in Chron., Hugo Floriacensis in Chron. circa sec. XI. medium. Quibus addantur Graeci, Photius in libro de *Processione* Spiritus S., Metrophanes Smyrnaeus, Stylianus, et alii, quos Blondellus memorat. Hi omnes nullam non tantum aut Papissae alicujus, aut Johannis, inter Leonem et Benedictum fecerunt mentionem, sed et Benedictum Leoni successisse tradunt, et quidem aliqui ita, ut nullus Papae intermedio locus relinquatur, cum dicant, *mox* successisse, obeunti Leoni esse suffectum, vivo adhuc et adprobante Lothario, qui tamen post Leonem mox decessit. Hincmarus in specie refert, legatos suos, Romam tenden-

tes,

tes, in itinere accepisse nuncium de Leonis obitu, et, cum Romam venerint, invenisse Benedictum Papam. Offerunt sese quoque apud Anastasium varia inmediatae Benedicti successionis indicia, quae exhibet Launoius p. IV. epist. 8. Verum quidem est, unum alterumve Mss. Anastasii Papissam memorare, de quo vid. Colomesiana p. 597. et Spanhemius, loco mox citando, sed et illud dubio caret, Anastasium esse interpolatum, ut de codice Regio demonstravit Blondellus: nec vetustatis notas praeferre codices, quibus Papissa inest, uti de cod. Palatino testis oculatus Saravia testatur in epist. 138. ad Salmasium, et ex eo firmatur, quod ipse ille codex mortem Leonis ac Benedicti electionem secum connectat. Accedit, narrationem Anastasii de Benedicti successione cum historia Papissae consistere non posse; ut Launoius l. cit. clare evicit: ne dicam, fieri non potuisse, ut, si Johannae meminisset Anastasius, tanto involuta fuisset silentio haec foemina. De Radulpho Flaviacense, qui etiam a Spanhemio, fide Blondelli et aliorum, citatur, mox agam, hic notasse suffecerit, eum non X., ut putatur, sed XII. seculo vixisse, ut ex Alberico Monacho probavit Labbeus.

§. CCCXCIX. Dubiis forte accensendum est, num a tempore Mariani Scoti usque ad Martinum Polonum, aliquis Johannam memoraverit. Ipsius Mariani haec quidem verba leguntur in Chron. a. 853., *Leo Papa obiit Kalendis Augusti: huic successit Johanna mulier annis duobus, M. 5. D. 4.* Sed 1. in optimae notae Mss. non inveniuntur, ut Leo Allatius de Johanna Papissa observavit. 2. Marianus a nemine eorum, qui postea Johannae meminerunt, non tantum citatus est, sed Ptolemaeus Lucensis sec. XIV. in *historia Ecclesiast.* inedita, ut apud Pagi ad a. 853. videre est, diserte testatur, *omnes, quos legit, praeter Martinum Polonum, tradere, post Leonem IV. fuisse Benedictum III., Martinum autem Polonum ponere Johannem Anglicum* VIII. Profert quoque Johannem Sigebertus Gemblacensis, clarus in initiis se-

euli XII., in Chronico: sed interpolationis indicia et in eo comparent, ut in prima editione Stephani a. 1515., ipso Spanhemio fere fatente, et optimi ac longe plures codices foeminam ignorant. Vid. Leo Allatius l. cit. Antiquissimus quoque Corbeiensis, qui Lugduni conservatur, nihil de ea habet, teste Spanhemio: sicut nec autographum Gemblacense a Miraeo editum. Citantur adhuc a Blondello Radulphus, Otto Frisingensis, Galfridus Arthurus, Britannicae historiae consarcinator, et Godefridus Viterbiensis, omnes sec. XII. scriptores, qui ejus mentionem fecissent: sed Radulphus a Blondello est confusus cum Ranulpho, polychronici autore, qui sec. XIV. vixit, ut observavit Anonymus in *Oriente Christiano* Le Quien tom. III., qui etiam Ottonem non esse catalogi Pontificum autorem, Galfridum vero et Godefridum ignorare hanc foeminam, notavit. Concludi itaque forte posset, nemini ante sec. XIII. notam fuisse hanc fabulam.

§. CCCC. Sed quid de ipso Martino Polono, ex quo historiolam narravi, est habendum? Exstitisse in ejus chronico hanc historiam sec. XIV., ex Ptolemaei Lucensis testimonio, modo prolato, ut et ex Leone Urbevitano, Monacho Dominicano, ejusdem sec. in chron. Pontificum, Martini compilatore, apud Lami in *deliciis erudit.* tom. II., ubi reperitur Johanna, manifestum quidem est: sed num Martinum habeat autorem, an ab alio ei sit insertum, non adeo liquidum est. Antiquissimi utique codices Martini Johannam non habent, et Lambecius in Bibl. Caesar. l. II. c. 8. testatur, quatuor codices, qui ibi reperiuntur, nec memorare, nec habuisse, hoc factum. Refert quoque Muratorius in praef. *Scriptor. Italiae* tom. I., in Bibliotheca Ambrosiana tres reperiri codices MSS. Mart. Poloni, quorum unus tantum fabulam hanc tradit, duo reliqui et vetustiores nullum ejus habent vestigium. Constat quoque aliunde, Martinum esse interpolatissimum. Vid. Leo Allatius, et Lambecius l. cit. Forte in Martini chronicon est ex Ger-

vasio

vasio translatum, qui pro autore fabulae habetur ab Is. Vossio, teste Spanhemio, si genuina sit pericopa, quam ex cod. Vossiano exhibet Spanhemius: ovum enim non est ovo similius, quam Gervasiana et Martiniana narratio de Johanna. Gervasius vero iste, Tilberiensis dictus a Tilla, Ostro-Saxonum oppidulo, in littore *aestuarii* Tamesis fluvii, floruit in init. sec. XIII. sub Othone IV., cui *otia sua Inperialia dedicavit*. Eum pro autore fabulae esse habendum putat Vossius, cum indignabundus videret, nullos Anglos promoveri ad Pontificatum. Quod suo relinquo loco. Memoravit quoque Johannem Anglicum, Leonis IV. successorem, dicens, *hic*, *ut adseritur*, *foemina fuit*, etc. puerperii nulla facta mentione, Ricobaldus Ferrariensis, circa fin. sec. XIII., autor historiae Inperatorum et Pontificum Romanorum, novissime recusus a Muratorio inter scriptores Italiae tom. IX. Attamen, quod notandum, in nullis Pontificum catalogis, sive Vaticanis, sive Colbertinis, sive aliis, ante a. 1400. exaratis, nomen Papissae legitur, sed in multis post illud tempus factis comparet.

§. CCCCI. Utique postea invalescere coepit opinio de Johanna Papissa, et universaliter fere fuit recepta apud Latinos, ut ex autorum catalogo apud Blondellum elucescit. Primus Graecorum, ut de illis aliquid addam, Johannae meminit Barlaam circa a. 1337., de *principatu Papae*, ad calcem Salmasii de *Primatu Papae*, dein Laconicus Chalcocondylas de *rebus Turcicis* l. VI., qui circa a. 1460. floruit. Recentioribus temporibus plures ex Catholico-Romanis historiolam aut negarunt, aut refutarunt. Primus eam pro fabella venditavit Aventinus Annal. Bojor. l. IV., qui annales produxit ad a. 1532. Refellerunt eam Onuphrius Panvinius ad Platinam vit. Pontif., Miraeus ad Sigebertum, Leo Allatius *in confutatione fabulae de Papissa* ex monumentis Graecis, Labbeus in *cenotaphio* Papissae everso, alii, satis noti, et celebres, Natalis Alex., Pagi, Launoius, et novissime autor Pontificius in Oriente Christiano Le Quien

hannam fuit relata, sed Mabillon. ex fide digno teste refert, loco cit., statuam illam demum, post refectam sub haec novissima secula basilicam, obtinente jam fabula illa, fabricatam. Unde ergo nihil colligi potest ad veritatem historiae.

§. CCCCIV. Quod ad *sellam perforatam* adtinet, cui Pontifex recens consecratus inponi solebat, jam a sec. XII. Mabillonius Itin. Ital. t. I., ubi ritum enarrat, testatur, se in claustro Basilicae Lateranensis vidisse *tres* sedes, quarum *una* erat ex marmore albo, olim in porticu Basilicae posita, in qua novus Pontifex collocari solebat, dicta *stercoraria*, quia tunc canebatur, *suscitat de pulvere egenum*, et *de stercore erigit pauperem;* quae non fuit, secus ac a multis creditum fuit, perforata. *Duae* vero aliae sedes erant porphyreticae, et perforatae, quae ante capellam S. Sylvestri olim exstiterunt, in quibus Pontifex recens consecratus itidem sedebat, primum in una, cum illi a Priore S. Laurentii tradebantur claves Basilicae, dein in altera, cum ipse claves reddebat Priori. Hoc vero ritu tradit Pontificem solitum fuisse in possessionem Lateranensis basilicae inmitti. Cum autem ritus iste, ob creditam fabulam Johannae Papissae, eo coeperit transferri, acsi genitalia Pontificis ad sexum examinandum ibi adtrectarentur, eoque nomine infamis fieret, abolitus est sec. XVI., post Leonem X., ut putatur. Quid nunc hinc colligas? an hanc sellam repraesentasse sellam obstetricariam, et mulierem parturientem, adeoque Papissae parientis renovasse memoriam, vel eo fini introductam, ut sexus virilis examinaretur? sicut, ex quo fabula in vulgus emanavit, multis fuit visum: quis in animum inducat, ut credat? Ad quid tunc duae sellae? quam rediculum, eo modo examinare sexum? et quo illud constat testimonio? Denique pudendum facinus quid habuit, quo commemorari, et per ejusmodi sellam repraesentari, meruit. Accedit, sellas illas jam ante fuisse in usu, quam haec historiola in vulgus emanavit. Sed unde tunc illae

ſellae ortae ſunt, et quid ſibi volunt? ne dicam, ceremoniarum omnium rationes dari non poſſe, nonne in Romanorum thermis potuerunt eſſe repertae, et ob ſingulare pretium huic uſui adplicitae, ut conjicit Mabillon. Sed, quod non eſt ſpernendum, Platina cenſet, ritum eo ſpectaſſe, ut memor eſſet Pontifex, ſe non Deum, ſed hominem, eſſe, neceſſitatibus naturae, ut pote egerendi, ſubjectum, quo et alia ſella, inde *ſtercoraria* dicta, ſpectavit: cujus modo memini.

§. CCCCV. Interea nihil in hac hiſtoria, ſi fabula ſit, fatendum eſt mirabilius eſſe, quod nulla ejus origo monſtrari queat, nec ratio, quae ſufficit, dari adeo propagatae, ac univerſaliter receptae. In *origine* indaganda, licet nonnulla protulerint, quae anſam dare potuerunt, fruſtra hucuſque, me judice, laborarunt docti viri. Aventinus Annal. Bojor. l. IV, in ſcenam produxit Johannem X. ſec. X. a meretrice Theodora, tunc Romae dominante, totum pendentem, et Papam factum, ita ut foemina cenſeri potuerit Papatum tenuiſſe, et Johannes cum foemina fuerit confuſus. Onuphrius Panvin. Johannem XII. eodem ſeculo introduxit, ab inpuriſſimis concubinis rectum. Bellarminus et Baronius Johannam putant eſſe ortam ſec XI. ex epiſtola Leonis IX., qui ſedi CPol. in ea ex rumore adfingit foeminam, ſive a Graecis, per retorſionem, ſive a Latinis, ex male intellecta epiſtola, rumore nato de Johanna Papiſſa. Denique Baronius originem praecipue quaerit in Johanne IX., qui ab a. 872. ſedit, ſeſe effoeminatum et mollem praeſtante in lite cum Photio eunucho, ut putatur, eique ſuccumbente, indeque per contumeliam dicto non viro, ſed foemina. Quae omnia quam levia ſint, et aliena, facile in oculos incurrit, et a Blondello ac Spanhemio jam ſunt refutata. Aliis conjecturis, nihilo melioribus, miſſis, obſervaſſe ſuffecerit, multa in hiſtoria eſſe figmenta, quae ſine capite manarunt. Leo IX., ſi, ſolo rumore deceptus, ſedi CPol. foeminam adfingere potuit, ut ſec. XI. fecit,

eit, quid si idem sedi Romanae contigerit? Sed, quod propius accedit, Herembertus, monachus Cassinensis in Chron. Longobard. apud Mabillon. muf. Ital. tom. I. narrat, haud diu post tempus Johannae Papissae, seu annos 30., et quod excurrit, post Leonem IV., revelatum fuisse in somnio Arechiso, Principi Beneventano, *Patriarcham, qui CPoli nuper fuerat electus, esse foeminam, sexum CPoli masculinum sub Clerici veste mentitam: quocirca expergefactum Arechisum nuncios CPolin misisse, per quos, tam turpi et pernicioso errore sublato, foemina a Patriarchali sede dejecta fuerit.* Similem originem fabula Johannae Papissae habere potuit. Forte etiam inter eruditis scholae Romanae magistros latuit hoc tempore foemina, sexum mentita, quae vel Antipapa fuit, vel summam sub Benedicto, viro mollissimo, et humilioris indolis, obtinuit, ita ut foemina magis quam Benedictus papatum administraverit. Utique idem et Johannae et Benedicto fere adtribuitur tempus, et, quod notatu dignum est, in nonnullis Anastasii codicibus, teste Spanhemio, l. cit., *primae turbae* contra Benedictum adscribuntur *Johanni, diacono Lateranensi, qui, collecta seditiosorum manu, per vim fractis portis, ingrederetur, in throno Pontificali locandus, sed inde magna cum turpitudine expellendus.* Quid si hic fuerit Johanna Papissa? vel inde ficta fabula. Sed nihil definio. Ceterum, ad fidem huic figmento, vel errori, conciliandam, multum tribuere potuerunt facta, et monumenta illa, modo memorata. Historici quoque, nullo habito delectu, nullo usi judicio critico, vera cum falsis, ut notum est, describere solent, maxime, si paradoxum sit factum, quod nemo in sua historia vult desiderari. Accesserunt temporis circumstantiae, et corruptae aulae Pontificiae, sub finem sec., et seq., conditio, quae nihil non, quam turpe etiam, faciebat probabile.

§. CCCCVI. *Benedictus* III., Leonis, exclusa Johanna, successor, post gravissimas oppositiones Anastasii Presbyteri superatas, confirmatus ab Imperatore per missos ejus, *mi-*

tem sese, mansuetum, et asceticis certaminibus illustrem quidem praestitit, ut Photius de ipso loquitur, de process. Spir. S. l. I. sed nihil, aut parum, alicujus momenti egit. Suscepit, teste Anastasio, honorificam Michaelis, Imperatoris Graecorum, legationem cum muneribus, et Gregorii Syracusani, ab Ignatio Patriarcha CPol. factam, depositionem confirmavit, ut patet ex Epist. 6. et 10. Nicolai Papae, nec non Synodum Suession. Hincmari, a. 853. habitam; de quo in vita Hincmari dixi, sed sub conditione, si vera essent, quae Hincmarus ipsi intimasset, teste Benedicti epistola: quod rescriptum foede fuisse ab Hincmaro interpolatum conquestus est Nicolaus I. ep. 46. ad Episcopos Syn. Suession. III. Denique morem antiquum, quo Episcopus a *comprovincialibus* sepelitur, renovavit, teste Anastasio. Sed nobilitavit ejus Pontificatum, quod Ethelvolphus, Occidentalium Saxonum Rex, voti causa Romam venerit, et integro anno moratus sit, cum filio Alfredo, orationibus et eleemosynis insistens: qui etiam scholam Anglorum ibi instauravit, et donationes Offae ac Inae renovavit, ita ut, qui triginta denariorum vectigal de suis possessionibus accipiebant quotannis, et plures una habebant domos, singuli quotannis solverent singulos denarios. Vid. Polyd. Virgilius.

§. CCCCVII. Excepit ipsum *Nicolaus* I., excelsi et superbi animi Papa, ab a. 858. ad a. 867., qui vim nominis sui praestitit, et autoritatem Papalem ulterius, quam ante factum fuerat, promovit. Ipse, teste Reginone in Chron. ad a. 868., *regibus ac tyrannis inperavit, eisque acsi dominus orbis terrarum autoritate praefuit: episcopis ac sacerdotibus religiosis, ac Domini mandata observantibus, humilis, blandus, pius, mansuetus, adparuit; irreligiosis, et a recto tramite exorbitantibus, terribilis, atque austeritate plenus, exstitit, ut merito credatur alter Elias:* comparat eum cum Gregorio M., ut et Paulus Diaconus in vita Gregorii. Ipse Hadrianus, successor ejus, eum adpellat *novum Eliam, novum Pinees*, in litteris

litteris ad Orientales. Ipsius Nicolai Epistolae, quas plures scripsit, et decreta, seu rescripta, quae ex Gratiani volumine in unum collecta a Job. Cochlaeo exstant in *tomis Conciliorum*, de summa hominis, quam sibi adrogavit, potestate, supra Reges, et omnium Ecclesiarum per totum orbem Clericos, abunde quoque testantur. Romanam Ecclesiam, ut nonnulla tantum specimina, fastus et adrogantiae plenissima, ex illis excitem, dicit, omnes dignitates Ecclesiasticas per orbem instituere, ipsam vero a solo Christo esse fundatam: *per principalem beatorum Apostolorum Petri et Pauli dextram et potestatem et jus habemus*, inquit, *non solum in monachos*, *verum etiam in quoslibet Clericos*, *de quacunque dioecesi* etc. *invitare*. Pronunciat etiam anathema in eos, qui *dogmata*, *mandata*, *interdicta*, *sanctiones*, *vel decreta*, *pro catholica fide*, *Ecclesiastica disciplina* — — — *a sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata*, *contemserint*: rursus sedis Apostolicae judicium a nemine esse retractandum, *nemini licere de ejus judicio judicare*. Concedit nihilominus, sententiam Romanae sedis posse in melius commutari, cum aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa usa fuerit dispensatione aliqua. Denique *ejus autoritate majorem non esse in orbe*, *illum de omnibus judicare*, *et a nemine judicari*: *a seculari potestate nec solvi prorsus nec ligari Pontificem*, *quem constat a pio Principe Constantino Deum adpellatum*, *cum nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum est*. Quod in epist. 8. ad Michaelem ad omnes Episcopos extendit quidem respectu secularium, sed in specie ad Romanum adplicat. Porro epist. 30. ad Carolum Calvum adserit, *privilegia Romanae Ecclesiae totius esse Christi remedia Ecclesiae Catholicae*. *Privilegia*, *inquam*, *Petri*, sic pergit, *arma sunt contra omnes inpetus pravitatum*, *et munimenta ac documenta Domini sacerdotum*, *et omnium rursus*, *qui sublimitate consistunt*, *imo cunctorum*, *qui ab iisdem potestatibus diversis adficiuntur incommodis*. Sic et Lothario regi injungere se dicit *apostolica autoritate*, *sub divini judicii obtestatione*, *ut in* Trevirensi urbe,

urbe, et Agrippina Colonia, *nullum eligi patiatur, antequam relatum super hoc nostro Apostolatui fiat.* Episcopos Galliae *ab omnibus juramentis, et cujuscunque modi obligationibus, quibus illi sese coacti violentia impiorum obligaverunt, se obsolvere, declarat.* Denique in *responsis ad consulta* Bulgarorum cap. 108. dicit: *beatus Petrus, qui in sede sua vivit et praesidet, dat quaerentibus fidei veritatem; nam et sancta Romana Ecclesia semper sine macula fuit et ruga.* Metropolitanos, ante pallii adeptionem a Papa, non posse peragere quae muneris sunt Archiepiscopalis, vel instituit, vel in praxin introduxit, quo potestas Papalis valde est promota, sicut et per illud, quod ab ipso instituti sint *Legati missi Paparum*, quibus certa provincia cum jurisdictione nomine Papae commissa est. Quorum rapacitas et tyrannis produxit progressu temporis *Legatos natos*, sic dictos, qui legationis spartam perpetuo jure, officio Archiepiscopali connexam, habent, ut sic *legati missi* excludantur. Vid. Boehmer Jur. Eccles. lib. I. tit. 30. Lothario comminatus est non tantum excommunicationem, sed et depositionem, in epist. ad ipsum. Quid? quod in epist. aliqua ad Episcopos Galliae, refutans Hincmari et sociorum sententiam, Epistolas decretales Pontificum, quae in codice canonum non reperiuntur, ad quas Papa ad autoritatem suam stabiliendam provocaverat, autoritate carere, adserere non fuerit veritus, libros V. et N. Test. autoritatem suam habere a Papae Innocentii decreto, licet in Codice canonum non exstent. Ipse etiam in epist. ad Carolum Calvum librorum adprobationem sibi vindicat, *quatenus*, inquit, *dum a nostri Apostolatus judicio fuerit adprobatum opus aliquod, ab omnibus incunctanter nostra autoritate acceptius habeatur.* Libros vero profanos, utpote noxios et blasphemos, igni vult tradendos cap. 103. respons. ad consulta Bulgarorum. Ceterum hic ipse Papa in collat. inter ipsum et legatos Synodi Francoford. quae tom. II. concil. Gall. Sirmondi, et alibi, reperitur fassus est, *se Synodis non praeferre, ne quidem aequare.*

§. CCCCVIII.

§. CCCCVIII. Videamus nunc qualem facta et gesta ipsum exhibeant. In ejus consecratione id fuit singulare, quod *coronatus* sit, teste Anastasio, in Ecclesia Lateranensi, quod primum est conorationis exemplum. Quae coronatio postea in usu mansit, et in Ecclesia Vaticana peracta est. Cum ad Ludovicum Inperatorem visitationis ergo paulo extra urbem proficisceretur, Augustus ei obviam occurrit, et fraenum equi, quo vehebatur Papa, manu tenens, usque ad sagittae jactum, stratoris vice functus est, sicut et in Papae discessu fecit: ut refert Anastasius. Variis dein fuit litibus exercitus. Primus conflictus fuit cum Orientalibus, eorumque Patriarcha Photio, qui Ecclesiarum peperit schisma. Ignatio deposito, et Photio ei suffecto, Episcopis vero valde divisis, Photius, ut per Papae adprobationem litem facilius terminaret, quatuor misit ad eum Metropolitas, eique omnia, ad hanc causam pertinentia, significavit, sed Ignatium sedi renunciasse, ac in monasterio degere, narravit. Vid. epist. Metrophanis Smyrnensis apud Baron. a. 870. et Anastasius. Addidit Inperator splendidam legationem, praetexens causam imaginum, quas Inperator volebat abolitas. Nicolaus, omnibus auditis, legatos direxit CPolin cum mandatis, ut causam Imaginum secundum Synodum Nicaenam II. definirent, sed in lites Photii ac Ignatii tantum inquirerent, ultimo judicio sibi reservato, simul ut cum Photio, tanquam laico tantum, communicarent. Vid. epist. ejus ad universos Catholicos, et 10. ad Episc. dioecef. CPol. Addidit litteras ad Michaelem et Photium, a. 860. in tomis concil. In priore epist. adserit, *nihil a Synodis definiri posse, sine Romanae sedis, Romanique Pontificis, consensu*; et eo nomine Ignatii depositionem inprobat, Photii vero, tanquam laici, contra canones electionem, vultque, ut causa de novo retractetur in concilio coram legatis suis, ipseque instruatur, quando *Apostolica sanctione rem definiret*. Epist. 2. dicit, *si illi, qui in cathedra Mosis sedent, audiendi sunt, quanto magis illi, qui cathedram Petri*

 tenent:

tenent: addit, nullum sede CP. esse deturbatum sine consensu Papae. Sic et epist. 9. ad Inperatorem in fin. inquit, *si illum* (Petrum, *cujus vices gestamus et autoritatem clamamus*, ut modo dixerat) *contemnitis*, *ipsi jam considerate*, *quid de vobis erit*, *vel quam in terribili judicio Dei rationem dabitis*. Petrum enim, *coelestis regni clavigerum*, modo declaraverat, ipsos in futuro judicio *accusaturum et damnaturum esse*. Imaginum porro cultum statuit retinendum. Queritur quoque de juribus Ecclesiae Romanae ab orientalibus occupatis, quod provincias, ut Epirum, Illyricum, Graeciam, Daciam etc., per vicarios Paparum regi solitas, sedi Romanae subtraxerint, et patrimonia in Sicilia et Calabria interverterint. Interea Legati Papae, cum, minis ac promissis inducti, in Ignatii depositionem consensissent, ipse ad sedem Romanam, et Pontificem, tanquam *praesidem et patriarcham omnium sedium*, *Principis Apostolorum successorem*, *et universalem Papam* adpellavit; ut libellus adpellationis ejus habet. Nicolaus itaque, Synodo coacta, acta illa mox inprobavit, et rescidit, legatos suos reprehendit et castigavit, a. *862*. Vid. ejus Epist. 7, 10, 13. In quarum *septima* inter alia dicit, nihil in Synodis pro rato haberi, quod Papa non constituit, et probavit.

§. CCCCIX. Quo facto, Michael a. *865*. acerbiore missa epistola, cum legato, Romam, sententiae mutationem postulavit; sed perstitit Papa, et audacissimam scripsit epistolam, quae est *8va*, mox addita alia, ordine *9na*, a. *866*. Questus in iis est de contumeliosis et inperiosis Inperatoris dictis, ut, quod non rogaverit, sed jusserit, ut Papa missos dirigeret CPolin.: linguam Latinam cum adpellaverat barbaram et Scythicam Inperator, regerit Papa, eam per titulum crucis esse sanctificatam, rediculum esse, Inperatorem Romanorum nuncupari, et eam ignorare linguam, imo ejus adhuc aliquem usum esse apud Graecos in officiis sacris. Deinde Ignatium demonstrat injuste esse depositum, quia ab *inimicis*, *depositis*, *et inferioribus* est judicatus. Negat

gat praeterea, Inperatores adesse posse in Synodis, nisi in quibus de fide agitur: Patriarchas tenet, sine Romani Pontificis consensu, non posse judicari, et Papam esse Primatem totius orbis omnium dioecesium. Quae Romanae sedis privilegia, a Domino data, et a Synodis tantum agnita, latius deducit; dictitans inter alia, Papas, aeque ac Petrum et Paulum, universales esse Episcopos, non a Synodis, sed a Christo, constitutos; qua Petri successores, eos jus habere de omnibus omnium Ecclesiarum rebus judicandi, adpellationes recipiendi, et a nemine judicari etc. Agnoscit tamen, Papas aliter non debere statuere, et judicare, quam secundum canones, et Patrum decreta, Clericos quoque sese non magis debere secularibus rebus inmiscere, quam seculares viros rebus Ecclesiasticis. Postremo in calumniosarum litterarum autores declarat, se, concilio coacto, anathema, nisi resipiscant, pronunciaturum, litteras ac acta contra Ignatium flammis traditurum, et Inperatori minatur judicium aeternum; absque tamen, ut ullam excommunicationis ejus, aut subditorum a fidelitatis juramento solutionis, mentionem faciat. Sed jubet, ut Ignatius et Photius Romam veniant, vel legatos mittant, ut eorum causa ibi judicetur.

§. CCCCX. Quid ad haec Orientales? Irritati sunt, nec Legatos Papae, denuo missos a. 868., voluerunt admittere, nisi libello damnarent, quae Graeci volebant. Quare, re infecta, discesserunt, et Photius, Synodo convocata, encyclicam illam, quae est edit. Montacut. II., misit epistolam, qua varios inputat Ecclesiae Romanae errores, quaque schismatis sunt jacta fundamenta. Ad quas calumnias refutandas Papa in subsidium vocavit Francos, scripta ad eos epist., ordine 70. Vid. etiam Annalista Bertinianus ad a. 867. Imo Photius, Synodo habita, in Nicolaum anathematis vibravit tela. Vid. Metrophan. in epist. ad Manuelem Patricium, et autor libri de Synodis. Sed, post mortem Michaelis, regnante Basilio, scena longe est mutata,

 Ignatio

Ignatio reſtituto, et Photio de ſede deturbato. De quo ſuperſunt Litterae Baſilii ad Nicolaum in Actis Synodi VIII., et Ignatii ad eundem, adulationis pleniſſimae. Teſtatur enim diſerte Ignatius, Papae primatum in univerſa Eccleſia, etiam in Patriarchis Orientis, fuiſſe agnitum, ut divinitus datum Matth. XVI., antequam ſchiſma illud fuit exortum. Hucuſque haec res ſub Nicolao proceſſit.

§. CCCCXI. Secundus conflictus fuit cum Lothario, Lotharingiae Rege, filio Lotharii Inperatoris, cauſa divortii ejus cum Teutberga legitima conjuge, et novarum cum Waldrada, quae ipſi ſemper in deliciis fuerat, nuptiarum. Divortii cauſam praetendit Rex inceſtum Teutbergae cum fratre Humberto, ex quo concepiſſet, et foetum exſtinxiſſet. Ipſa vero factum negavit, et procuratore ad judicium aquae ferventis, in quam qui manum inmiſſam, ad annulum in fundo jacentem, capiendum, illaeſam eduxiſſet, cauſam cenſebatur viciſſe, pro more temporis, miſſo, ac *illaeſo* evadente, innocentiam comprobavit. Quo non obſtante, in concilio Epiſcoporum tribus vicibus Aquiſgrani coacto, a. 860. et 862., damnata eſt, eique poenitentia inpoſita, et nova conjux Waldrada ſuffecta. Inter Epiſcopos, qui hoc effecerunt, praecipui fuerunt Teutgaudus, Trevirenſis, et Guntharus, Colonienſis, Archiepiſcopi. Quorum poſterior eo fuit inductus, ſi vera narrant Annales Metenſes, ſpe conjugii neptis ſuae cum Lothario, ſibi ab ipſo facta; prior fuit vir ſimplex et ignarus, a Gunthario deceptus. Narratur quoque, Teutbergam fuiſſe confeſſam, ſe in adoleſcentia per vim fuiſſe a fratre violatam. Exſtat de hoc negotio liber Hincmari, tunc ſcriptus, per interrogationes et reſponſiones, de *divortio* Lotharii et Teutbergae. Aegerrime hoc tulit Papa, ad quem Teutberga damnata adpellaverat, et legatis miſſis cauſam retractari fecit in concilio Metenſi a. 863., regem quoque ſe praeſentem ſiſtere, et de adulterio ſatisfacere voluit, ſub excommunicationis interminatione. Sed a Legatis nihil in hac Synodo actum

est, sive muneribus fuerint corrupti, sive in Episcoporum sententiam descenderint, tantum decretum est, ut Trevirensis ac Coloniensis Episcopi Romam irent; et causa ibi definiretur. Vid. Annales Fuldenses, Bertiniani, et Metenses. Quibus auditis, Papa, Synodo a. 863. habita, Metense concilium cassavit, et duos illos Episcopos, cum sociis, deposuit; teste Anastasio. Detulerunt quidem Episcopi querelas ad Ludovicum Inperatorem, fratrem Lotharii, Inperator quoque Romam tetendit, et eorum absolutionem postulavit, a. 864. sed Papa ipsi, licet minanti, et per ejus comites multa jam mala essent patrata, constanter restitit, adeo etiam ut ipsum vicerit, et placaverit: ut tradit Annalista Bertinianus. Teutgaudus quidem a sacris officiis abstinuit, sed Guntharus, Papae judicio spreto, in sacro munere perseveravit. Vid. Adventii, Metensis Episcopi, Papae se submittentis, epistola tom. III., conciliorum Galliae, nec non ipsius Lotharii, qua de eorum depositione conqueritur, et Papam accusat, quod aemulis suis nimium credat. Post haec Legatum misit Papa Arsenium, Hortensem Episc., in Gallias a. 865. cum litteris, quae, ut Annalista Bertinianus loquitur, plenae erant *terribilibus et inauditis maledictionibus*, et alterutrum a Lothario fieri voluit, vel ut Waldradam dimittat, vel anathema subeat. Quo fractus Lotharius obedivit; sed haud diu post Teutbergam, quam dimissa Waldrada receperat, discedere rursus jussit a. 887., diris propterea a Papa devotus. Hoc in statu res mansit sub Nicolao. Ceterum notatu dignum est. 1. Papam hanc causam, seu cognitionem divortii, ad se non tam traxisse ex privilegio sedis, quam quod judex fuerit ab utraque parte electus, ut ipse testatur epist. 50., quae etiam recensetur apud Reginonem de *Eccles. disciplinis* l. II. c. 113. 2. Quam animose Guntharus et Teutgaudus Papae sententiam contra ipsos latam condemnaverint in initio, tanquam injustam, temerariam, nefariam, ac Christianae religioni repugnantem etc. Inter alia vero Papae in faciem dicunt, *tu Pontificis quidem*

personam praefers, at tyrannum agis, sub cultu et habitu pastorum lupum sentimus; titulus parentem mentitur, tu te factis Jovem ostentas: cum sis servus servorum, Dominus dominantium esse contendis. Concludunt hac fere ratione: *his de caussis nos, cum fratribus nostris et collegis, neque edictis tuis stamus, neque vocem tuam agnoscimus, neque tuas bullas, tonitruaque tua timemus. Civitas Dei nostri, cujus municipes sumus, ad universos cardines pertinet, major est urbe, quae Babylonia a sacris Vatibus adpellatur, ut quae divinitatem usurpat, coelo se aequat, se aeternam fore jactitat, perinde acsi esset Deus, inmortalisque sapientia, nec unquam errasse, neque errare posse, mendaciter gloriatur* etc. Vid. epistola eorum apud Aventinum Annal. Bajorum l. IV. et Annales incerti autoris apud Pithoeum in Annal. Francorum ad a. 863., ubi additur, ipsum Guntharum postea Romam esse ad Papam profectum, sed veniam non inpetrasse.

§. CCCCXII. Praeter has graviores concertationes, aliae fuerunt cum Hincmaro Rhemensi, et Johanne Ravennate: cum *illo* autem caussa partim Wlfadi et sociorum, ab Ebone decessore Hincmari, ordinatorum, quos ut illegitimos deposuerat Hincmarus, partim Rothadi, Episcopi Suession., qua de re in vita Hincmari exposui: cum *hoc* vero caussa jurisdictionis, quam in eam sedem sibi vindicabat Papa, qui Johannem ob gravia crimina, quorum reus agebatur, ad suum vocaverat tribunal: cui in initio quidem restitit Johannes, tanquam Metropolita αὐτοκέφαλος, seu sui juris, sed dein succubuit, non obstante Ludovici autoritate, qui pro ipso intercedebat. Vid., praeter Anastasium, autor Italus aequalis in adpendice historica Eutropii apud Mornaeum hist. Papatus, et in catalogo *testium veritatis* l. IV., ubi prolixius reperitur Eutropii fragmentum. Ex quo patet, Johannem inter alia noluisse suis concedere, ut Romam visitarent, et ad Pontificem adpellarent, praedia quoque nonnulla ademisse Pontifici, et ambitioni ejus se opposuisse. Fragmentum vero concilii Romani, quo Ravennas est excommunicatus, a. 863., editum est a Muratorio, in corpore Histor. Italiae tom. II. p. II.

§. CCCCXIII.

§. CCCCXIII. Denique, quod non erat negligendum, restitit quoque Papae Huldericus, vel Udalricus, primum Presbyter, dein Episcopus Augustanus, ab a. 848., cujus exstat epistola ad Nicolaum de incontinentia Clericorum, in *Catalogo* testium veritatis, et apud Wolfium memorab. Lect. centur. IX. De cujus genuinitate dubitare non licet, cum Mss. nomen Hulderici et Nicolai praeferant, et ejus meminerit Bartholdus Constantiensis, qui a. 1100. scripsit, in adpendice ad *Hermannum Contractum* a. 1079. Vid. Oudin Script. Eccles. ad a. 860., et Calixtus de *conjugio Clericorum* in adpendice, ubi epistola quoque recensetur. Reprehendit vero Huldericus ea in epist. decretum Nicolai de Clericorum abstinentia a legitimo conjugio, tanquam injustum, Scripturae S. adversum, et noxium, cum adulteria et fornicationes inde oriantur. Memorat etiam quosdam, qui dicunt, *honestius esse pluribus occulte inplicari, quam aperte in hominum vultu et conscientia cum una ligari.* Agnoscit quidem Papae autoritatem universalem, sed negat talem esse, ut contradictionem aliqua in re respuat. Putant quidem nonnulli fictam esse epistolam, quia Huldericus est Nicolao recentior, sed recentiorem cum hoc antiquiore confuderunt; junior iste ab a. 923. fuit episcopus Augustanus: quos recte distinxit autor *compilationis Chronolog.* ad a. 973. apud Pistorium.

§. CCCCXIV. Opera Nicolai sunt Epistolae et Decreta, quae in tomis conciliorum prostant. Notatu digna sunt ejus responsa ad consulta Bulgarorum, in quibus de multis rebus ad cultum et disciplinam pertinentibus disserit, unde etiam mores Bulgarorum ante conversionem, et hujus seculi Christianorum in Oriente et Occidente, disci possunt. Inter alia numerum et ordinem Patriarcharum in Ecclesia recenset cap. 92., ubi sedes Patriarchales eas proprie esse dicit, quas Apostoli instituerunt, *Romanam*, et *Antiochenam*: sed *CPolitanam* ac *Hierosolymitanam*, licet Patriarchae adpellentur, tantae non esse autoritatis censet, quantae superiores,

periores, quia non ab Apostolis, sed Synodis, originem habent. Praeterea latrones, homicidas, fures, aliosque scelestos, si ad Ecclesiam confugiant, morte non esse puniendos, sed poenitentiae legibus subjiciendos, decernit c. 26. et c. 95. Christianos in Ecclesia sepeliri tradit cap. 99. ex Gregorio M., *quod mortuorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulcra adspiciunt, recordantur, et pro iis Domino preces fundunt.* In uno vero capitulo, ut c. 41. et 102. vetat quidem, aliquem ad fidem cogi, cum non nisi spontaneus cultus Deo placeat, attamen laudibus alibi extollit Theodoram, matrem Michaelis, inter alia quod heroico spiritu fuerit in Paulicianos grassata, quorum ad 100 millia usque haeresios causa occisi sunt; imo haud obscure indicat, se in ea laniena partes habuisse. Vid. epist. 14., et de hoc facinore Porphyrogenn. in vita Michaelis. Quo respectu, et quod sese supra quicquid augustum est extulit, quasi Deum se gerens, ut ex superioribus patet, non male pro Antichristi, sec. XI. exorti, praecursore forte haberetur. Denique crucem fixit Pontificiis, quod cap. 104. baptismum adprobaverit, si vel in solo nomine Christi fuerit administratus, unum idemque esse decernens, sive in nomine Trinitatis, sive tantum in nomine Christi. Putant eum hic errasse, qua Doctorem privatum, et non qua Papam: quae bella est distinctio. Postremo notatu non est indignum, Papam seditiosam opinionem in epist., qua Episcoporum Lothario faventium submissionem Papae factam admittit, adoptasse, Regi malo denunciandam esse obedientiam, et, sitne talis Rex? posse Episcopos non tantum, sed et ipsos subjectos ac cives judicare.

§. CCCCXV. Eadem plane tenuit vestigia successor ejus *Hadrianus* II. ab a. 867. ad a. 872., quare ab hostibus Nicolai nomen Nicolaitani accepit, ut Gulielmus Biblioth. refert in ejus vita. Electus quidem est sine missorum Imperatoris, licet Romae adessent, praesentia, sed consecrationi

tioni interfuerunt, et Inperator eum confirmavit. Persecutus est contentiones, quas decessor inceperat. Statim ac in sedem esset evectus litteras gratulatorias ad ipsum dedit Lotharius, et, veniam petiit veniendi Romam, quae apud Baronium exstant a. 867. Rescripsit Papa, se Teutbergam, solutionem matrimonii Romae petentem, redire jussisse ad Lotharium, donec in Synodo ea de re statueretur, se porro velle, ut Lotharius eam vel recipiat, vel digne tractet, nisi anathemate velit percuti, Waldradam resipiscentem admisit ea sub conditione, ne ad Lotharium redeat. Hincmaro etiam in mandatis dedit, ut Apostolicae sedis decreta exsequeretur, qui id fideliter praestitit. Vid. Flodoardus hist. Eccles. Rhemens. l. III. Lotharius quoque, Romam profectus, communioni est a Papa restitutus a. 869., sub hac conventione, si, postquam Waldrada fuit a Nicolao excommunicata, *nullum cum ea contubernium, vel carnalis copulae mercimonium, quin nec colloquium quoddam habuerit.* Quam confessionem miser Princeps edere contra conscientiam fuit coactus, ut restitueretur, sed brevi post, cum Roma discederet, mortuus est in itinere. Recepti quoque sunt fautores Lotharii, sed Guntharus ad laicam communionem tantum, post praestitam professionem, se sedi Romanae mansurum devotum, nec aliquid in posterum contra eam moliturum esse.

§. CCCCXVI. Haud minus severe persecutus est concertationem Photianam, quam quoque in honorem sedis Romanae ad tempus terminavit. Photio exauctorato, et Ignatio restituto, cum Legati a Basilio Romam missi id adnunciassent, Synodum habuit Papa a. 868., in qua Johannes Metropolita, Ignatii legatus, insano ductus zelo, librum Photii Papae monstravit, et in terram projecit, cum hoc anathemate: *tu maledictus CPoli, sis Romae iterum maledictus. Te minister diaboli Photius, novus Simon, mendacii compilator, aptavit, te minister Christi Nicolaus, novus Petrus, veritatis amator, attrivit.* Imo Basilius Spatharius, le-

gatus Inperatoris, furibundo quoque actus zelo, *calce sua enseque librum percussit*, *dixitque*, *credo*, *in hoc opusculo diabolus habitat*, *quia per os complicis sui Photii*, *quae per se dicere nequit*, *eructat*. Vid. Bibliothecarius in vita Hadriani. Tulit mox Hadrianus, post tres ad Synodum adlocutiones, sententiam, esse Photianam Synodum *Ephesinae latrocinali* similem, inpia acta abolenda, et flammis inter execrationes tradenda, una cum omnibus contra Ignatium scriptis, Photium ipsum anathemate percellendum, sed lapsos in causa Photii, si resipiscant, recipiendos: denique eos, qui Synodi Photianae acta absconderent, vel propugnarent, idem subituros judicium. Haec decreta sunt in Synodo illa famosa Romana, et executioni mandata. Libro vero Photiano in rogum inmisso, cum focus, *inundatione pluviae*, inquit Gulielmus Bibliothecarius, *naturaliter debuisset extingui*, *ad pluviam*, *quasi ad guttas olei*, *flamma convaluit*, *et in laudes Dei*, *sanctissimique Nicolai Papae*, *simulque Hadriani summi Pontificis*, *stupor tam Latinorum*, *quam Graecorum*, *ora resolvit*. Quo facto, missis ad Basilium litteris, jussit Papa, ut Generalis celebraretur Synodus, cui Legati sui praesideant, et in qua cuncta Synodi Photianae exemplaria igni comburerentur. Quae epistola actis Synodi CPol. VIII. inserta est. Vid. etiam praefatio Synodi istius ad Hadrianum. Paruit mox Basilius Inperator, et Synodum CPol., vulgo Oecumenicam VIII., convocavit, in qua per legatos plenissime dominatus est Papa, cujus historiam postea enarrabo, qui etiam eam confirmavit, teste epistola ejus ad Basilium, ad calcem actorum Synodi. Interea, Synodo absoluta, novae sunt contentionis semina jacta inter Graecos et Latinos, caussa jurisdictionis Ecclesiasticae in Bulgaros, recenter conversos, dum Latini, eos a Romana sede, et Graeci a CPolitana, dependere, pertenderent. Quare in unum rursus coacti sunt cum Basilio et Ignatio Legati Romanae sedis, et aliorum Patriarcharum. Sed triumphavit causa Graecorum, Legatis Papae tantum intercedentibus, et ad Papae judicium provo-

provocantibus. Ignatius mox potestatem exercuit in Bulgaros Patriarchalem, quod Papa aegerrime tulit, et in epist. ad ipsum acriter reprehendit: imo cum ipso Basilio, per litteras, de eo expostulavit. Exstant epistolae in Synodi VIII. codice Anastasiano, et apud Baronium, a. 871.

§. CCCCXVII. Novas quoque lites exorsus est cum Carolo Calvo, Francorum rege, primum causa regni Lotharii, dein Hincmari Laudunensis, quae posterior fuit acerbissima. Lothario defuncto, cum regnum ejus occuparet, renitente Ludovico Imperatore, Carolus Calvus a. 869., Papa legationem ad eum decrevit, interminaturus et Ipsi et Episcopis regni excommunicationem, nisi a regno Lotharii abstineret, ut, praeter Aimoinum hist. V: 24. et Annales Bertinian., testantur ipsae Papae litterae. Quae legatio antequam executioni mandaretur, Carolus, coacto concilio, proclamatus est Rex, et ab Episcopis, cum benedictione sacerdotali, coronatus; ut Idem Annalista tradit. Cum autem Ludovicus, Germaniae Rex, ei hac super invasione minas intenderet, inter eos divisio regni Lotharii est instituta, cujus acta Aquisgrani confecta supersunt. Quo audito, Papa ad utrumque Regem, et Episcopos, direxit Legatos; eo scopo, ut Regnum illud Ludovico Inperatori, fratri Lotharii, et legitimo successori, reddatur, sub interminatione ultionis de ipsis sumendae; praecipiens quoque Episcopis, ut se a Regum communione, si cum sede Romana communicare velint, abstineant. Sed operam lusit Papa. Carolus partem suam retinuit, Ludovicus Germaniae suam restituit Inperatori, qui etiam ejus partis Rex coronatus est ab Hadriano a. 872., teste Annalista Bertiniano. Inmiscuit etiam sese discordiae Caroli Calvi cum filio ejus Carolomanno, Senonense Diacono, et variorum monasteriorum Patre. Qui, contra Patrem rebellis, Abbatiis privatus, et custodiae datus, sed Papae intercessione liberatus, in Belgicam venit Provinciam, et ingentes ibi instituit depopulationes. Quam ob causam socios ejus morti addixit Carolus,

et bona fisco, Filium regno expelli voluit, et ab Episcopis excommunicari. Intercessit Papa, ad quem Carolomannus provocaverat, qui, litteris ad Carolum, Proceres, et Episcopos regni datis, Carolo jussit filium in gratiam recipere, Proceribus ab armis contra eum, et Episcopis ab excommunicatione ejus, abstinere; illaque omnia sub poena excommunicationis: a. 871. Quando Patri reconciliatus quidem est, sed, cum majora mala inde metuerentur, Pater ipsum, mortis reum, in vita conservavit quidem, verum, in concilio Silvanectensi a. 872. ab omni Ecclesiastico gradu depositum, oculis privavit, ut poenitentiae locus esset. Vid. Annal. Bertinian.

§. CCCCXVIII. Gravius longe fuit discidium, causa Hincmari Laudunensis, inter Papam, Hincmarum Rhemensem, patruum ejus, et Carolum. Quam historiam fuse narravit Ludov. Cellotius, libro ea de re edito, nos summatim, quia ad Ecclesiam pertinet, trademus, quantum pote brevibus. Hincmarus, ope patrui, Laudunensis factus episcopus, et Palatina administratione a Carolo donatus, gratia Regis excidit, quia beneficium Patris, Luidonis filio, accepto munere, datum, injuste deinde ipsi eripuerat, et propterea ab ipso accusabatur apud Regem. Quo facinore exacerbatus Carolus, Hincmarum Laudunensem non tantum in Procerum corona proscidit conviciis, sed et ei diem dixit, quo coram seculari tribunali se sisteret, facti rationem redditurus. Quod tribunal, cum Hincmarus, tanquam Clericus, recusaret, Rex bona pagi ipsius proscripsit, subditis Ecclesiae Laudunensis obsequium, Episcopo praestandum, interdixit, sed et causae cognitionem infamibus commisit personis, ut Hincmarus Rhem. habet epist. 26. ad Carolum. Intercessit vero, hoc audito, Rhemensis pro nepote suo apud Carolum, a quo etiam impetravit, ut ipsi omnia restituerentur, donec legitimo judicio finitae essent lites. Sed et hac gratia sese mox privavit Hincmarus junior, cum apud Papam de Carolo, tanquam rerum Ecclesiasticarum

invasore,

invasore, conquerendo, tum quod, cum Pauliacam villam, aliasque Ecclesiae suae res, Carolo donaverat, in gratiam Normanni Comitis, cui Rex dono dederat, eas possessiones injuste repeteret. Quod cum recusaret Normannus, a Papa, apud quem ipsum, tanquam rerum Ecclesiasticarum pervasorem, accusaverat, inpetravit mandatum, quo Hincmaro Rhemensi injungitur, ut Normannos excommunicaret. Quod cum detrectaret patruus, ipse junior; armatorum manu stipatus, in domum Normanni irruit, omnia diripuit, ipsum expulit, et in bona ejus manus injecit. Quae omnia constant ex Synodo Duziacensi, ejusque epistola Synodica, et ipsius Hadriani II., ac Hincmari Rhem. 35. Quod idem facinus commisit in Amalbertum, beneficio ipsi vi erepto, et ipso armata manu expulso, imo, licet ex Rhemensi esset dioecesi, excommunicato: ut Hincmarus refert in opusculo 55 *capitum* cap. 2. Saeviit denique in proprios Clericos, quos sine confessione aut convictione deposuit, et excommunicavit.

§. CCCCXIX. Hinc varii sunt suscitati motus. Clericos, querelas suas ad Hincmarum Rhem., Metropolitanum suum, deferentes, communioni ac sacris restituit, et in nepotem suum exacerbatus est Rhemensis, ut ex opusculi laudati cap. 28— patet: irritatus quoque Rex est acerbe in Laudunensem; sed qui se obstinate opposuit, et Regi, quem, cum multis aliis aliarum dioecesium, excommunicavit, et ipsi Hincmaro, avunculo ac Metropolitano suo, cujus obedientiae se subtrahere voluit. Quo in rerum statu convocata est Synodus Vermeriensis a. 869., cui se quidem stitit Hincmarus Junior, sed, cum de felici successu desperaret, ad Papam provocavit, nec tamen licentiam Romam adeundi inpetravit: de quo ipse est conquestus. Habita dein Synodo apud Attiniacum a. 870., ante ejus definitionem se fuga proripuit, et, misso pittaciolo, veniam adeundi Romam petiit: Papa, quem propterea sibi habuit ab eo tempore faventem, acerbas scripsit ad Carolum, et Hincmarum Rhem.,

 litteras;

litteras; ut constat ex responsoriis Caroli, post Synodum Duziacensem, acerbiore quoque stilo scriptis, quarum partem recitat Baronius, nec non ex responsoria epist. Hincmari Rhem., quae est 41*ma*, qua declarat, se absque Regis mandato eum Romam non posse mittere.

§. CCCCXX. Convocata itaque est Synodus Duziacensis, in pago Nosomagensi ad fluvium Charem, a. 871., teste Annalista Bertin., in qua Hincmarus, ad adcusationum capita cum nihil respondere voluerit, adpellationi ad Papam inhaerens, spreta adpellatione convictus est ex scriptis et factis, per legitima testimonia, *seditionis*, *calumniae*, *inobedientiae*, *perjurii*, *infidelitatis in Regem*, *pervasionis et distractionis rerum Ecclesiasticarum*, excommunicationis et depositionis injustae latae, contemtus et inobedientiae erga Metropolitanum etc., denique ob haec crimina lata est in Ipsum depositionis sententia, sed *salvo per omnia Apostolicae sedis judicio*. Missa epist. Synodica ad Papam, qua, tota causa exposita, confirmatio sententiae petitur, Papa recusavit, quod, non obstante adpellatione ad Papam, pronunciata sit sententia. Jussit itaque Papa, Hincmarum mitti Romam, et cum eo accusatorem idoneum et legitimum, vetuit quoque novum ipsi substitui Episcopum. Quae ex Epistola Hadriani ad eam Synodi, et asperiore ad Carolum, apud Baronium, constant. Aegerrime illud Patres Synodi tulerunt, et Carolus vehementissimas dedit ad Papam litteras, non obstante, quod Papa cum eo mitius agere inceperit, regno quoque ipsi, post mortem Ludovici II. promisso. Exstant hae litterae inter Hincmari Epistolas, et in Constitut. Inperial. Goldasti tom. I. a. 871. Negat in illis Carolus, posse Papam regibus Christianissimis praecipere, quae *canonibus et legibus sunt adversa*; manere quidem dicit *Petri privilegium*, *ubi ex ejus aequitate fertur judicium*; quod si non fiat, Papam negat se Petri autoritate tueri posse. *Quod ex Apostolicae sedis nomine*, inquit Rex in fin., *secundum sanctarum scripturarum tramitem*, *praedicationemque majorum*

et

et Orthodoxorum, decreta scribuntur, sequendum et tenendum non ignoramus, et, quod secus a quoquam fuerit compilatum, sive confictum, non solum respuendum, sed et redarguendum cognoscimus. Ceterum Synodus Duziacensis non denegat sedi Romanae jus recipiendi adpellationes, sed primam causae cognitionem contendit instituì in provincia debere.

§. CCCCXXI. Easdem quidem lites persecutus est successor ejus *Johannes* VIII., ab a. 872. ad a. 882., sed simul sopivit magis, quam fovit. Carolum Calvum, titulo Inperatoris in eum collato, sibi devinxit. Cum enim, Ludovico II. Inperatore mortuo, ingens inter Carolum Calvum et Ludovicum Germaniae regem esset de ea dignitate contentio, Italiae quoque Principes ad Italos eum titulum redire vellent, vicit Carolus Calvus, a Papa Inperator coronatus, a. 876., qui mox in conventu Episcoporum et Procerum Ticinensi est confirmatus, ut et eodem anno in conventu Pontigonensi a Gallicanis Episcopis. Quod cum per Ansegisum, Senonensem Archiepiscopum, Romam a Carolo missum, praecipue esset effectum, Carolus litteras a Papa inpetravit, quibus primatus in Galliam et Germaniam Cis-Rhenanam in ipsum collatus est, cum in convocandis Synodis, tum in definiendis dubiis, quae emerserint. Cui sese nequicquam opposuerunt Galliarum Archiepiscopi, in specie Hincmarus Rhemensis. Ab hoc itaque tempore, quod notatu dignum est, Papae inperium in Reges, et Principes, sibi maxime coeperunt adrogare. Narrat quoque Eutropius Longobard., Carolum Romanae sedi liberam promisisse Pontificis electionem, sine praesentia Legatorum Inperatoris. Sed titulo Inperatoris nondum tranquille uti potuit Carolus, litem ei moventibus Ludovici Germaniae regis, hoc tempore defuncti, filiis: quare Papa, Synodo Romae coacta a. 877., inperium Carolo sub anathemate confirmare debuit, ut Annalist. Bertin. narrat. Amicitia hac ratione inter Carolum et Papam stabilita, contentio Hincmariana facile fuit terminata. Toto enim hoc negotio Papae coram a Carolo expo-

 sito,

sito, ipse Synodum Duziacensem confirmavit, ac in Hincmari Laudunensis depositionem, novique Episcopi electionem, consensit, litteris ad Hincmarum Rhemensem datis a. 876., quando Laudunensis est custodiae traditus, et post duos incarcerationis annos oculis privatus, sed a Papa, cui libellum supplicem obtulerat Laudunensis, ipsi concessum est missam facere, ac parte redituum episcopatus Laudunensis frui, ut refert idem Annalista.

§. CCCCXXII. Ceterum, regem Italiae eligendi potestatem sibi ab hoc tempore adrogavit Papa, Carolo Calvo mortuo a. 877., et Carolomanno, Ludovici Germaniae quondam regis filio, omnium consensu Rege Italiae salutato, ita ut ipse Papa, litteris ad eum datis, significaverit, se missurum, qui eum cum *omni decentia ad limina Apostolorum ductaret*, ut habet epistola ordine 63., eo anno scripta. Papa postea, Synodo Romae indicta a. 879., epistolam, quae est 155., ad Episcopos scripsit, qua Carolomannum declaravit *corporis incommoditate gravatum regnum retinere non posse, adeoque de novi regis electione esse deliberandum*; jussit porro nullum regem absque suo consensu esse recipiendum, *cum ipse*, ita pergit, *qui a nobis est ordinandus in Inperium, a nobis primum et potissimum debet esse vocatus et electus.* Evocavit itaque Carolum Crassum eum in finem Romam, epist. 160, et 182., quem tamen non nisi a. 880. coronavit, quia fluctuare inter ipsum et Ludovicum, ejus fratrem, coeperat. Vid., praeter Annal. Bertin., *acta coronationis* Caroli, edita a Pithoeo in Annal. Franciae.

§. CCCCXXIII. Praestitit sese in contentione cum Orientalibus et Photio longe faciliorem, ita ut spes ejus finiendae adluxerit. Ignatio mortuo, et Photio sedi reddito, ut in vita Photii narravi, Basilius Inperator, legatis ad Johannem missis, a. 879., ejus confirmationem postulavit et inpetravit, teste epist. Johannis 199. ad Basilium. Qua declarat, se, pacis causa, de decessorum suorum et Synodi Oecumenicae decretis dispensare, Photium in communionem

recipere,

recipere, ea lege, ut is in Synodo, praesentibus Legatis Romanis, veniam postulet, Bulgaria Ecclesiae Romanae restituatur, et ut, post Photii obitum, nemo de Laicis et Curialibus eligatur Patriarcha. Tantum abest, ut Papa in eo *effoeminate* egerit, quod Baronius putat, qui propterea eum *foeminam* fuisse dictum, et inde fabulam Johannae Papissae repetendam, esse fingit, ut prudenter, et persona sua dignum, sese gesserit. Consuluit enim ea ratione paci Ecclesiarum, Bulgaros suae ditioni adjecit, et Graecorum amicitiam ac protectionem, qua indigebat, sibi comparare visus est. Graeci enim in Italia evadebant potentiores, cum Beneventani et Capuani á Francis ad Basilium defecerant, teste Curopalata, et auxilium contra Saracenos promiserant. Secuta dein est a. 880. Synodus Photiana, a Graecis pro Oecumenica VIII. habita, in favorem Photii, cui Legati Papae interfuerunt, de qua postea, sed in qua conditiones Papae non sunt effectui datae. Photius enim, quia se deliquisse negavit, veniam non petiit, nec Bulgari Ecclesiae Romanae subjecti sunt. Quam ob causam Johannes Synodum, quoad causam Photianam quidem confirmavit, non reliqua; ut ex ejus epist. 251. ad Basilium liquet, ubi tamen dubitanter loquitur, quia nondum erat plene instructus. Cum vero postea, se deceptum esse, nec Legatos fideliter egisse, intellexisset, misso CPolin Legato, a. 881., acta Synodi rescidit. Cum vero Basilius, eo exacerbatus, legatum in carcerem conjecisset, Papa decessorum suorum sententiam in Photium renovavit, et eum denuo percussit anathemate: ut docet series sententiarum et decretorum Paparum in adpendice actorum Synodi VIII. a Radero Latio datorum. Vulnus itaque, quod sanatum videbatur, recruduit, nec schisma est sublatum.

§. CCCCXXIV. Praeter haec, Papatum ejus et alia reddiderunt celebrem, vel famosum, verbo recensenda. 1. Gravia hoc tempore passi sunt Romani a Saracenis, quia Francorum auxilio erant destituti, et Papa, ob nimium in Francos studium, sibi infensos habebat principes Italiae, quorum

rum praecipui erant Lambertus, comes Spoletanus, et Adelbertus Marchio Tusciae, qui villas et civitates Ecclesiae Romanae sunt praedati. Quam ob causam cum a Papa essent excommunicati, novo concitato tumultu in ipsum Johannem irruerunt, eumque in carcerem conjecerunt, unde elapsus fuga sibi consulere debuit, quando Romae omnia sunt confusa: quae fuse narrat Papa epist. 84. et 85. Saracenis vero ingruentibus non nisi ingente tributo satisfacere potuit. Tenebant illi arcem Garilianum in finibus Campaniae, ipsis a Duce Cajetae, ut captivos suos recuperaret, concessum a. 876., unde plurima mala Ecclesiae Romanae sunt inflicta. Vid. epist. Johannis 22. ad Carolum Calvum a. 876., ubi calamitates, a Saracenis illatas, describit. Ceterum tenuerunt hanc arcem per annos fere quadraginta, inde demum ejecti a. 916., ut tradit Leo Ostiensis. l. V: 43. 2. Ludovicum Inperatorem, dolo ab Adalgiso, Beneventano Duce, captum, et sub juramenti religione dimissum, ne injuriam unquam ulcisceretur, nec agrum Beneventanum denuo intraret, Papa, novo prorsus exemplo, juramenti religione absolvit, autoritate Dei et Petri: ut referunt Anastasius, Regino, et Annalist. Metens.. 3. Tribuitur ipsi constitutio de jure *Cardinalium* Romanae Ecclesiae, qua statuitur, ut bis per mensem ad aliquem titulum convenirent, de reformatione Cleri et plebis acturi, Clericorum et Laicorum querelas audituri, et jus dicturi; eaque ratione essent Pontifici, quod septuaginta seniores Mosi. Exhibet eam Baronius ex Vaticanae Bibliothecae monumentis ad a. 882. Denique 4. scripta Papae sunt epistolae numero 320., quarum ultima ad Photium satis est singularis. Consentit enim in ea Photio et Graecis in dogmate *processionis Spiritus S.* ex solo Patre, additamentum Symboli CPol. condemnat, imo insaniam iis adtribuit, qui *hoc in principio dicere ausi essent.* Sed quae epistola censetur multis spuria, nec videtur tale quid a Papa profectum, licet in Photii restitutionem consenserit. Invenisse se

eam

... Vaticanis MSS., sed in codice recentior, ... Mehargi... in diario Italico p. 48.
... CCCCXXV. Marinus I., seu Martinus II., ejus successor, tribus legationibus ante CPolim functus, sub Nicolao ad Photium condemnandum et excommunicandum, sub Hadriano ad eum deponendum, et Ignatium restituendum, atque sub Johanne VIII. ad errorem, per Legatos Papae circa Photiana commissum, reparandum; eoque nomine ... Graecis odiosus, et quod electionem suam Photio non significasset, pro vero Pontifice ab iis non est agnitus, praetendentibus, eum ad sedem Romanam non potuisse transferri, ... Bulgarorum fuerat Archiepiscopus; quod tamen verum ... fuit, cum eum tantum petierint Bulgari. Damnavit ... statim ac Papa esset ordinatus Photium, et omnia ... acta rescidit. Quod quam aegre tulerit Basilius, epistola ad eum missa testatus est, declarans etiam, se, ob dictam causam, eum Papam non posse agnoscere. Quod dein ...tavit Stephanus V. epist. ad Basilium. Discessit quoque ... a decessore suo, quod Formosum, Portuensem Episcopum, quem Johannes excommunicaverat, deposuerat, et ...mento dato obligaverat, ne unquam Romam redeat, aut ...scopatum repetat, restituerit, et a juramento absolverit. ... Auxilius de ordinationibus Formosi l. II. c. 20. Deposi... autem erat Formosus a Johanne ob ambitionem, et con...rationem contra Carolum, teste Epistola Johannis, ordi... § 19., ad universos Gallos et Germanos a. 876. Hic ip... est Formosus, qui postea Papa est factus, et singulare ...it fatum, ut mox narrabo. Ceterum de Marino tradit ...nus, eum malis artibus adeptum esse Pontificatum, et ... memoria dignum egisse. Utique nihil, praeter mem...rata, de ipso legitur factum, nisi quod scholam Anglo... Romae declaravit a tributo immunem, et partem cru...; cum aliis donis, miserit Aelfredo Regi: ut habet Mat...eus Westmonasteriensis, et Chronicon Saxonicum ad ... 83., a Gibsono Oxoniae vulgatum.

§. CCCCXXVI. *Hadrianus* III., a. 884. Papa factus et mortuus, nomen suum per duo decreta nobilitavit, ut refert Sigonius de Regno Italiae l. V., *unum*, pro Romanorum libertate, ut Pontifex designatus consecrari sine praesentia Regis, aut Legatorum ejus, possit; *alterum*, pro dignitate Italiae, ut, moriente Crasso sine filiis, regnum Italiae Principibus, cum titulo Inperatoris, traderetur. Ad quae decreta Papa adductus censetur per Italorum postulationes, qui, a Saracenis pressi, et a Francis relicti, proprium Regem et libertatem petierunt. Prioris decreti veritatem evincit successoris ordinatio; ut mox patebit. Ceterum, cum Sigonius referat, Papam antea fuisse Agapetum dictum, Mabillon. praef. ad p. II. seculi Benedictin. VI. inde colligit, eum fuisse primum Paparum, qui nomen mutavit. Sed non adeo certum est, quo fundamento id adserat Sigonius. Sigebertus et Marianus Scotus *Agapetum* aliquem memorant ante Hadrianum, incertum num ex duplice hoc nomine ortum sit, an duplex inde confictum nomen. Utique primus, qui nomen mutavit, communiter habetur Johannes XII., ante *Octavianus* dictus.

§. CCCCXXVII. Successit *Stephanus* V., vel VI., a populo et clero electus, et, absentibus Legatis Inperatoris, consecratus et ordinatus, frustra indignante et communi consensui se opponente Imperatore. Vid. Annalista Lambecianus, a Lambecio Bibl. Caesar. t. II. editus, qui Annalistam Fuldensem continuavit, quod et alius fecit, a Frehero publicatus, et Freherianus adpellari solitus. Sedit ab a. 885. ad 892. Papa, a doctrina, devotione, et liberalitate erga pauperes, et castitate, celebratus, cujus devotioni acceptum refertur, quod locustas, eo tempore grassantes, *aqua benedicta* exstinxerit, ut G. Bibliothecarius in ejus vita refert. Hic est Papa, qui ad Basilii Inperatoris epistolam, modo memoratam, conviciis plenam, respondit, accusationes diluit; Photium execratus est, ipsum Inperatorem increpuit, quod unius Photii causa scindat Ecclesias, et

Romanum

Romanam sedem adeo prostituat, cum ei subditus esse deberet, denique rogat Imperatorem, ut Romanae Ecclesiae adversus Saracenos opem ferat. Exstat Epistola apud Baronium, nec effectu caruit. Leo enim Philosophus, Basilii successor, litteris illis acceptis, Photium, cui infensus erat, quia Photium conspirationis contra successionem suam reum habebat, detrusit; eique fratrem suum, sedecim licet annos tantum natum, Stephanum suffecit. Cum autem ipse a Photio esset *diaconus* ordinatus, et multi, Ignatio relicto, Photio rursus adhaererent, licet a Papis excommunicato, missae sunt a Leone, et Styliano Metropolita Neo-caesar., litterae ad Stephanum, quibus petierunt, ut, quae contra canones essent acta, dispensaret Papa, et ignosceret. Occurrunt autem in Styliani epistola, quae superest, haec notabilia de praerogativa sedis Romanae verba: *quoniam vero scimus, quod a vestra Apostolica sede corrigi, et juxta canones corripi debemus* etc. Regessit Papa, Legatos esse Romam mittendos, ut rectius de toto negotio instrueretur; quod sub Formoso factum est; quando schisma est exstinctum, et pax Ecclesiis reddita. Ceterum notabilia sunt haec verba Stephani in epist. ad Basilium, *quemadmodum vobis rerum temporalium principatus a Deo est traditus, ita nobis per coryphaeum Apostolorum Petrum rerum spiritualium principatus* etc. In epist. quoque ad Episcopos Orient. jactavit, *quodcunque Ecclesia Romana definiverit, incorruptum manere debere*. Quod decretum etiam insertum est apud Gratianum dist. 89. Denique, Italia, mortuo Carolo Crasso a. 888., in duas factiones scissa, dum alii Berengarium, Ducem Forojulensem, alii Widonem, Spoletinorum Ducem, elegissent Regem, Papa primum evocavit Arnulphum, Germaniae regem, ut eum coronaret Imperatorem, teste Hermanno Contracto ad a. 890., dein, eo retardante, vel detrectante, Widonem, Romam arcessitum, coronavit Imperatorem a. 891. Effecit quoque apud Regni Arelatensis Episcopos, eo scopo, ut regno, quod a Normannis ab una, et

Saracenis ab altera parte, devastabatur, succurreret, ut Bosonis filius, Ludovicus Orbus, fuerit Rex coronatus, in quem postea est Inperialis dignitas collata. Vid. acta Synodi Valentiae a. 890., a Sirmondo vulgata, et in tomis Conciliorum. Exstat, quod ultimo notandum, hujus Papae concio apud Bibliothecarium et Baronium, in maleficos, et eos, qui, more gentilium, daemonas consulebant, et qua populum incitat ad reverentiam Templis habendam, et a confabulationibus in iis deterret.

§. CCCCXXVIII. Excepit ipsum *Formosus*, ab a. 891. ad a. 896., antea Portuensis Episcopus, a Johanne VIII. cum excommunicatione depositus, sed a Marino restitutus, ut modo narravi. Papa electus coronatus quidem est, sed non consecratus, vicem consecrationis gerente *benedictione*. Episcopus enim, ut Cajetanus inquit apud Mabillon. Mus. Ital. tom. II., *qui in Papam electus est, non consecratur denuo, sed benedicitur aliquo die Dominico, quo et coronatur.* Quam electionem canonibus repugnare putatur quidem, quia a sede ad sedem translatus est, sed sine solida ratione, cum ejusmodi translationum sat multa sint exempla, ab ipso Stephano V. in epist. ad Basilium, supra citata, producta, ut Marinum simili accusatione vindicaret. Etsi Formosus a Stephano VI. pessime fuit post mortem tractatus, non est tamen, ut passim fit, reliquis Papis pejor habendus, imo Luitprando l. I. cap. 8. dicitur, *vera religione, divinarumque scripturarum et doctrinarum scientia clarus.* Exstat quoque ejus elogium apud Frodoardum in fragmento de Pontificibus Romanis apud Mabillon. sec. III. Benedict. p. II., nec non apud Auxilium super *causa et negotio* Formosi apud Mabillon. in *Analect.*, qui de *ordinationibus* Formosi etiam scripsit, ibid.

§. CCCCXXIX. Legatis a Leone Philosopho missis Romam, qui veniam migratorum canonum in causa Photii rogarent, respondit Formosus, seculares quidem esse venia dignos, sed Clericos, illegitime ordinatos, eam non mereri

attamen,

attamen, cum benignitas suadeat, alia esse toleranda, alia e medio tollenda, se Legatos CPolin ablegaturum esse. Quod et factum est, duabus praescriptis conditionibus, ut Photii condemnatio confirmaretur, et qui ab ipso ordinati erant, si oblatis libellis se deliquisse fateantur, ac veniam deprecarentur, recipiantur. Exstat epistola in tomis Conciliorum. Hac ratione schisma Photianum ad tempus est finitum, sed tempore Michaelis Cerularii adeo renovatum est, et firmatum, ut per omnia duraverit secula. De quo suo loco postea. Synodum quoque celebravit, vel indixit, cum ejus celebratae non fiat mentio, Romae a. 823., ut dissidia Episcoporum Africanorum, et Ecclesiae Orientalis tolleret. Vid. Flodoard. hist. Rhem. l. IV., ubi Papa in epist. ad Fulconem Rhemensem dicit, *inter Episcopos Africae dudum fuisse exorta schismata.* Nobilius fuit Papae facinus, quo Arnulphum coronavit Inperatorem, post Widonis mortem, cum omnia essent in Italia confusa. Lamberto, ejus Filio, cum Berengario, Italiam dividente, et tyrannidem exercente, Papa evocavit Arnulphum; qui cum exercitu eo venit, Romam vi expugnavit, et coronam a Papa accepit, ut fuse narrat Annalista Freherianus, cui Luitprandus, Regino, et Sigebertus, ac alii, consentiunt, manifesto indicio, Arnulphum, quod Baronius scribit, non fuisse per surreptionem a Papa unctum. Imo Romam non hortatu tantum et consensu, sed mandato, Papae fuisse expugnatam, refert Herm. Contractus. Addit Annal. Freherianus *totum Romanorum populum cum juramento Inperatori fidem promisisse, sed salvo honore et lege et fidelitate Domini Formosi Papae.*

§. CCCCXXX. Misso Bonifacio VI., paucorum dierum Papa, *Stephanus* VI. vel VII., Papa per multa crimina famosus, memorandus est. Odio in Arnulphum et Formosum flagrans, in illius locum coronavit Lambertum, ut ex privilegio monasterii Vezeliacensis, apud Dacherium in spicilegio, observavit Pagi; in Formosi vero cadaver nefando scelere saeviit. Synodo enim coacta, cadaver ejus, sepulchro

 eductum,

eductum, sistit in judicio, ac in cathedra Pontificia, cum Sacerdotalibus indumentis, collocatum interrogavit, acsi vivus esset homo, *cum Portuensis esset Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasset?* Quo facto, sacris vestibus exutum, tribus abscissis digitis, in Tiberim projici jussit, omnesque, a Formoso ordinatos, gradu deposuit, et iterum ordinavit. Vid. Annal. Freher., Luitprand., et Herm. Contractus, qui haud obscure indicat, infame illud facinus ex odio in Arnulphum et Formosum esse profectum. *Proh scelus*, inquit, hoc facinore commisso, Auxilius de *sacris ordinationibus*, cap. 30. *saltem poeticam attendere debuerunt sententiam.*

Parce pias scelerare manus, jam parce sepulto.

Sed haec acta dein sunt a Johanne IX., tanquam impia et nefanda, combusta; confirmato tamen decreto ejus de Pontifice Romano *non consecrando, nisi praesentibus Legatis Imperialibus.* Quod decretum Gratiano memoratum dist. 63. genuinum, sed Stephano VI., non IV., vindicandum esse, demonstrat Pagi. Ratio decreti datur, quod, ob Legatorum illorum absentiam *Romana Ecclesia plurimas patiatur violentias.* Sed Stephanus annum cum sedisset, de sede est detrusus, in carcerem conjectus, et suffocatus. Vid. Flodoardus in fragmento de Pontificibus Romanis. Ceterum duplex hoc tempore ex facinore Stephani nata fuit quaestio, *una*, num Formosi electio fuerit canonica? sive, ex sede in sedem translatio ex alia dioecesi legitima? cum eam canones Nicaeni, et Sardicenses sec. IV., damnare videantur: *altera*, num Episcopus depositus valide conferat ordines? Superest de *legitimis ordinationibus* Formosi liber ab Auxilio conscriptus in *Analectis Mabillonii.*

§. CCCCXXXI. De successoribus ejus, primum Romano, dein Theodoro, brevissimi temporis, cum nihil occurrat memorabile, nisi quod Theodorus Formosi ordinationes a Ste-

Stephano damnatas restituerit, et ipsum Formosi corpus ad *Apostolicam tumbam* adduxerit, ut ex Auxilio l. cit., Sigeberto in Chron., et aliis, constat, addit Luitprandus lib. I. ex relatione Romanorum, corpus ejus, dum in Templum duceretur, fuisse ab omnibus sanctorum imaginibus salutatum; ad ultimum hujus sec. Papam *Johannem* IX., qui ab a. 898. ad 900. sedit, pergo. Incessit in actis Stephani rescindendis eodem pede. Synodo enim Romae congregata, damnata mox sunt acta Synodi sub Stephano contra Formosum, et ab hoc ordinati restituti, ac violatores sepulchri et cadaveris ejus damnati. Confirmata quoque est Lamberti dignitas Imperialis, et Berengarii surreptitia coronatio damnata. Porro decretum est, Pontifices Romanos non esse consecrandos, nisi praesentibus Legatis Imperialibus; quod tamen ante Ottonem M. vix habuit effectum. Damnati denique sunt Sergiani, ita dicti, quod Sergio in initio contra Johannem electo, sed ante ordinationem Roma pulso, adhaerescere pergerent armati.

§. CCCCXXXII. Absoluta, scopo nostro convenienter, Paparum historia. nonnulla pro more restant de illis observata subjungenda. Incesserunt Papae eodem tramite, quo superiore seculo in ritibus sacris vel superstitiosis promovendis, et potestate Papali amplificanda; in primis Nicolaus I., Hadrianus II., et Johannes VII., ut in eorum vita narravi. Gesserunt sese Vicarios Petri, et universales Episcopos, totius orbis Episcopis superiores, ita ut in rebus Ecclesiasticis nihil sine suo consensu ratum esse censuerint, nec Synodum, nec canones; omnibus jus esse ad sedem Romanam adpellandi, Paparum judicium non esse retractandum, nec Papalem sedem aliorum subjectam judicio. Quam autoritatem sibi in Oriente aeque ac Occidente adrogarunt. Reges jam ad oscula pedum admiserunt, et coronari coeperunt, cujus primum est in Nicolao exemplum. Imo regni Italiae conferendi potestatem sibi vindicavit Johannes VIII., ipsius quoque juramenti religione constrictos

absolvendi autoritate Petri, ut ipse in Ludovico fecit. Nec tamen sibi contra canones aliquid licere, aut solos, propria autoritate sine Synodo, omnia agere praetenderunt, multo minus infallibilitatem sibi adtribuerunt, aut praestiterint. Fatetur Hadrianus II. in epist., quae a Synodo VIII. est adprobata, et in actis reperitur, *propter solam haeresin licitum esse minoribus majorum suorum moribus resistere, et pravos sensus respuere.* Imo Nicolaus, ut in ejus vita notavi, dixit; *se non praeferre, nequidem aequare Synodis.* Contradicunt quoque infallibilitati, quae in causa Imaginum acta sunt in ipso Occidente, et quae in causa Formosi contigerunt; sicut et contradixit diserte Huldericus de *continentia Clericorum*, et Auxilius in duobus libellis: ut ex superioribus patet. Praeterea in rebus civilibus sese agnoverunt Regibus et Inperatoribus subjectos, quorum etiam suprema potestas et jurisdictio erat in ipsa urbe Roma, ut demonstrat Baluzius in praefat. ad Capitularia Francorum: dominium quoque urbis fuit a Paschali in Inperatorem translatum, eique fides jurata, ut in ejus vita vidimus. Consecratio denique Paparum ejus consensui, et Legatorum praesentiae, fuit adstricta sub Eugenio II., de quo supra egi. Vid. etiam Baluzius de electione Paparum, non sine Inperatorum autoritate facienda, ad Agobard. p. 124.

§. CCCCXXXIII. Subjungamus nunc quid Papis fuerit ab Ecclesiis concessum, et in quo sese nonnulli iis opposuerint. In epistola Synodica conventus Parisiensis a. 825., in causa Imaginum, jussu Ludovici et Lotharii indicti, apud Goldastum Constit. Inperial. tom. I., haud fateri verentur, epistolam Hadriani, ad Graecos et Synodum Nicaenam missam, *indiscrete jussisse imagines adorari, et testimonia Patrum valde absona in ea citari*: praeterea dicunt, in epistola responsoria Hadriani ad Carolum reperiri, *quae, remota Pontificali autoritate, et veritati, et autoritati refragantur*, Papamque *ignoranter deviasse a recto tramite.* Attamen agnoscunt, se jussu quidem Inperatorum, sed autoritate, a

sede

sede Romana inpetrata, convenisse, simul suadent, ut mitissime agatur cum illa sede, *auctoritatem illius Praesulum magnis laudum praeconiis efferendo*, ut facilius a cultu imaginum abducantur: imo se credere dicunt, Papam non praesumturum *aliud mandare ab illa sede, quam autoritas et veritas se habet:* veriturum scilicet *potestatem Inperatorum, autoritatem sedis, et testimonia veritatis*: denique se non dubitare, *dignam honoris reverentiam jure tribuendam his, qui in sacra sede beati Petri resident.* Pronunciarunt nihilominus in caussa Imaginum contra decreta istius sedis Episcoporum. Edidit vero Lotharius constitutionem, cujus memini in vita Eugenii II., quae summam quidem Inperatoris in urbe potestatem evincit, sed Papae autoritatem eousque extendit, ut *omnes homines, sicut Dei gratiam et nostram*, inquit, *habere desiderant, jubeantur praestare obedientiam ac reverentiam Pontifici in omnibus.* Ceterum, ut id obiter observem, Papae hoc et sequentibus seculis, usque ad XIII., peculiari de ratione, *vicarii Petri* sunt adpellati, et reliqui Episcopi *vicarii Christi.* Vid. nota Mabillon. ad vitam Adalhardi Abbatis in Actis Benedict. sec. IV. p. I. pag. 341.

§. CCCCXXXIV. Sed, qualem quantamque autoritatem Romano Pontifici competere censuerint Gallicani Praesules, luculenter ex Gregorii IVti historia elucescit, qui partes filiorum Ludovici contra Patrem sectari, et Ludovici Episcopos excommunicare velle, videbatur, ut supra narravi. Habitus est eo tempore Gallorum conventus a. 833., in quo haec sunt decreta. 1. Romanum Episcopum *Papam fratrem*, non vero *Patrem*, neque *summum Pontificem*, adpellandum esse. 2. Inperialem potestatem plus posse in administranda Ecclesia, quam Pontificiam. 3. Caesarem non esse praesumtuosa excommunicatione dehonorandum. 4. Unum posse abjici aliquem Pontificem sine injuria sedis Apostolicae. 5. Episcopos in causa fidei jusjurandum praestare solitos esse Inperatori. 5. Agobardum, Primatem Aquitaniae, nullam deinceps habiturum potestatem in excommuni-

cando, nullamque jurisdictionem in ceteras parochias, si obediret potius Pontifici, quam Inperatori. 7. Privandum Episcopum consortio et honore, qui potius Pontifici, quam Gallicanae Ecclesiae concilio, obediverit. Exstant haec decreta apud Goldastum l. cit. Quibus addo, apud Gallicanos conciliorum canones valere, et autoritatem habere, licet non interfuerint Legati Romani, aut Inperatoris, secundum Agobardum Oper. vol. I. p. 119. et 288., ubi eos reprehendit, qui secus sentiebant, quos *neotericos Romanos* nuncupat. Quam animose Nicolao restiterint Episcopi Germaniae Teutgaudus et Guntharus, ejusque tyrannidem taxarint, supra observavi in vita Nicolai. Denique in epist., quae nomine Caroli Calvi scripta est ad Hadrianum II., et apud Hincmarum Oper. tom. II. p. 701. exstat, dictum Hadriani, *ut omnia, quae a sede Apostolica veniunt, humili semper debeamus intentione recipere*, reprehenditur, *tanquam euangelicae veritati, et decretis sanctorum adversum*: additur, *Papam umbrosum seculi typhum inducere in Ecclesiam.* Praeterea negatur, Papam quid posse contra canones conciliorum, seque tueri posse autoritate Petri, nisi secundum aequitatem Petri legitime pronunciet. Ceteroquin, Vicario beati Petri Leoni Deum dedisse primatum in omni orbe, agnoscunt Episcopi in epist. aliqua apud Lupum Ferrar. ep. 84. Hincmarus in ep. ad Nicolaum, quae apud Flodoardum hist. Ecclesiae Remens. l. III. etiam exstat, inter alia dicit: *omnes senes cum junioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanae Ecclesiae, et nos Episcopos in primatu beati Petri subjectos esse Romano Pontifici, et ob id, salva fide, quae in ea Ecclesia semper viguit, et Domino cooperante semper florebit, nobis est vestrae Apostolicae autoritati obediendum.* Walafr. Strabus de rebus Eccles. c. 31. inquit, *sicut gens Romanorum totius orbis Monarchiam tenuisse fertur, ita summus Pontifex in sede Romana vicem Petri gerens, totius Ecclesiae apice sublimatur.* Sed male sese mox fundat in Sardicensi concilio, sec. IV., de quo suo loco egi. Addit etiam mox, Ecclesias Antio-

chiensem

chiensem et Alexandrinam dignitati sedis Romanae consonari; simul *posse trium locorum eminentiam ad unam dignitatem referri Quia in duobus horum ipse Petrus sedit, tertium, seu Alexandrinum per Marcum, Filium suum — — — suam effecerat sedem.* Porro in Synodo apud S. Marcam, in finibus pagi Rhemens. a. 881., sub Ludovico Rege, interdictum est Pontificibus repugnare Regum dispositionibus, in temporalium rerum cursu. Superest quoque notabilis epist. Luitperti, Episcopi Moguntini ad Ludovicum Imperatorem in *Catalogo testium veritatis*, in qua de primatu, et dignitate Ecclesiae, in sede S. Petri graviter dehonestata, et inaudita ac occulta persecutione Rectorum Ecclesiae conqueritur, simul veretur, ne malum a capite ad membra proserpat: quare Regem hortatur, ut, convocato concilio, quantocyus medelam adferat. Queritur etiam Ratherius, Veronensis Episcopus, de contemtu canonum, apud Dacherium in Spicilegio, et inquirit, cur prae ceteris Christianis canonum contemtores sint Itali? Denique, cum Dragoni Metensi primatum in Gallias et Germaniam concessisset Sergius II. Papa, a. 844., Episcopi restiterunt, etiam, ut res effectu caruerit, effecerunt: ut in Sergio narravi. Tandem quantam autoritatem Orientales adscripserint sedi Romanae, ex historia Imaginum et Photii satis elucescit.

§. CCCCXXXV. Ad reliquos Clericorum ordines pergenti, 1. *Primates*, vel Patriarchae, occurrunt: sed qui moram non injiciunt, cum seculum nihil de ipsis suppeditet notandum, nisi quod novae aliquae sedes Patriarchicae, cum legatorum Apostolicae sedis titulo, fuerint erectae; uti ex gr. α. in Aquitaniae regno Primatus Bituricensis, et subjectis Burdigalensi, Auscitano, et Narbonensi Archiepiscopis, ad firmandam novi regni Aquitanici, in gratiam Ludovici a Carolo M. erecti, autoritatem, erat enim Biturigum regni istius Metropolis. Vid. Natalis Alex. ad sec. IX. et X. cap. 5. ubi etiam mutationes postea factas enarrat. β. Primatus Senonensis in Galliam et Germaniam Cis-

Rhenanam, Ansegiso datus a Johanne VIII., ut in ejus vita narravi. 2. *Metropolitani*, quorum jura et privilegia luculenter exposuit Hincmarus Rhem. in opusculo 55 capitum, cap. II. et VII. Erat vero eorum insigne *Pallium*, propter Apostolicam vicem ipsis datum, teste Rabano de ordine *Antiphonarii*. Accipiebant quidem a Patriarchis confirmationem, sive per manuum inpositionem, sive per pallii dationem, ut canon 17. Syn. VIII. habet, sed ut plurimum ambire solebant pallium, a sede Romana Gallicani Praesules, et facile inpetrabant, cum ad opes, pallium enim sine pecunia non dabatur, et autoritatem istius sedis promovendam multum conferebat, quare ipsis Episcopis nonnunquam fuit concessum. Promittebant enim Romanae sedi obedientiam, in hanc formulam: *Beato Petro, et vicario ejus, debitam subjectionem, et obedientiam*, (hoc est secundum canones statutos debitam) *suffraganeis vero nostris adjutorium, me exhibiturum profiteor.* Quam formulam exhibet Sirmondus in Adpendice tom. II. conciliorum Galliae. Sicut vero privilegia Metropolitanorum a sede Romana confirmabantur, ita quoque novae sedes Metropoliticae; uti hoc seculo a. 831. *Hamburgensis*, a Ludovico, consensu Episcoporum, erecta in Anschario, omnibus Ecclesiis Aquilonaribus ei subjectis, confirmata a Gregorio IV., qui ei etiam vices suas concessit. Vid. Rembertus, ejus successor in illa sede, in vita Anscharii, apud Mabillon. sec. IV. Benedictin. p. II. Addita quoque ei deinceps est Ecclesia Episcopalis *Bremensis*, antea Coloniensi subjecta, confirmante Nicolao I. a. 858., ut tradit, praeter Rembertum l. cit., Adamus Bremensis l. I. c. 27. et Chronicon Saxonicum. Praeterea in fin. sec. VIII. erectus est *Salisburgensis* in Arnone primo Archiepiscopo, cui Leo III. pallium misit a. 798. Vid. Annal. Ratisponensis in Analectis Mabillon., et autor vitae S. Ruperti, primi Episcopi Salisburg. et autor vitae Virgilii, decessoris Arnonis, in Ant. Lect. Canisii.

§. CCCCXXXVI.

§. CCCCXXXVI. *Episcopi*, de quibus pauca tantum habeo dicenda, 1. eligebantur ordinarie a Clero et Plebe, Regibus et Inperatoribus permissionem electionis concedentibus, et ipsam electionem adprobantibus. Vid. Florus in opusculo de *electionibus Episcoporum*, ad calcem Agobardi tom. II. edit. Baluzii; qui tamen jus eligendi Clero et populo tribuit, adsensum tantum Principibus *ad cumulum*, addit, *fraternitatis, propter pacem et corcordiam mundanae potestatis*. Extraordinarie nonnunquam Episcopos constituerunt Reges et Inperatores, qui etiam ad hos illosve eligendos multum passim contribuerunt, pro autoritate subinde agentes. Quod tamen vetuit canon 12. Syn. VIII., quo promotiones Episcoporum, *potentia et praeceptione Principum factae, sive per versutiam et tyrannidem eorum*, declarantur *irritae*. 2. Electi ordinabantur a Metropolitanis, licet extraordinariis in casibus a Papis, ut, cum Metropolitanus officio suo non fungeretur, vel jure abuteretur, vel dispensatione opus esset. Fiebat autem confirmatio a Metropolitano, praemisso examine. Vid. formula examinationis Willeberti, Catalaunensis Episcopi ordinandi, ab Hincmaro Rhem. factae, apud Sirmond. tom. II. concil. Galliae, et epist. 43. Hincmari ad Aventium. Debebant praeterea Episcopi professionem fidei edere, et observantiam canonum promittere Metropolitano, et non Papae, ut ex professione Adalberti, Morinensis Episcopi, oblata Hincmaro, patet, quae exstat inter formulas antiquas promotionum Episcopalium apud Sirmond. l. cit. Quam obedientiae promissionem ignorant Orientales, teste canone 8. Synodi VIII.. Denique in Gallia et Germania fidelitatis sacramentum etiam praestiterunt Regibus. Vid. Annal. Bertinian. a. 837. et canon 1. concilii Turonens. III., ac 12. Aquisgran. II. Obtinuit quoque Inperialis investitura per ferulam. Sic Rembertus Hamburgensis *pallium* accepit Pontificale a Papa Nicolao, *ferulam Pastoralem a Caesare*, seu Rege, *Luthewico*, ut tradit Adamus Bremensis cap. 28. Cujus rei etiam meminit au-

tor vitae Remberti apud Mabillon. sec. IV. Benedictin. p. II. cap. XI.

§. CCCCXXXVII. 3. Missis aliis, ut de *cessione*, resignatione in gratiam coadjutoris, *translatione* de sede in sedem, non nisi urgente ratione licita, de *residentia*, non extra episcopatum, nisi negotia exigerent, verbo notandum, invaluisse jam, etiam in abusum tractas, sic dictas *commendas*, ut plura liceat possidere beneficia, praeter Ecclesiam propriam, quae *titulata* adpellatur, scilicet alias Ecclesias jure fiduciario et administratorio, quas non ipsi, sed *vicarii* curabant, ipsi tamen fructus percipiebant. Abusum nonnunquam corrigere, et commendas tollere, conati sunt, sed in cassum. Ipsi etiam Laici aliquando habuerunt commendas tanquam procuratores, et ex his commendis, ut et unitis Ecclesiis, ortum est jus patronatus Ecclesiasticorum in eas commendatas, et adunitas Ecclesias. Vid. Boehmer. Jur. Eccles. l. III. tit. 5. et 38. Ceterum discussae quidem fuerunt causae Episcoporum in Synodis provincialibus, aut nationalibus, sed jus adpellationis passim erat ad Papam. De quo ex superioribus constat. Imo Episcopum sine consensu Papae deponi non posse, olim constituisse Papam Melchiadem, vulgatum hoc tempore est, licet incerta fide, inter Gallicanos. Vid. Lupus ep. 130. et ibi Baluzius.

§. CCCCXXXVIII. 4. Denique observari meretur, insigne dignitatis Episcopalis jam fuisse *baculum pastoralem*, seu ferulam et pedum; figurae supra incurvae, *een krucke*, cujus mentio occurrit in gestis Aldrici, Cenomanensis Episcopi cap. 44., in Miscellan. Baluzii tom. III. Sic cum Photius in Synodum a. 869. venisset baculo innixus, dixit unus Legatorum Papae, *tollite baculum de manu ejus, signum enim est dignitatis pastoralis, quod habere nullatenus debet, quia lupus est, non pastor.* Vid. acta Synodi VIII. Ceterum de baculo Episcopali, ejusque simplici origine a consuetudine eo in sustentaculum utendi, ejusque figura, vid. Boehmer

mer Jur. Ecclef. l. III. tit. 20. Sed inter Epifcoporum infignia etiam jam fuit *mitra*, quam alii laminam, alii cidarin vocant, qua caput ornabatur: licet omnibus Epifcopis non fuerit conceffa, nec fine permiffu Papae in Ecclefia Latina, et folis Patriarchis in Graeca. Vid. Martene Antiq. Ecclef. rit. l. I. p. I. c. 4.

§. CCCCXXXIX. De reliquis Clericis nihil fere habeo, quod dictis ad fec. VIII. addatur. Inftituebantur in feminariis, quae vel in monafteriis erant, vel Epifcoporum aedibus, juniores Clerici, et facerdotalis ordinis Candidati: ad quae Seminaria etiam vocabantur *Curati*, feu presbyteri parochiarum, per *turmas*, et per *hebdomadas*, ut inftruantur. Vid. capitular. l. VII. cap. 231., Hincmar. ep. 26., et canon 12. Turonenfis III. Praeterea erant hoc adhuc feculo omnes *canonici*, vel regulares: de quo ad fec. VIII. dixi. Jus *nominationis* eorum ad beneficia, in fpecie ad regimen parochiarum, paffim erat penes *patronos*, five Laicos, five Ecclefiafticos, fed *collatio* competebat Epifcopo, qui etiam indignos recufare poterat. Sed, ne alia ad Clericos pertinentia, memorem, invaluerunt hoc feculo, in fignum corruptionis, Presbyteri *domeftici*, etiam Acephali dicti, quia in domibus laicorum, in primis divitum et Magnatum, verfabantur, et facra ibi adminiftrabant, fed fub nullius Epifcopi difciplina, inde Acephali, feu *fine capite*, vocati a Synodo Ticinenfi a. 850. Indulgentia facerdotum peperit antiquitus hunc morem, tefte canone 21. concilii Agathenfis, dein neceffarium factum, ita ut Epifcopis lege fuerit prohibitum eos repellere, qui a Laicis, ut presbyteri fierent, offerebantur. De qua confuetudine conqueftus eft Agobardus *de privilegio* et *jure facerdotii*, ubi refert, eos ad quaevis vilia adhiberi officia, ut, ex gr., *ad menfas miniftrent*, *faccata vina mifceant*, *aut canes ducant*, *aut caballos*: addit, eorum mores paffim fuiffe pravos, eofque a Laicis conftitui, ut officiis publicis non habeant neceffe defungi, ac majore gaudeant licentia. Ceterum infigniti quoque fuerunt

runt domestici presbyteri titulo *Capellanorum*, a capella. Qua voce proprie veniebant *reliquiae*, et utensilia sacra, a voce Celtica *Cap*, seu tegumento capitis vel corporis, unde ad reconditoria sacrorum, et inde ad oratoria transiit, quae erant Domunculae eorum, quibus inclusa erant, et oratoriis missam in iis celebrandi dabant praerogativam. Inter *oratoria* vero et *capellas* id distat, quod *illa* sint quaevis loca, precibus, et similibus exercitiis, destinata, sive reliquias habeant, et consecrata sint, sive non, *hae* vero, seu capellae, sint oratoria reliquiis sacris praedita et consecrata, in quibus missa celebratur. Oratoria jam a sec. V. locum habuerunt, sed capellae serius. Praeterea *capellani* etiam adpellabantur, qui Principes et magnates in itinere comitabantur, et capellis, vel capsulis sacrorum, quas ad sacra facienda secum ferebant, inserviebant. Vid. etiam Boehmer. Jur. Eccles. l. III. tit. 37. De Archicapellano vero in palatio Regum Galliae, ejusque summa dignitate, et potestate, in rebus Ecclesiasticis, P. Marca concord. sacerd. et Inper. l. IV. c. 7.

DISCIPLINA.

§. CCCCXL. Quae ad disciplinam, poenitentiam, et reconciliationem spectant, peti, inter alia, possunt ex Halitgerii, Episcopi Cameracensis, *collectaneis*, ex Prospero in primis et Gregorio, in Antiq. Lect. Canisii tom. II. p. II., ubi tractatus de virtutibus et vitiis primariis praemittitur, etiam comparent decreta Synodi Regiae Ticinensis sub Lothario, ad disciplinam, et corruptionem, seculi cognoscendam utilia. Ceterum primum occurrit hoc sec. exemplum *communionis bonorum operum*, in eo sitae, quod monasterium aliquod, vel alius aliquis ordo Clericorum, aliquem certiorem reddit de sorte ejus in operibus suis religiosis supererogatoriis, eorumque meritis ad remissionem peccatorum. Prostat primum exemplum in Samarthani Gallia Christiana

na tom. VII., sed postea fuerunt plurima. Vid. Bibl. Brem. cl. VII. p. 1066. Incepit quoque vel hoc, vel superiore, sec. sic dicta *substitutio*, qua alius peccatori, ad poenas poenitentiales ejus loco ferendas, sufficitur, cui pro substitutione dabatur pecunia.

§. CCCCXLI. Majoris est, quod ad disciplinam etiam pertinet, Leonem Isaurum sec. VIII. Judaeis et Montanistis inperasse baptismum, sub poena etiam mortis, teste Theophane ad a. 714. Michaelem quoque Inperatorem, suasu Nicephori, Patriarchae CPol., et aliorum Episcoporum, mortis poenam promulgasse in Manichaeos, Paulicianos, et alios haereticos. Sed cui decreto alii se opposuerunt, tenentes, non licere sacerdotibus contra inpios pronunciare mortis sententiam, cum Deus ipse vita et conversione eorum delectetur, et Christus zizania prohibuerit eradicare: alii vero ad exemplum Petri, Ananiam morte punientis, provocarunt, et dictum quoque Pauli, *qui talia faciunt morte digni sunt*, citarunt. Vid. Paulus Diaconus hist. l. XXIV., qui, Inperatorem divino zelo inpulsum poenam capitalem statuisse, et a pravis consiliariis fuisse inpeditum, tradit, addens, eos *indocte dogmatizare*, *et contra divinas scripturas*, qui *sacerdotibus non licere* docent *contra inpios promulgare mortem*. Vid. et Theophanes ad a. 804. Qui porro refert, *haud paucos Paulicianorum fuisse capite propterea truncatos*. Narrant quoque Porphyrog. in *vita Michaelis*, et Cedrenus, missum fuisse a Theodora Inperatrice exercitum in Manichaeos, et horrendam in eos instituisse lanienam; sed eo eventu, ut reliqui ad Saracenos confugerint, quorum ope multiplicem vastationem regno Graecorum intulerunt. Ipse Nicolaus I. Papa in *responsis ad consulta Bulgarorum*, cap. 18. Potestates seculares opprimere debere abnegatores Christi, et desertores baptismi, adserit, et exemplo Nebucadnezaris Dan. III. confirmat. Attamen infidelibus nullam vult cap. 41. adhiberi violentiam, ut ad fidem compellantur, cum *ultronea* tantum obsequia Deo placeant. Denique,

nique, quod notandum, *torturas*, ad confessionem extorquendam, contradicit cap. 86. Rectius longe Theodorus Studita l. II. ep. 155. damnat, et multis refutat, haereticorum caedem. Ipse Papa Johannes IX. in fin. seculi, se a propagatione euangelii violenta professus est alienum in epist. aliqua ad Harveum Rhemensem: modo genuinae sint Epistolae ipsi adtributae. Exilia vero, carceres, aliaeque vexationes, ubique jam obtinebant. Quae Godeschalkus fuit passus, in ejus historia narravi. Jacta itaque inter Graecos et Latinos jam sunt Antichristianismi fundamenta, vel initia.

§. CCCCXLII. Alienum quoque ab hoc loco non est notasse, superstitiosum modum purgandi et probandi reos vel innocentes per *Judicium Dei*, ut adpellabatur, magis magisque invaluisse. Instituta autem variis modis fuit probatio. 1. per *aquam* frigidam, in quam, sumto corpore Domini, et post solennem adjurationem, aliquis conjiciebatur, qui si ab aqua reciperetur, et mergeretur, habebatur *insons*, si contra, *reus*. Quam probationem, jam antea usitatam, teste Gregorio Turonense, renovavit et approbavit Eugenius II. Papa, ut liquet ex ritu probationis per aquam frigidam ab Eugenio instituto, in Analect. Vet. Mabillonii p. 162., ubi ille ritus omnibus praecipitur. Esse autem hoc monumentum genuinum, quod negat Natalis Alex., dubium non est, ut recte advertit Pagi in Breviario in Eugenio II. Vetuit quidem mox post Papae mortem illud judicium Ludovicus Pius, teste capitulari a. 829., sed in usu mansit, imo variis argumentis probatum ab Hincmaro Rhem. epist. 39. Illustre etiam profert exemplum Baluzius ad Agobard. *contra judicium Dei.* 2. Per aquam *ferventem*: qua probatione usa est Teutberga, Lotharii uxor, per procuratorem, ut supra narravi, et ipse Godschalkus sese aquae, et olei ferventis, judicio obtulit, ut in ejus historia narravi. 3. Per *corpus* et *sanguinem* Domini, quo si quis sine malo suo uteretur, insons habebatur, alias periturus cum Juda, proditore Domini. Quod judicium adprobatum est in

concilio

concilio Wormatienſe a. 868., ubi etiam formula exhibetur quae habet, *corpus Domini ſit tibi hodie in probationem;* injunctum etiam eſt Gerfredo Monacho, qui necis Epiſcopi per venenum reus agebatur, per ipſam Synodum Cabillonenſem a. 894. 4. Per *crucem*, hoc modo. Miſſae tempore duo homines, ad id conducti, ſtabant ad crucem brachiis expanſis: qui prior laſſus ea demittebat, ejus cauſa judicabatur victa. Mentio ejus jam eſt tempore Caroli M., in conventu ab ipſo habito a. 775., in villa Duria in Saxonia. Exſtat quoque apud Du Cange in Gloſſario, ad vocem *Crux*, exemplum ex quodam Chronico ad a. 798. Alios modos, ut *duellum* etc., mitto. Plura qui hac de re velit, adeat Martene de *antiquis Eccleſiae ritibus* l. III. et Le Brun *hiſt. Crit. rituum ſuperſt.* Legi etiam meretur H. Bangertus ad Helmoldi Chron. Slavorum l. I. c. 83. et in ſpecie de *duello* ad Arnoldum hiſt. Slav. l. II. c. 24., denique, ne plures citem, Juretus ad Ivon. Carnotenſ. epiſt. 74., ubi etiam formulam conſecrandae aquae frigidae et calidae exhibet. Ceterum non defuerunt hoc ſeculo, qui haec probationum genera inprobarunt et refutarunt, inter quos celebris eſt Agobardus; cujus ſupereſt tractatus *contra judicium Dei* oper. tom. I.

SYNODI.

§. CCCCXLIII. Synodi ſic dictae Oecumenicae *tres* ſunt celebratae, omnes in cauſa Photiana, quarum hiſtoria ſtrictim eſt tradenda, *Prima* fuit a Michaele Inperatore a. 861. convocata, ut factioſi Ignatii, Patriarchae CPolitani depoſiti, patroni, ac Photii, ei ſuffecti, hoſtes reprimerentur. Interfuerunt Epiſcopi 318., cum Legatis Nicolai I. Papae, Rodoalto Portuenſi, et Zacharia Sinagnino. Acta ſunt omnia ad nutum Inperatoris, qui primas in Synodo tenuit, et Photii. Ignatius praeſens ſiſtitur, deponitur, et veſtibus Patriarchalibus exuitur, et Photius in ſede confirmatur: praeterea Iconoclaſtae ſunt condemnati, et ſeptendecim ca-

nones, ad disciplinam pertinentes, conditi, qui *Nomo-canoni* Photii sunt inserti, et cum Zonarae ac Balsamonis commentariis comparent in Pandectis Beveregii, tom. I. Dicta et habita est a multis Graecorum *Oecumenica* Synodus, adpellatur quoque *prima* et *secunda*, quia, Synodo per factiones interrupta, bis in unum debuerunt coire, ut Zonar. et Balsam. referunt. Acta vero Synodi, per Ignatianos, et Romanos Pontifices, abolita, perierunt, sed summatim exhibentur a Niceta in vita Ignatii, infensissimo Photii hoste, qui ea invidiose, et in summam Synodi ac Photii contumeliam, refert: nec fidem meretur per omnia. Quare historia ex hoc autore, similibusque aliis, ut Styliano, Metrophane, Anastasio, aliis, confecta, pro vera in omnibus haberi nequit. Illud etiam constat, Legatos Papae in depositionem Ignatii consensisse, sed promissis et minis compulsos, si Nicolao, qui Photio hoc epist. VI. exprobravit, credendum sit. Ignatius denique narratur adpellasse ad judicium Papae, *tanquam Praesidis, ut vocant, et Patriarchae omnium sedium, et Principis Apostolorum successoris, ac Universalis Papae.*

§. CCCCXLIV. Scena dein mutata, et Basilio in Photium male adfecto, congregata est *secunda* Synodus CPolitana, a Latinis, et Latinae factionis Graecis, pro Oecumenica VIII. agnita, a. 869. Cujus acta Graece et Latine exstant, in decem actiones distincta, in Tomis Conciliorum, et ab Anastasio, qui duabus ultimis actionibus praesens adfuit, Latine versa, sed multo auctiora. Quibuscum alia sunt conferenda monumenta, eo facientia, quae actis adjungi solent, ut *vita et encomia* Ignatii, a Niceta, et aliis, *Epistola encyclica* Synodi de rebus in ea gestis, *breviarium* Synodi VIII., Nicolai, Stephani, et aliorum Epistolae etc. Ex recentioribus, praeter alios satis notos, legi meretur Creygton de *Actis Synodi.* Nobis summa perstrinxisse capita suffecerit. 1. Quamvis Hadrianus in Epist. ad Basilium, act. I. inserta, dicat, se *velle*, ut per Inperatorem convoce-

tur

tur Synodus, Anastasius quoque in praefat. Synodi VIII. ad Hadrianum scribat, eum *jussisse Synodum fieri*: ipse tamen Basilius, ipsa Synodus, et alii, testantur, eam *jussu* et *autoritate* Inperatoris esse coactam, ut demonstrat Launoius l. VI. epist. 8. Quare illud *velle* Hadriani, vel est nimis superbe et jactanter dictum, vel de *petitione* et consensu tantum capiendum. 2. Membra Synodi non fuerunt magno numero. Primae actioni, praeter Ignatium, Legatos Papae, et Patriarcharum Orientis, interfuerunt tantum duodecim Episcopi; dein, numero sensim crescente, adfuerunt 102., teste Niceta, licet 109 subscripserint, adnumeratis Ignatio, et Legatis memoratis. Cujus paucitatis duae fuerunt rationes, *una*, quod nemini per Legatos Papae fuerit ad Synodum aditus, nisi qui libello, a Papa Legatis dato, subscripserit, teste autore vitae Hadriani, *altera*, quod omnes a Photio ordinati Episcopi fuerint exclusi, ut refert Anastasius. Fuit itaque a membris Synodi Photius jam ante condemnatus, quam in unum venerint, adeoque Synodus ex solis hostibus ejus composita. Praesederunt vero Legati Papae, ut ex Actis patet. Inperator quidem nonnunquam adfuit, etiam praesidere dicitur, sed honoris causa, et tanquam *defensor* Ecclesiae. Ipse enim in *adlocutione* sua omnem sibi et omnibus Laicis potestatem adimit de *rebus fidei* et *controversiis Ecclesiasticis disponendi*, quae solis competit Clericis.

§. CCCCXLV. 3. Cuncta hic acta sunt ex nutu Papae, et decreta secundum mandata, Legatis ab ipso data; uti in *vita* Hadriani habetur; nec, ut modo retuli, aliquis fuit admissus, nisi libello, quem Legati secum sumserant, subscripsisset. Romam fuisse hic dominatam, nonnulli etiam ostendunt canones, uti, quibus *conscriptiones contra Papam componere*, uti Photius fecerat, vetatur, imo ipsa Synodus universalis prohibetur *audacter sententiam dicere contra Papas*. Nec veriti fuerunt Francorum Annales, uti *continuator* Aimoini, et Analist. Bertinian., dicere, *in hac Synodo pro fa-*

vore Romani Pontificis contra Canones statuisse Graeculos. Ferre tamen debuit aula Romana canonem, quo adpellationes restringuntur ad Metropolitanos et Patriarchas, nulla Papae facta mentione, ut habet can. 26. Quanto vero Synodus flagraverit odio in Photium, ejusque socios, et ex eo omnia egerit, vel ex Anastasio et actis Synodi elucescit. Quo etiam facit subscriptionis modus, satis singularis; *calamis* scilicet, teste Niceta, *quod horrescas, ipso salvatoris sanguine tinctis.* 4. Quid vero *decem* actionibus sit peractum, enarrasse nihil adtinet. Illud in genere notetur, imaginum cultum religiosum fuisse stabilitum, et Episcoporum dignitatem ac autoritatem fuisse mirifice elevatam, supra quamcunque civilem. Can. 14. ex. gr. fert, *Qui divina gratia Episcopalem sortiuntur dignitatem, ordinem coelestis hierarchiae referunt in terris: quare merito sancimus, ut digno in honore tam a Principibus, quam a cleris omnibus, habeantur* etc. Can. porro 28. definit, *neminem laicorum, Principum, vel Potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchae, vel Metropolitae, vel cujuslibet Episcopi.* Photius, quod notasse suffecerit, vi in Synodum ductus, silentium tenuit, et Synodum, ac Romanorum Pontificum decreta, constanter recusavit, quare depositus est, anathemati et diris devotus, scripta ejus, et in favorem ejus, sunt flammis tradita. Conditi quoque sunt, pro more, aliqui canones Ecclesiastici, qui Graece exstant *quatuordecim*, sed ex versione Anastasii *viginti septem.* Ceterum haec Synodus a Latinis quidem Oecumenica habetur, sed a Graecis, non tantum Photianis, sed et postea communiter, fuit rejecta. Quid? quod ipsi illi, qui interfuerunt, poenitentia mox ducti sint, et fassi, *non bene fuisse actum, quod Ecclesiam CPolitanam tanta subjectione Romanae subdi Ecclesiae permiserint, ita ut hanc ei tanquam dominae ancillam tradiderint.* Suffurati quoque Legatis sunt chirographa, quibus libello Papali subscripserunt, ipso Inperatore jubente: a quo tamen obtinuit Anastasius, ut Legatis ea debuerint reddere. Vid. Anastasius in not. ad Synodum VIII.

§. CCCCXLVI.

§. CCCCXLVI. Secuta tandem est, decennio post, *tertia* Synodus CPolitana, ann. 879. celebrata, jussu ejusdem Basilii et Filiorum, quae Graecis est Oecumenica VIII. Cujus acta exstant quidem MSS., sed nondum publicata, praeter excerpta, a Johanne Becco Patriarcha CPol. confecta, in Pandectis Beveregii, p. II., quibus subjuncta est epistola Johannis VIII. Papae ad Photium, qua eum in communionem recipit, et additamentum symboli CPol. *Filioque* condemnat. Copiam actorum accepit Baluzius ex archivis Romae, et cum egregio Historiae Ecclesiasticae scriptore Fleury communicavit; qui ea recensuit in Hist. Eccles. tom. XI. lib. 53. Interfuerunt Synodo 380 Episcopi, et Legati Papae, ac reliquorum Orientis Patriarcharum, praeterea Inperatores Basilius et Filii. Praesedit Photius, quem, mortuo Ignatio, restituerat Basilius, Photio jam aequior, et Latinis infestior, qui in jura Ecclesiae Orientalis, in specie Ecclesias Bulgarorum, invadebant. *Causa* convocatae Synodi fuit confirmatio restitutionis Photii, quem, ut dixi, Basilius sedi reddiderat. Acta ejus, septem sessionibus absolutae, sunt. 1. Rescissio actorum Synodi Romanae sub Hadriano, et CPolitanae sub Ignatio contra Photium, ejusque restitutio: sed ita, ut gesta Photii contra Ecclesiam Romanam simul fuerint abrogata, adeoque utriusque orbis Ecclesiae reconciliatae sint. 2. Confirmatio Synodi Nicaenae II. pro cultu imaginum. 3. Tres sunt conditi canones, inter quos est, excommunicatos a Papa Romano pro talibus esse a Patriarcha CPol. habendos, et vice versa, salvis tamen privilegiis Ecclesiae Romanae. Qua ratione ligandi et solvendi potestas utriusque sedis quoque aequata est. 4. Denique, symbolum Nicaenum, quale est a Synodo CPolit. I. explicitum, et confirmatum, denuo hac in Synodo, sine ulla additione facienda, sancitum est, quod propter celebre illud additamentum *Filioque* factum est; licet non diserte additum, propter Legatos Romanos, qui aderant. Ceterum, quibus conditionibus Synodum passus

ſit celebrari Johannes VIII., et, cum illae non esset praeſtitae, qua ratione eam inprobaverit, narratum eſt in vita Johannis. Hinc eſt, quod a Latinis paſſim fuerit deinceps repudiata. Imo inter recentiores ſunt, qui totam Synodum proſcribunt, tanquam fictam et ſuppoſititiam; valde temerarie et abſurde, contra fidem hiſtoricam, et certiſſima Veterum teſtimonia. Baronius vero hiſtoriam Synodi ex actis Graecis Bibliothecae Vaticanae ac Columnenſis, a Metio Latine redditis, contexuit, et nonnulla fuiſſe falſata in actis oſtendere conatus eſt, in ſpecie quoque Epiſtolam Johannis Papae a Photio eſſe interpolatam ac falſatam arguit ex exemplaribus in Johannis Regiſtro conſervatis: ſed quid veri falſive ſit, ex comparatione actorum apud Graecos et Latinos eſt judicandum: cui rei non inmoror.

§. CCCCXLVII. Variae quidem aliae, praeter memoratas Oecumenicas, habitae ſunt Synodi, praecipue in Occidente, ſive in cauſa controverſiarum vigentium, ut de praedeſtinatione, et capitibus annexis, de cultu imaginum, aliiſque, ſive ad corruptam diſciplinam inſtaurandam, et peſſimos Clericorum, Canonicorum et ſanctimonialium, mores emendandos, vel formam eorum inſtitutioni dandam, inter quas eminet Aquiſgranenſis a. 816., juſſu Ludovici Pii congregata, quae luculenta continet ex Synodis antiquis et Patribus excerpta. Notabile etiam eſt concilium Triburienſe prope Moguntiam a. 895., ad mores Clericorum et Laicorum reformandos; unde multa ſumſit Gratianus. Inter canones ejus animadverſione, praeter alios, dignus eſt 16tus, qui ita habet, *Interdictum ſit omnibus Chriſtianis, terram mortuis vendere, et debitam ſepulturam denegare; niſi forte proximi et amici defuncti, propter nomen Domini, et redemtionem animae viri, gratis aliquid donare velint.* Quod jam antea a Gregorio M., et Synodo Meldenſi ſtatutum a Reginone de *Eccleſ. diſciplinis* lib. I. §. 122— repetitur. En originem eleemoſynarum cauſa ſepulturae! ſive cauſa litium de juriſdictione inter Patriarchas, Metropolitanos, Epiſco-

pos

nos et Abbates, Papas quoque et Inperatores: sed cum de illis actum sit suis locis, quantum nostrum fert institutum; pergere licet ad *quartam* Ecclesiae partem essentialem, seu id

VITAM ET MORES.

Ubi vita *monastica* primo loco in censum venit, de qua nonnullis defungar observatis. 1. Regula Benedicti magis magisque, sicut seculo superiore, de quo ibi egi, ita et hoc per Occidentem est propagata, vel potius instaurata, ut docuit Mabillon. l. cit. Fecit illud in Regno Francorum praecipue Benedictus Anianensis, cunctis coenobiis per Franciam praefectus. Vid. Ardo in ejus vita, et epist. Indanorum Monachorum ad ipsum, apud Natal. Alex. cap. V. Ipsum vero non instituisse, sed renovasse, et instaurasse, regulam Benedicti, multis disputat Mabillon. praef. ad *acta* Benedictin. sec. IV. p. I. Ubi etiam demonstrat, regulam illam jam sec. VII. in Gallia fuisse ubique receptam. Exstat etiam ejus vita in Actis Benedictin. Mabillon. sec. IV. p. I., ubi et alia ad ipsum pertinentia reperiuntur. Sed, quod notari meretur, habuerunt quoque, praeter hanc regulam, proprias consuetudines, et statuta, coenobia multa: teste Ardone Anianensi in ejus vita. Condidit quoque Corbeiensis statuta Adalardus Abbas, in spicilegio Dacheriano, nec non Cluniacensis Bernardus, monachus ejus, quae sec. XI. collegit Udalricus, ibid. 2. Inter nova monasteria hujus seculi insigne est illud novae *Corbeiae* in Saxonia ad Visurgin fluvium, in episcopatu Paderbornensi, a 822., cui hoc tempore praefectus fuit Baduradus, qui nomen *novae Corbeiae* indidit. Conditum est, consilio Adalhardi, sed sumtibus Ludovici Pii. Vid., praeter chron. Saxonicum, autor libelli de *Origine Corbeiae novae*, apud Mabillon. sec. IV. Benedictin. p. I. Fuit hic per aliquot secula primaria Saxonum schola, indeque multi prodierunt viri praeclari. Celeberri-

celeberrimum porro fuit charitate et eleemosynis ad pauperes et aegros sublevandos. Vid. Adalardi hac de re constitutio apud Dacherium in not. ad Guibertum de vita *sua* l. I.

§. CCCCXLVIII. 3. Nata est hoc seculo controversia de oblatione puerorum, a Parentibus facta secundum regulam Benedicti, sitne ea *irrevocabilis*, cum puer ad aetatem venerit adultam? cujus occasionem praebuit canon 22*dus* concilii Moguntin. III. a. 813., dum nonnulli eam revocari posse contendebant, quando *irrevocabilitas* denuo est sancita, ut ex canonibus concilii Aquisgranensis a. 817., et Wormatiensis a. 868., constat. Scripsit quoque Rabanus contra eos, qui *oblationem contra regulam Benedicti* destruere vellent. Varias vero hujus oblationis formulas exhibet Mabillon. Analect. Vet. p. 158., et ex statutis Cluniacensium Dacherius not. ad Guibertum *de vita sua* lib. I. Ceterum puerorum oblatio fuit ab Orientalibus translata ad Occidentales; instituit eam Basilius M. sec. IV. in *regulis fusioribus*, sed revocabilem reliquit. Benedictus vero, qui eam adsumsit, voluit esse *irrevocabilem*; a quo tempore mos ille sensim invaluit, quem hoc sec. stabilivit quoque concilium Wormatiense, tempore Ludovici II. Sed, cum hinc multa in monasteria irreperent mala, mos pueros offerendi sec. XI. et XII. penitus in desuetudinem venit. Vid. Mabillon. in Anal. l. cit. Addatur, Nicolaum I. Papam in *responsis ad consulta Bulgarorum* cap. 87. nolle, ut quis invitus ad vitam compellatur monasticam. Inter Herardi Turonensis capitula occurrit 27. *quod non liceat mulieri velum aut sponte, aut coacte, semel susceptum, quacunque ratione rejicere, licet in domibus propriis vestes mutarint.* 4. Confluxu ad monasteria nimio facto, cumque alii se eo conferebant, ut a publicis functionibus immunes essent, alii per Abbatum avaritiam eo compellebantur, Carolus M., lege lata, voluit, ut nemo sine sua licentia id faceret, lib. I. capit. 114., quae lex postea est abrogata, teste Hincmaro in epist. ad Carolum Calvum,

qui

qui a. 864. in edicto Pistensi cap. 28. prohibuit, ne clero aut monasteriis nomen darent, qui publica pendebant vectigalia, nisi suo permissu. 5. Concessa quoque sunt vel confirmata multis monasteriis privilegia, et inmunitates, respectu electionis Abbatum, et administrationis bonorum, uti ex. gr. S. Carilefi, alias S. Calais, in episcopatu Cenomanensi a Nicolao I., Corbeiensi, ad Paschasii Radberti petitionem, a Synodo Parisiens. a. 846., quod etiam Episcoporum jurisdictioni penitus est subtractum. Notabile est privilegium, cum terrarum et bonorum donatione, a Carolo M. et Leone III. inductum a. 805. Abbatiae *trium fontium* ad *aquas salvias*, in signum grati animi pro victoria, ope Anastasii martyris, cui dicatum erat, inpetrata: apud Ughellum Italiae S. tom. I.

§. CCCCXLIX. Denique, cum ingens hoc tempore corruptio multa infecisset monasteria, Reges et Inperatores omnem iis reformandis inpenderunt operam, sive coactis comitiis, sive legibus promulgatis, sive missis eo dicatis. *Missi* autem *Dominici* erant Episcopi, vel Abbates, nec non Duces, aut Comites, vel seculares Magistratus: quorum frequens est in Capitularibus Regum Francorum mentio. Vid. P. Marca conc. sac. et Inper. l. IV. c. 7. Sic ex. gr. Benedictum Anianensem omnibus regni sui coenobiis ad hoc opus praefecit Ludovicus Pius, eumque in finem generalem Abbatum Franciae conventum congregavit a. 817., in quo 80 capitula de *reformatione* Monachorum sunt cusa. Vid. Leo Ostiens. in Chron. Cassinens. l. I. c. 16. Unde originem traxit *capitulorum generalium* usus, qui sec. XII. vulgatior est factus. Apud Casinates *mos erat*, inquit Leo Ostiensis l. cit. c. 32., *ut pridie Kal. Septembris conventus ad hunc locum fieret, una cum Praepositis suis universorum hujus coenobii in circuitu Monachorum* etc. Procuravit quoque *Sandionysiani* monasterii reformationem in agro Parisiensi. Ceterum Synodus Aquisgran. a. 826., testatur cap. 12. de monasteriis puellarum, ea quibusdam in locis *lupanaria* potius

videri esse quam monasteria, Concilium quoque Vernense II. a. 844. in monasteriis alios *studio*, alios *desidia*, alios necessitate victus et vestimenti, a sua professione deviasse. Legenda in primis sunt capitula Regum Francorum, quae prolixum contexunt vitiorum catalogum. De Monachorum et sacerdotum corruptione, vid. quoque Walafridus Strabus in carmine de visionibus Wettini, Abbatis Augiensis, in Antiq. Lect. Canisii t. II. p. II., et libellus ab Hettone ex Abbate Augiens. de *visione* et obitu Wettini conscriptus, in Actis Benedictin. Mabillon. sec. IV. p. I. Ceterum de disciplinae regularis in Ordine Benedicti collapsae causis, nimia Abbatum vel severitate, vel indulgentia, nimia aedificiorum magnificentia, nimia habendi cupiditate secularium, etiam rapacitate etc., denique de remediis his malis adhibitis, prolixe egit Mabillon. praefat. ad Acta Benedictin. sec. IV. p. I. Autor quoque vitae *Conwoionis*, Abbatis Rotonens. in Armorica ibid. p. II. p. 220. Simoniacam labem per totam illam Britanniam grassatam fuisse adserit, ita ut a minimo ad maximum omnes avaritiam sectati sint. Denique nec melior fuit in Oriente monachorum conditio, omnium fere malorum autorum. Vid. Fr. Spanhemius hist. Imag. c. 8. Ceterum introductum est hoc sec. in initio sublimius vitae monasticae studium inter Orientales, quo angelicam vitam imitari censebantur, dicti μεγαλοσχήμοι, et ἀγγελικοῦ σχήματος; cui statui vestes religiosae, ut cucullus et scapulare, factae sunt propriae. Vid. Goar ad Euchology. Gr. p. 417.

§. CCCCL. Nec per sola monasteria, verum per Clericos et Laicos, eadem pervasit corruptio; ut ex iisdem capitularibus et canonibus facile patescit. Vid. etiam Herardi Turonensis praef. ad capitula a se collecta, a. 858. apud Baluzium capit. Francorum tom. I. p. 1283., nec non canon II. concilii apud S. Macram a. 881., ac conventus Pistensis ad Sequanam a. 862., ut et Theganus de gestis Ludovici Pii §. 20., ubi pessimum taxat morem, homines *vilissimos et*

serviles

servilis conditionis evehendi ad Episcopatus, indeque multa oriri mala observat, sicut etiam Agobardus de *privilegio et jure sacerdot.* Oper. t. I. foeditatem sui temporis deplorat, in primis memorat sacerdotes domesticos, tanquam multiplicis licentiae et pravitatis causas. De Episcoporum et Clericorum superbia, avaritia, et luxuria, ut et imperitia, vid. etiam Sangallensis, forte Notkerus, de gestis Caroli M. in Antiq. Lect. Canisii tom. II. p. III., nec non Paschasius Radbertus in comment. ad *Threnos Jeremiae*, ubi in specie deplorat Simoniam, avaritiam sacerdotum, rerum temporalium studium, usurpationem bonorum Ecclesiasticorum, et pauperum oppressionem. Studium rerum secularium, missis officiis religiosis, in specie taxavit in Ecclesiasticis Rabanus Maurus in epist. ad Hammonem Episcopum, praemissa libris de *Universo*: ubi dicit, *nam multi, proh dolor! inveniuntur hujus temporis* Ecclesiastici, *qui, relicto praedicandi officio, et spirituali conversatione, in eo se magnos aestimant, si terrenis negotiis praeponantur, et disceptationibus secularium saepe intersint, ita ut in eorum conventibus quasi arbitri praesideant, et eorum conflictuum judices fiant.* Saepe et varias effudit de corruptione sui temporis querelas Hincmarus: ex. gr. in Epist. ad Humbertum: *nam, quod sine dolore et gemitu dicere non possum, vigor Ecclesiasticae disciplinae aliquantis locis his temporibus ita mollescit, ut parricidium committere plurimi non vereantur, adulteria, et incestus, inpune fiant, perjuria quaeque, furta, et homicidia, pro nihilo ducantur. Nemo tales corripit, nemo excommunicat. — — — sed boni malique, justi et inpii, indifferenter Ecclesiam intrant, mixtim in convivio decumbunt: ubi epulis ac ebrietati lusibusque, atque omnibus jocis, aequaliter deserviunt.* Vid. etiam ejus epist. ad Tornacensem Ecclesiam, quae in *Catalogo* testium Veritatis quoque recensetur. Anonymus, qui nonnulla Veterum dicta collegit, ad cultum et benedictionem Dei in Ecclesia pertinentia, in Antiq. Lect. Canisii tom. II. p. II. taxat, inter alia, in *dedicatione* Episcopo Ratisbonensi, corruptionem

in ipſo cultu religioſo reſpectu neglectus et irreverentiae. Quod ipſum in populo Romano reprehendit Papa Stephanus VI. apud G. Bibliothecarium, in vita ejus, tribuens ei *inſolentiam, et caecitatem cordis ſui, vaniloquis et nefariis fabulis, et otioſis ſermonibus, vacantis in Eccleſia;* addit etiam, inveniri in urbe Roma quoſdam maleficiis et incantationibus utentes, qui non ſolum non *inpetuntur, ſed et foventur.* Qua occaſione, populum in miſſae celebratione adlocutus, tradit, quid in Eccleſia ſit agendum, *orare* ſcilicet, *Pſallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis, et mentis gemitibus, delicta abluere, et fiducialiter veniam de commiſſis culpis inplorare.* Addit, *eſt quippe ibi*, in Eccleſia, *ſpecialiter reſpectus divinus, adſiſtunt ibi Angelici ordinis pro populo deprecantes, qui preces noſtras ad aures perferunt Domino Sabaoth.* Legi etiam meretur homilia Rabani Mauri, in *Dominicis diebus* Oper. tom. V. Addatur denique Luitperti, Epiſcopi Moguntini, epiſt. ad Ludovicum, in Lection. Memoral. Woifii centur. IX., nec non concilium Pariſienſe VI. a. 829. in collectione Harduini tom. IV., ac Epiſtola Synodi II. Fuldenſis a. 854. ad Brittones, propter varia ſcelera excommunicatos, ibid. tom. V. Praeter haec teſtimonia corruptionem ſeculi arguunt acerrimae lites in Oriente et Occidente opinionum cauſa, et imaginum, ac jurisdictionis. Addatur levitas, et partium ſtudium, in decretis cudendis ac reſcindendis, multiplexque vexatio mutua; ut ex. gr. in cauſa Photii, Formoſi Papae, Godſchalki, et aliorum. Denique, ne plura congeram, tempore Lotharii, et inteſtini belli ejus cum Fratribus, quantopere omnia fuerint confuſa et collapſa, patet ex Canonibus Synodi Vernenſis in Oper. Lupi ed. Baluz. p. 195.

PARTES ACCIDENTALES.

HAERESES ET SCHISMATA.

§. CCCCLI. Multae licet fuerint in Oriente et Occidente

te controversiae, suis locis narratae, haeresin tamen non pepererunt, nec novae, sic dictae, Haereses hoc seculo leguntur exortae. Persequar itaque Nestorianorum ac Eutychianorum historiam, quantum fert institutum nostrum. Timotheo in sede Patriarchali apud Nestorianos successit *Josue Bar-Nun*, ab a. 820. ad 824. acerrimus Timothei, et ante Patriarchatum, et postea, adversarius, quem et dictis et factis inpugnavit, animo tamen sub vitae finem mutato; ut narrat Amram. Causa contentionis fuit quaestio, sub Timotheo nata, de *visione Dei*, ut Barhebraeus refert. Erant enim, qui docebant, *divinitatem Christi ab ejus humanitate videri*: quam opinionem, Synodo coacta, damnavit Timotheus, qui praeterea adfirmavit, animas, corporibus solutas, omni carere sensu, usque ad resurrectionem. Misso Georgio, adtingendus est *Sabar-Jesu*, qui, etsi sublimioribus scientiis destitutus, in rebus Ecclesiasticis licet bene versatus, scholis tamen et studiis promovendis omnem inpendit operam, pecunias quoque suas in scholae, Ecclesiarum, et peregrinorum subsidium profudit. Erat enim studiorum et litterarum miserabilis hoc tempore conditio in Ecclesiis Syriacis, ita ut vix ullus reperiretur litteratus, teste ipso Sabar-Jesu, in *constitutione sua de scholis et studiorum methodo*, apud Asseman. Bibl. Orient. tom. III. p. 506. Compositus quoque ab eo est hymnorum per anni circuitum canendorum ordo. Sedit ab a. 832. ad a. 836.

§. CCCCLII. Misso Abrahamo Margensi, memorandus est *Theodosius*, qui sedit ab a. 852. ad a. 858. post tres alios electos, sed ob supervenientem infirmitatem non ordinatos, electus et ordinatus opera Bochtjesu, medici apud Calipham, non obstante factione contraria Jesudadi competitoris, teste Amramo apud Asseman. l. cit. Sedente vero Theodosio viguit quaedam Christianorum persecutio jussu Motuaceheli Caliphae, qua variae sunt vexatae Ecclesiae et monasteria destructa, ipse Catholicus carceri est mancipatus. Animum vero Caliphae irritarunt in Christianos

 ipsi

ipsi illi factiosi, odio flagrantes in Theodosium, et Bochtjesum, quem variis diffamarunt criminibus apud Calipham. Accessit calumnia Sergii, medici Ariani, qui Patriarcham conspirationis cum Inperatore Romanorum reddidit suspectum. Cum autem Calipha postularet, ut sese jurejurando purgaret Patriarcha, is hoc temere recusavit, illud sibi ex Christianorum lege nefas esse dictitans. Longe prudentius hac in re, et Christiano dignius, egit Sergius, Nisibensis Metropolita, qui Calipham variis modis delinivit, et Christianis reddidit faventiorem. Vid. Amram apud Asseman. l. cit. Ceterum, quod non erat silentio involvendum, sub Theodosio floruit *Johannes Malvaeus*, vulgo Mesve, in fervente gratia apud Mamonem Calipham, qui studia maxime promovit inter Arabes, cujusque hortatu Johannes libros Medicos et Philosophicos e linguis Graeca, Chaldaica, et Persica in Arabicam transtulit; quando opera Aristotelis sunt Arabice versa. Vid. Asseman. l. cit. p. 501.

§. CCCCLIII. *Sergius*, qui ab a. 861. sedit ad a. 872., celebritatem aliquam nactus est, cum quod disputationem, praesente Calipha, cum Sergio medico Ariano habuerit, in qua Sergius causa cecidit, abstraxit tamen Ecclesiam pro sectae suae hominibus in Bagdado, tum quod sub ipso floruerint duo medici Honainus et Israel, qui secum acriter contenderunt, ut Barhebraeus apud Asseman. Bibl. Or. tom. II. p. 438. narrat. Inter alia Israelem apud Calipham accusavit, quod idolum domi coleret, quia Israel imaginem Mariae colebat, sed, re ad Patriarcham delata, justificatus est Israel. Successit ipsi *Enos*, posteaquam supra tres annos de sede certasset cum Israele, Cascarae Episcopo: sedit ab a. 877. ad a. 884. Inde *Johannes* Narsetes, et post eum alius *Johannes*, usque ad a. 898., dignus Patriarchatu habitus, quod notatu dignum est, cum homiliam Gregorii, Theologi eximie dicti, de *Spiritu S.*, sine additione aut detractione recitasset. Hi omnes nihil memorabile, quod relatum est, gesserunt. Claudam itaque Nestorianorum historiam, post-

quam

quam verbo memoravero, viguisse hoc tempore inter eos singularem controversiam, quae aliquod schisma peperit, de *intuitiva essentiae Dei visione*, possibili creaturae, nec ne? Josue scilicet Bar-Nun sententiam renovavit Hanani Adeabeni, et Josephi Huzitae, qui a. 570. contra Messalianos, Deum oculis corporeis videri posse statuentes, defenderant, intuitivam naturae divinae visionem animabus patere. Quam sententiam a Josue renovatam condemnavit Timotheus Catholicus, ut supra narravi, Synodo coacta: quare ejus nomen e Diptychis Ecclesiae abradi jussit Josue, factus Catholicus, Nestorianis tamen Timotheo adhaerentibus.

§. CCCCLIV. Syrorum *Jacobitarum*, ut ad Eutychianos pergam, Patriarcha in initiis seculi fuit *Cyriacus*, ab a. 793., qui, Synodo coacta, verba liturgiae *panem coelestem frangimus*, quae superiore seculo lites moverant, ut ibi dixi, sublata voluit, sed, cum Episcopi resisterent, sapienter decretum est, ut quisque pro lubitu ea adhiberet, vel omitteret. Sed ne sic quidem praevenire potuit schisma *Abrahamiorum*, a Monachis Gubensibus, quibus se Cyrrhenses dein adjunxerunt, excitatum, causa electionis Alepinorum Episcopi, in locum Bacchi; voluerunt enim alium, ac quem ordinaverat Cyriacus: quare, secessione facta, proprium constituerunt Patriarcham *Abrahamum* quendam, de quo secta fuit denominata. Sed deinde schismati praetenderunt verba Liturgiae, quae Cyriacus censebatur condemnare, et ablata velle. Unde patescit, eos non fuisse haereticos, quod Renaudot. in hist. Alexandr. autumat, habitos, sed schismaticos, quorum schismati originem praebuit causa, ad regimen et disciplinam pertinens. Vid. Asseman. l. cit. tom. II. Fuit etiam ipsi contentio cum Monachis S. Matthaei, in quorum coenobio residebat Episcopus *Mosul*, seu novae Nineves, cui dignitatem Metropoliticam voluerunt Matthaeani concedi a Cyriaco, aeque ac Maphriano Orientis; quod, ut schisma vitetur, concessit Patriarcha, sed ea conditione, ut Maphriano Tagritensi subesset. Sedente Cyriaco, ope-

ram dedit *Julianistarum* Patriarcha, ut Julianistae cum Jacobitis, Severi sectatoribus, conjungerentur, hac conditione, ut nec Juliano diceretur anathema, nec Severi nomen praedicaretur, et, qui alteri esset superstes, utrique populo praeficeretur. Effectu res non caruisset, Cyriaco inclinato, nisi zelotae Episcopi repugnassent, qui Juliano Halicarnassaeo anathema diserte dici voluerunt.

§. CCCCLV. Successit *Dionysius*, Patriarcha electus, antequam ullo ordine sacro esset initiatus, a. 818. Bis in Aegyptum tetendit, priore vice, in gratiam Edessenorum Jacobitarum, quorum Ecclesiam Praeses Mahometanus destruxerat, posteriore vero, ut legatione Mamonis Caliphae fungeretur ad Christianos Byamitas, inferioris Aegypti regionis incolas, in Calipham rebelles, propter intoleranda tributa, ad obedientiam revocandos. Praeterea, licet a Calipha inpetraverit, ut Abrahamus, modo memoratus Antipatriarcha, cucullo et vestitu Patriarchali fuerit *exutus*, duravit nihilominus schisma Abrahamianorum. Denique Patriarchatum ejus celebrarunt duo scriptores Jacobitae, Theodosius, Dionysii frater, Edessae Episcopus, et Johannes, Darae Metropolita. Prior se versione operum Gregorii Nazianzeni celebrem reddidit. Exstat etiam Dionysii epistola Synodica Arabice de *fide* in *Trinitatem* et *Incarnationem*, ob haec verba, quibus sententiam de *naturis* et *voluntatibus* Christi expressit, notabilis: *habetque unam operationem et unam voluntatem, absque commistione, et absque confusione, aut divisione in duas naturas, vel in duas personas.* Adserit vero Christi esse *unam personam compositam*, et, *unam naturam incarnatam*. Vid. Asseman. l. cit. tom. II. p. 227.

§. CCCCLVI. Sub *Johanne* III., qui Dionysium ab a. 846. excepit, acris viguit inter eum et Maphrianum Tagritensem contentio, quae eousque processit, ut Maphrianus Episcopos, a Patriarcha constitutos, ejecerit, substitutis novis. Caussa dein ad Chalipham delata, cum damnatus esset

set Maphrianus, eique alius esset a Patriarcha suffectus, ipse, nisi morte fuisset praeventus, alium elegisset Patriarcham. Dein, Synodo convocata a. 868., pax restituta est, et canones ad Patriarcham et Maphrianum spectantes conditi sunt. Electo *Ignatio*, ejus successore ab a. 878., Sergius Orientis Maphrianus, quia non erat ad eam electionem vocatus, eum agnoscere recusavit: unde mox ortum est inter Orientales et Occidentales schisma, quod ad Maphriani mortem a. 883. duravit. Ipsum excepit *Theodosius* a. 887., sub quo viguit schisma *Hassassinitarum*, qui erant Arabes Jacobitae, una cum Gubensibus a Patriarchis propter quaestionem, modo memoratam, de verbis liturgiae *panem coelestem frangimus*, excommunicatis. Scripsit Theodosius quoque librum de Medicina, et epistolam Synodicam ad Michaelem, Patriarcham Alexandrinum. *Dionysius* II., successor ejus, ab a. 897., ad a. 899. maxime celebris est; quod sub eo floruerit *Moyses Barcepha*, qui etiam Severus dictus est, Episcopus Beth-zamen: de quo vid. Asseman. tom. II. p. 127. et Masius in praefat. ad tractatum ejus de *Paradiso*. Varia edidit scripta, inter quae, praeter commentaria in Vet. et Nov. Test., et de opere sex dierum, aliaque, est commentarius de Paradiso, a Masio Lat. versus et editus; haud uno nomine notabilis et lectu dignus. Exstat etiam in Bibl. M. Patrum tom. XVII. Vetus Testam. dicitur ex Hebraeo, et ex Graeco quoque textu in Syriacam linguam conversum esse: et hoc Mar-Abae tribuitur ab Hebid-Jesu in catalogo scriptorum. Vixit iste, qui ex Graeco vertit, sec. VI. Statuit porro, in Paradiso fuisse ante adventum Christi versatum Henochum et Eliam, post Christum vero omnium fidelium defunctorum animas in eo degere, usque ad ultimum judicium. Quae quoque est Graecorum recentiorum opinio. Ceterum, quod historiae Patriarcharum Syro-Jacobitarum subjungendum est, nomina sua, cum Patriarchae fierent, coeperunt mutare circa a. 800., teste Barsalibaeo in libro de Haeresibus,

ubi primus, qui id fecit, memoratur Ignatius. Vid. Assemann. tom. II. p. 123. et in Dissert. de Monophysitis.

§. CCCCLVIII. De Patriarchis Jacobitis *Alexandrinis* breviter absolvam. Initio seculi fuit *Marcus*, usque ad a. 819, qui *Barsanuphianos* haereticos, qui a tempore Petri Mongi abstinuerant a communione *Dioscorianorum*, Ecclesiae suae adjunxit, et Synodicam ad Cyriacum Antiochenum misit. Ejus quoque tempore rebelles quidam narrantur Alexandriam, aliasque urbes, expugnasse, caedes patrasse, et urbes flammis tradidisse, ita ut Patriarcha quinquennium extra urbem triverit. Missis intermediis *Cosmas* II. adtingendus est, qui ab a. 852. ad a. 858. sedit. Cujus tempore, teste Chronico Orientale, praecepit Chalipha, ne ullus Christianorum aut Judaeorum uteretur *vestimentis albis*, sed *aliis coloribus tinctis*. Successit ipsi *Sanutheus*, qui haereticos Julianistas, Gajanitas, Barsanuphianos, et Quarta-Decimanos, ex superiore tractatione notos, communioni suae adsociavit: a quo tempore omnes fere Eutychianorum, aliorumque haereticorum, sectae in unam Dioscorianorum, qui *Coptae* adpellantur, coaluerunt. Denique ultimus seculi *Michael* II. multas perpessus est aerumnas, et pecunia mulctatus, ab Ahmeto, adeo ut quartam partem Ecclesiarum Alexandriae vendere debuerit Judaeis, et Monachorum quoque vendiderit bona.

SCHISMA PHOTIANUM.

§. CCCCLVIII. Cum ejus historiam, quae, pro vario in Photium animo, varie admodum a Veteribus et Recentioribus narratur, tradiderim in vitis Photii, et Paparum, quibuscum ipsi res fuit, et in Synodorum historia, nec dicta repetere necesse sit, praecipua controversiae, quae Ecclesias eo tempore divisit, recensuisse capita suffecerit. Praeter causam ipsius Photii, quae animos praecipue exacerbavit, Graecos quoque in primis ad ea capita objicienda

da permovit, haec fuerunt praecipua, partim ex Photii epiſtolis ad Nicolaum I., et Patriarchas Orientis, partim ex Ratramni, et Aeneae Pariſienſis, libris contra Graecos, de quibus ſupra expoſui, et Hincmari epiſt. ad Odonem, Bellovacenſem Epiſcopum, inter *opuſcula* ejus Op. LI. petita. α. Proceſſio Spiritus S. ex *Patre*, an ex eo *Filioque*? et additamentum *Filioque* Symboli CPolitani. De quo fuſe in capite de *Doctrina* et *Fide* diſſerui. β. Rituum, legum, et conſuetudinum diſcrepantia, de qua, praeter autores citatos, vid. epiſt. 51. Hincmari ad Odonem, et Anaſtaſius in praef. Synodi VII. Refertur autem ea ad ſequentia capita. 1. Jejunium Sabbati, quod Latini obſervabant. 2. Nuptiae Presbyterorum, quas Latini damnabant. 3. Baptizatorum chriſmatio a *Presbyteris*, ipſis apud Latinos vetita. 4. Abſtinentia a carne per octo hebdomadas antepaſchales, et ab ovis et caſeo, per ſeptem eas hebdomadas, Latinis non uſitata. 5. Barbae raſio in Clericis, Latinis in uſu. 6. Diaconorum ordinatio in Epiſcopos, non ſuſcepto Presbyteratu, apud Latinos uſitata. 7. Chriſmatis confectio ex aqua fluminis apud Latinos. Denique 8. Agnus ſimul cum corpore et ſanguine Domini in altari ſolitus apud Latinos poni, benedici, et offerri. 9. Quibus recitatis ſubjungit Hincmarus, *et adhuc, quod gravius eſt et inſanius, a Miſſis noſtris, contra omnem regulam, et praeter omnem conſuetudinem, libellum fidei, ſi ab ipſis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam iſta capitula, quam ea tenentes, anathematizarent.* Addit, Photium ſe *Archiepiſcopum*, et *univerſalem Patriarcham adpellare*, et Inperatores legatos Apoſtolicae *ſedis cum epiſtolis veneratione, qua debuerant, recipere noluiſſe.*

§. CCCCLIX. γ. De regimine et juriſdictionis limitibus, tum dominatus Papalis reſpectu in Eccleſias Orientis, et ſedem CPolitanam, tum juriſdictionis in Eccleſias Bulgarorum. Cum ſeſe Patriarchis CPol., aeque ac reliquis, praeferrent Papae, ſibique in omnes orbis Eccleſias univerſa-

lem autoritatem ac primatum adrogarent. Constantinopolitani, licet subinde, ut causae suae inservirent, adulati fuerint Papis, passim tamen iis se opposuerunt, praecipue tempore Photii, adeo ut Romanis fuerint visi, CPolitanum Patriarcham praeferre velle ipsi Papae Romano. De qua vid. Ratramnus, et Aeneas Paris. l. cit., Hincmarus l. cit. Ad quae omnia tandem accessit gravissima contentio de Bulgaris, recenter ad Christianismum conversis, num Romanae, an CPolitanae, sedi subjiciendis? Bulgari, a Graecis licet Christiana religione accepta, Episcopos et Clericos a Latinis erant consecuti, qui ritus Latinos inter eos disseminarunt, eosque Romanae Ecclesiae subjecerunt. De quo mox in historia conversionis eorum. Hinc contentio orta cum Graecis, quibus illud aegre erat, mox post Synodum VIII. erupit, restituto Ignatio. Venerunt enim tunc Legati regis Bulgarorum Michaelis CPolin, legatos Papae, et Patriarcharum, ac Ignatium, ibi praesentes, consulturi, cui sedi debeant obsequium? Qua occasione res haec ventilata est, rationibus ab utraque productis parte: a Latinis quidem 1. Ecclesias illarum regionum, a Bulgaris occupatarum, antea sub Episcopo Thessalonicense, vicario sedis Romanae fuisse. 2. Bulgaros sese huic sedi sponte tradidisse, eam consulendo, et Episcopos petendo ab ea, ac admittendo. 3. Papam per triennium jam in eas Ecclesias exercuisse jurisdictionem. Sed Graeci urserunt, 1. Provincias illas esse regni Orientalis partes. 2. Graecos quoque ibi fuisse sacerdotes, sedi CPol. subjectos, ante Bulgarorum invasionem. 3. Bulgarorum denique Principem a Graecis fidem suscepisse, et baptismum. Exstant hic utriusque partis rationes apud Bibliothecarium in vita Hadriani, et Anastasium praef. Synodi VIII. Disputatum, his prolatis argumentis, hac de *causa* est mox post finitam Synodum VIII. in privato conventu, et, frustra obnitentibus Legatis Papae, decretum est, Ecclesias Bulgaricas pertinere ad sedem CPolitanam. Ejecti etiam postea sunt sacerdotes Latini

tini etc. De quo in historia Paparum et Synodorum egi, agam etiam mox in historia Bulgarorum conversionis.

PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. CCCCLX. Christianismi professionem adoptarunt hoc seculo, 1. Dani et Sueci, ope maxime Anscharii, et adjuvante Ludovico Pio. Tentaverat quidem *Danorum*, seu Nord-albingorum, conversionem Willebrordus, dein Heridagus Presbyter, sed exiguo successu, dein Ebbo, Archiepiscopus Rhemensis, a. 823., autoritate Paschalis Papae munitus, teste Flodoardo l. II., et Anschario in epist. ad Praesules regni Ludovici, paulo majore successu, sed rem perfecit *Anscharius*, ut Rembertus in *ejus vita* tradit. Exstat in adpendice *Originum Hamburgensium* Lambecii, una cum notis Lambecii: praeterea in Actis Benedictin. Mabillon. sec. IV. p. II. Vid. quoque Adamus Bremensis hist. Eccles. l. I., qui eum *vitae ac scientiae merito clarum* adpellat, *et omni Saxonum populo acceptum*. Inter alia praeclara de ipso refert autor vitae ejus, haud procul a fine, ipsum 1. *nonnunquam coelestibus revelationibus, sicut jam praefati sumus*, inquit, *licet multa omiserimus, illustratum fuisse, ita ut fere omnia, quae ei proventura erant, antea semper, sive per somnum, sive per intimam revelationem in mente, sive per excessum, ipsi cognita fuerint*, 2. dono miraculosarum sanationum fuisse praeditum: *quanti vero*, ait, *oratione illius, et unctione olei sacri, sanati sint, enumerare non possumus*, 3. inter martyres locum mereri, cum desiderii, et voti respectu, tum *quia*, quae ejus verba sunt, *quotidie semper lacrymas, vigilias, jejunia, carnis macerationem et desideriorum carnalium mortificationem in ara cordis Deo mactabat*. Profectus autem eo est a. 826. et operi per 38 annos incubuit. Fuit vero unus Monachorum, qui e Corbeia Vetere, seu Gallicana, migrarunt in Corbeiam novam, seu Saxonicam; unde lux euangelii populis septentrionalibus adfulsit. Cum apud Ingelheimi-

heimium conventus ageretur, a. 826., eo venit Herioldus, qui partem regni Danorum tenebat, cum uxore, et ingente Danorum multitudine, et in urbe Moguntina baptismum suscepit: qui, inde rediens in patriam, secum sumsit Anscharium, cui se comitem sponte dedit *Autbertus*, vir nobilis, et Valae Abbatis familiaris, qui duo Christianam religionem ibi propagarunt. Cum biennium et amplius ibi moratus esset Anscharius, teste Remberto, evocatus est ad Suecos, a. 829. *Sueci* enim, vel Suedi, hoc tempore *Sueones* adpellati, missa ad Ludovicum legatione, significarunt inter alia, multos esse inter Suecos, qui religione Christiana desiderabant inbui, nec Regem, ut id permittat, esse ab eo alienum: quare a. 830. eo missus est Anscharius, cui sese adjunxit *Nonnus*, seu Prior, *Vitmarus*. Qui ad regiam Suecorum Bircam adpulsi, a rege, dicto Bern, benigne excepti, Christianos non tantum, qui ibi erant, captivi eo abducti, confirmarunt, sed haud exiguo numero fecerunt novos, interque eos regis consiliarium Herigarium. Cum sex menses ibi esset moratus Anscharius, ordinatus est Archiepiscopus Hamburgensis a. 831., in conventu Aquisgran. a Ludovico, ut euangelii propagatio in partibus illis septentrionalibus facilius et felicius promoveretur. Subjecta autem huic sedi est universa Nordalbingorum Ecclesia, et consecratus est per Drogonem, Praesulem Metensem. Confirmavit mox Gregorius IV., misso etiam ei *pallio*, et ordinationem, in sede Archiepiscopali, et legationem ejus inter eas gentes, a. 831., ut probat Pagi ad *Baron.*, qui etiam gentes, ei subjectas, recenset. Cum vero hac ratione ad eas gentes continuo excurrere prohiberetur, datus ei est ab Ebone Rhemensi adjutor *Gautbertus*, consentiente Ludovico, qui ejus vice ibi functus est legatione, et Christianismum propagavit. Deinde a Rege Horico seniore licentiam Ecclesiam in ejus regno aedificandi nactus est: sicut factum est in portu regni, loco aptissimo, dicto *Scleaswich*, quo negotiatorum erat confluxus. Rege dein occiso

ciso a. 854. et Herico juniore electo, Principes quidem conati fuerunt Christianam religionem, tanquam omnium malorum causam, destruere, una cum Ecclesia ibi exstructa, sed inpediti sunt a Rege, Anschario et Christianis favente. Tradit vero Adamus Bremensis l. cit., Regem ab Anschario sic *placatum esse factum, ut Christianitatem ipse reciperet, suisque omnibus, ut Christiani fierent, per edictum mandaret; insuper in alio portu regni sui apud Ripam exstrueret Ecclesiam in Dania secundam.*

§. CCCCLXI. Locum cepit professio Christianismi inter gentes *Sclavonicas*, per Bohemiam, Moraviam, Poloniam, et contiguas terras dispersas, ope potissimum Constantini Philosophi, qui, paulo ante obitum, summo adnuente Pontifice, nomen *Cyrilli* adsumsit, teste autore prioris vitae Cyrilli et Methodii, nec non fratris germani ejus *Methodii.* Qui duo viri, sicut linguam Sclavonicam in sacrorum exercitio introduxerunt, ita in eam verterunt Scripturam S. Vid. Kohlius hist. *codicis S. Sclavonici*, c. 2., ubi probat, Cyrillum, et non Hieronymum sec. V. ejus versionis esse autorem, et plura de his viris profert. Profecti sunt eas in oras prima vice a. 857., fidemque Christianam in provincia Cazarorum plantarunt, ipso Sclavorum rege *Sphitopelek* baptizato: ut historia Sclavorum habet, a Deocleate presbytero composita, et autor vitae prioris Cyrilli et Methodii. Dein reduces CPolin, cum ad Bulgarorum conversionem haud parum contulissent a. 861., eo denuo missi sunt a Michaele Inperatore, a quo Moraviae Princeps Rastices, vel Rastilaus, petierat, ut aliqui, ad populum suum instruendum, mitterentur: a. 863., ut in priore eorum vita narratur. Manserunt tunc ibi quatuor annos et dimidium, et cum ipso Rege multos sacro tinxerunt lavacro in Moravia, et euangelium valde propagarunt, teste autore *posterioris* vitae ipsorum. Deinceps, cum a Nicolao Papa Romam evocati a. 867. eo venissent, ordinati sunt et consecrati ab Hadriano, mortuo Nicolao, Episcopi Mo-

raviae; ut *vitae* cit. referunt. In Moraviam reduces perrexerunt hoc in opere, sed, Rastice mortuo, cum successor et nepos ejus Swadopluk, seu Zuentibaldus, Christianos coepisset vexare, a Methodio excommunicatus est, et ad saniorem adductus mentem. Quando Methodius Roma, quo abierat, redux, post mortem Cyrilli, opus resumsit a. 880., teste autore vitae posterioris. Occasionem dein nactus est Regem Bohemiae convertendi, et semina fidei per Bohemiam spargendi sub finem vitae. Accidit, sicut narratur, ut Bohemorum Rex Woiswocus, a Zuentibaldo ad convivium admissus, sub mensa fuerit collocatus in perfidii ejus detestationem, quod Christianam nondum adoptasset religionem. Qua occasione arrepta, Methodius ei fidem persuasit, ipsi, quod satis singulare est, praedicendo, si eam amplecteretur, eum et successores omnibus Principibus et Regibus fore potentiores. Baptizatus ergo est cum triginta suis, et in regnum, cum Sacerdotibus secum sumtis, reversus, uxorem cum multis aliis quoque tingi fecit: a. 893. et 894. Vid., praeter autorem vitae posterioris, Cosmas Pragensis Decanus, qui a. 1086. historiam Bohemiae conscripsit, et Joh. Dubravius *hist. Bohemorum.*

§. CCCCLXII. Ad *Russos*, vel, ut hoc tempore sunt adpellati, Rhossos, pervenit quidem Christiana religio, postquam varias Inperii Orientalis provincias depopulati essent, insignes quoque progressus fecit a. 861. ut, praeter Nicetam et Prophyrogenn., testatur Photius in epist. ad Patriarchas Orientis; sed postea exstincta rursus inter eos videtur, cum seculo seq., quando conversi sunt, vix, praeter Helenam reginam, inventi fuerint Christiani. Sed et alii Russi, populi vicini, fidem quoque leguntur amplexi sub Basilio a. 876., teste Porphyrogenneta. Effecit scilicet Basilius, foedere cum illis inito, ut Archiepiscopum, ab Ignatio ordinatum, receperint, nec tamen nisi post miraculum ab Episcopo illo patratum. Erat, ut fertur, Scripturae S. in ignem conjectae, et sine laesione eductae. Vid. etiam Cedre-

-nus

nus in *Histor. compendio*, ubi de Basilio agit. Sed nec hi perseverarunt in fide, ut ad seculum seq. videbimus. Ceterum, hos Russos esse a superioribus diversos, recte advertit et probat Pagi ad Baron. a. 876.

§. CCCCLXIII. Illustrior denique fuit *Bulgarorum* conversio hoc sec. peracta. Bulgari, ex Scythia Asiatica in Thraciam, Moesiam, Daciam, et utrumque Illyricum, effusi, quorum regia erat *Achris*, olim Justiniana prima dicta, multisque bellis cum Graecis praeclari, prima Christianismi semina acceperunt sub Leone IV. Inperatore, a. 777., quando Princeps eorum Telerus, ad Inperatorem profugus, ducta uxore consobrina Irenes Inperatricis, creatus est Patricius et baptismum suscepit, teste Theophane ad ann. aer. Alex. 769. Postea, Adrianopoli a. 813. a Crummo, eorum Principe, expugnata, et Archiepiscopo Manuele, cum aliis Christianis, in Bulgariam abducto, religio Christiana majores ibi fecit progressus, ut refertur a Curopalata, et Porphyrogenneta in vita Basilii cap. 4. Sed ad breve admodum tempus. Exstirpata enim fere est Christiana professio per Crummi successorem Cutragonem, a quo ipse Archiepiscopus est martyrio coronatus, ut ibid. traditur. Deinceps, Theodora cum Michaele Filio regnante, cum soror Bogoris, Principis Bulgarorum, captiva apud Graecos, Christiana, facta, ad fratrem reversa, nihil non ageret, ut ipsum converteret, votorum tandem compos est facta, occasione grassantis pestilentiae et famis, una cum bello cum Graecis. Rex enim, ad incitas redactus, aures tandem praebuit sorori, et fidem professus est a. 861., ut demonstrat Pagi, et non 845., cui adligaverat Porphyrogenneta, qui illud narrat: eo enim tempore quidem Soror Bogoris laboravit in eo opere, sed sine successu. Rege ad Christianismi professionem adducto, et baptizato, totus populus, initio quidem resistens, et propterea rebellans, sed, cum Rex multos, signo crucis munitus, fudisset, ad saniorem mentem redactus, sacri quoque lavacro se tingi passus est a Photio,

 teste

teste ejus epist. ad Michaelem, Bulgariae Principem: illud enim nomen Bogoris tunc adoptavit a Michaele Graecorum. Vid. Nicetas, Simeon Logotheta, et Leo Grammaticus.


§. CCCCLXIV. Quinquennio post misit rex Bulgariae legatos ad Nicolaum Papam, ut ejus consilium peteret, quid ad Christianismum promovendum sibi sit agendum? Respondit Papa ad consulta non tantum, sed et Episcopos misit, qui fidem ibi praedicarent: a. 866. Venerunt quoque missi a Ludovico Germaniae Rege, ad quem legatos quoque direxerat Bulgarus, sed et mox discesserunt, cum a Papa missos ibi deprehenderent. Vid. Annal. Bertinian. et Fuldenses. De controversia hinc inter Graecos et Latinos orta, cum modo in historia schismatis egerim, notasse hic suffecerit, Bulgaros in Graecorum societatem concessisse, Graecos recepisse, ac Latinos expulisse, a. 870. De quo Hadrianus II. in epist. ad Ignatium Patriarcham, qui Bulgaris Archiepiscopum Theophylactum dederat, conquestus est. Porphyrog. in vita Basilii refert, gentem illam per continuas Basilii adhortationes, munifica officia et munera, permotam, ut admiserit Archiepiscopum; simul ab eo tempore conversionem fuisse firmatam et perfectam.

PERSECUTIONES.

§. CCCCLXV. Nulla hoc seculo memoratur persecutio, ab Infidelibus profecta, praeter illam a Mauris in *Hispania*, in primis Cordubae, ubi sedes inperii eorum erat, per decem annos; ut vulgo traditur: sed quae per ipsorum Christianorum nimium zelum, et pacti violationes, fuit suscitata, nec multorum occisorum memoria superest. *Plerosque fidelium, etiam sacerdotum*, hoc ipso tempore causam persecutionis inde repetiisse, et propterea inprudentes hosce zelotas, qui multum passi sunt, pro veris martyribus non esse habendos, statuisse, refert ipse Eulogius Cordubensis, martyr,

et

et ipſe, ac Archiepiſcopus Toletanus, qui hoc tempore vixit, et perſecutionem martyriumque illorum fuſe deſcripſit in *memoriali ſanctorum*, ſimul contra obtrectatores memoratos defendit, et eo in libro, et in *Apologetico Martyrum*, ei ſubjuncto, in Bibl. M. P. tom. XV. *Nullam violentiam praeſidialem fidem ſuam abnegare compuliſſe Chriſtianos, nec a cultu ſanctae piaeque religionis amoviſſe* adſerunt, apud Eulogium l. I., qui zelum martyrum inprobarunt, *ſed propria ſe voluntate diſcrimini offerentes, ob ſuperbiam ſuam — — — interemtos eſſe* etc., tanquam qui conviciis et maledictis Muhammedem, et ejus religionem, proſciderint. Chriſtiani vero in Hiſpania ſunt hac lege tolerati, ut Muhammedicae ſectae non detraherent. *Ecce lex publica pendet*, ut habet autor *indiculi luminoſi*, in *ſcholiis* ad Eulogium, *et legalia juſſa per omne regnum eorum diſcurrunt, ut, qui blaſphemaverit flagelletur, et qui percuſſerit occidatur.*



SECULUM DECIMUM.

SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CCCCLXVI. PRimum jure tenet inter Orientales scriptores locum Inperator *Constantinus* Porphyrogenneta, qui ab a. 912. sub tutoribus, vel cum matre Zoe, aut Romano socero; et ab a. 946. ad 959. solus praefuit, in omni scientiarum genere versatus, ac Litterarum quoque insignis instaurator: uti tradit, praeter Luitprandum l. III., Cedrenus, vel Curopalata, in *Compendio;* qui habet, scientias, arithmeticam, musicam, astronomiam, geometriam, et omnium principem philosophiam, quae longo jam tempore ob incuriam et inscitiam Inperatorum perierant, in lucem fuisse productas, constitutis peritis doctoribus, adeo ut brevi tempore, *barbarie profligata, respublica denuo litteris floruerit.* Sedentarias quoque et artificum artes, eodem referente, curae habuit, magnumque iis incrementum adtulit. Quod tamen haud diu duravit. Varia ejus exstant opera: uti, *vita Basilii* Inperatoris, etiam in *Symmictis* Leonis Allatii p. II., liber de *administrando Inperio*, liber *tacticus* de bello gerendo, porro de *thematibus* Inperii Orientalis et Occidentalis, seu provinciis, in quibus Legiones habebant praesidia. θεματα enim adpellantur *inposita praesidia*, quae sunt legiones militum: denique *collectanea*, seu excerpta historica, politica et moralia, quinquaginta tria, ex omnis aetatis probatissimis monumentis:

mentis: quorum titulorum duo tantum, nec integri, prostant, *de legationibus*, *et de virtute ac vitio*. Quorum haec a Peirescio communicata sunt cum Henr. Valesio, et ab hoc edita, cum aliis fragmentis; inde vulgo Peiresciana dicta excerpta. Est quoque ejus narratio de *Imagine Christi Edessena*, CPolin translata a. 944., edita a Combefisio in *fasciculo Originum et Antiquitatum* CPol. Alia mitto.

§. CCCCLXVII. Sub ipso, et Patre ejus Leone, floruit *Simeon*, opere de *vitis* sanctorum celebris, indeque dictus *Metaphrastes*, quia vitas illas adpellavit Metaphrases, propterea quod eas ex autoribus non descripserit, sed suo et liberiore stilo, additis multis, multis demtis, conscripserit, alioque induerit habitu; teste Psello in Metaphrastis encomio, apud Leonem Allatium de *Simeonum scriptis*: qui de ipso est videndus. Suscepit autem hunc laborem, ut vitae sanctorum fierent utiliores et ampliores, ac majore cum desiderio et fructu legerentur, ut ex eodem Psello patet. *Collectiones* itaque vitarum sanctorum ipsum non habent autorem, cum, licet hic illic quaedam ab aliis litteris consignata transumserit, vitas tamen non collegerit, sed ipse conscripserit. Sed negligi non debet, plures sanctorum vitas ipsi esse inscriptas, quae ab ipso non sunt profectae. Vitas ejus genuinas a spuriis adcurate distinxit Leo Allatius, qui 122 esse ipsius, sed 95 alios habere autores, censet; quas ex ipso recensuit Cave, et adcuratius Fabricius Bibl. Gr. t. VI., ubi alias etiam addidit, ordine alphabetico. Aloysius vero Lipomannus, Episcopus Veronensis, Graecas vitas, quas sub ejus nomine reperire potuit, Latine verti curavit; ex quibus multas in opus suum transtulit Surius, sed, quod merito in ipso reprehensum est, multis inmutatis. Ipse quoque Metaphrastes, si antiqua monumenta fidelius expressisset, majore usus judicio, nec proprio ingenio indulsisset, utiliorem longe operam praestitisset. Ceterum statim ac in vulgus hae vitae manarunt, avide sunt receptae, et per omnes Graecorum Ec-

clesias divulgatae, et vel sexcenties descriptae: sunt enim sec. XI. innumeri codices; teste Moutfalcon. Palaeogr. Gr. p. 275.

§. CCCCLXVIII. Fuit Metaphrastes non unus de plebe, aut vulgaris conditionis, sed et muneribus et gestis praeclarus. Functus utique est legatione ad Saracenos, quos excidium minitantes Thessalonicae, ab ipsis expugnatae, ab hoc proposito abstraxit a. 904., admotus quoque ad militarem operam in propulsandis hostibus: ut ex Psello non tantum, sed et Johanne Cameniata in libello de excidio Thessalonicae in *Symmictis* Allatii, autore aequali, patet. Fuit primum Secretarius Inperatoris, dein Patricius, et Proto-secretarius; et postremis vitae annis Magister et Logotheta; teste Leone Diacono in vita Johannis Tzitmiscis Inperatoris. Ceterum *Magister* titulus est praecipui in aula Inperatoris officii et dignitatis; magnus vero *Logotheta* est, quem Latini *Cancellarium* adpellant. Vitis sanctorum conscribendis manum admovit a. 913., ut ex vita Theoctistes, virginis Lesbiae, quae prima est omnium, teste Psello in officio Metaphrastis, constat, quam post mortem Leonis Philosophi exaravit, ut ipse testatur in illa vita. Illustravit autem sua probitate et eruditione integrum fere hoc seculum, tempore Johannis Tzemiscae a. 975. adhuc superstes, teste Leone Diacono l. cit. Plura de ipso suppeditat Leo Allatius l. cit.

§. CCCCLXIX. Paulo post Metaphrasten, quem citat, vixit *Hyppolitus* Thebanus, a Glyca in Annal. p. II. memoratus, autor Chronici, cujus exstat fragmentum in Antiq. Lection. Canisii tom. III., et apud Fabricium in editione operum Hippolyti antiquissimi Portuensis p. II. adpendicis: ubi etiam p. I. in adpendice comparet *indiculus* de 12 Apostolicis, et 70 Discipulis, qui Seniori Hippolyto adtribui solet, sed nostri videtur esse Hippolyti. Exstant et ibi alia ejus fragmenta. Plura de ipso legi possunt apud Fabricium. Est quoque hujus seculi *Josephus Genesius*, qui

vitas

vitas Inperatorum Byzantinorum, Leonis Armeni, et successorum, usque ad Basilium Macedonem inclusum, conscripsit, et novissime in lucem prodiit in ultimo tomo Corporis *Byzantini*. Refertur etiam ad hoc seculum *Nicon*, monachus, et Archimandrita Armenus, cognominatus μετανοεῖτε, quia, poenitentiam esse agendam, continuo inclamabat. Cujus vitam conscripsit Abbas Lacaedemonius sec. XII., quem Latine vertit Sirmondus, et saepe adhibuit Baronius ad hoc seculum. Missus narratur ad gentes convertendas, ipsosque Christianos ad meliorem vitam revocandos, eumque in finem varias Orientis regiones peragrasse, et Cretam a Saracenica purgasse superstitione. Superest exiguum quidem, sed non parvi momenti, scriptum ejus, de *inpia pessimorum Armenorum religione*, apud Beveregium in Pandectis ad canones Trullanos, et Coteleriun ad Constit. Apost. l. II. c. 24., ubi opiniones eorum Eutychianae, ritus Judaici, et alia, rencensentur. Denique in fine seculi vixisse censentur tres celebres illi Scripturae S. Commentatores, *Olympiodorus*, cujus exstat comment. in Ecclesiasten et Jobum, *Oecumenius*, fidelis Chrysostomi compilator, in Apostolorum Acta et Epistolas, et *Arethas* Caesareens. Archiepiscopus in Cappadocia, cujus est comment. in Apocalypsin, sed sunt incertae aetatis. Unus superest Orientalium *Eutychius*, Patriarcha Alexand., Melchitarum Episcopus, alias dictus Saidus, filius Batrick, seu *Batricides*. Condidit Annales Alexandrinos, Latine versos et publicatos a Pocockio. Integram vero de Marco Euangelista, et Ecclesiae Alexandrinae originibus ac moribus, edidit et notis illustravit Seldenus, ab Abrah. Echellensi saepe castigatus. Obiit a. 940., quousque annales perduxit. Vid. de Ipso Pocock et Seldenus. Sed Annales nec perite, nec ex fide dignis monumentis, saepe concinnatos esse, adeoque fidem per omnia non mereri, demonstravit Pearson Vindic. Ignat. p. I. c. 11.

§. CCCCLXX. Inter *Latinos* vix alii alicujus nominis noti

sunt, quam pauci historici, et vitarum sanctorum conditores: quorum praecipuos recensebo. In seculi initio adhuc superfuit *Regino*, primum Monachus, dein Abbas Prumiensis a. 892. Sed monachorum invidia et tumultu, forte quod nimium inpallesceret litteris, et rerum temporalium esset negligentior, ut conjicit Baluzius in not. ad opera ejus p. 525., pressus, cedere post quinquennium coactus fuit, ut ipse in Chron. a. 899. tradit. Scripsit duos Chronicorum libros, ad a. 908., ab Anonymo quodam ad Ottonem II., usque perductos: praeterea duos alios de *Ecclesiasticis disciplinis*, et *religione Christiana:* ex quibus multa ad superstitionem horum temporum, disciplinam Clericolem, et alia, pertinentia, peti possunt. Edidit Baluzius, et praefatione ac notis illustravit, addito quoque veterum actorum adpendice. Ceterum, quod notatu dignum est, usus potissimum est epistolis Paparum genuinis, primus in Occidente canonibus addidit sententias Patrum, et leges codicis Theodosiani, cum Capitularibus Caroli M., primus etiam canones et instituta Ecclesiastica sub distinctis rubricis collegit, in usum Ecclesiarum Germaniae, ubi haec collatio non exigua pollet autoritate. Boehmer. Jur.. Eccles. l. I. tit. II.

§. CCCCLXXI. Floruit circa idem tempus *Heriveus*, Archiepiscopus Rhemensis ab a. 900. ad 922., Cancellarius Caroli Simplicis. Successit in locum Fulconis, jussu Balduini II. Comitis Flandriae, ab ejus hominibus nequissime trucidati: quos homicidas mox excommunicavit. Quae excommunicatio, quam ex. Vet. Cod. eruit Duchesnius, dicitur facta *in nomine Domini et in virtute Spiritus S., nec non autoritate, Episcopis per B. Petrum, principem Apostolorum, divinitis collata.* Incubuit Ipse Normannorum conversioni, multumque ad eam contulit a. 905. Synodum quoque Trosleianam in agro Suessionico a. 909. celebravit, ubi in praefatione dicunt, quod notari meretur, *se partim infestatione paganorum, partim gravissimis regni perturbationibus* praepeditos,

tos, per aliquot annos non potuisse congregari. Collapsa autem disciplina in hac Synodo est instaurata, et Clericorum ac Monachorum mores sunt emendati, quindecim conditis capitulis; in quorum tertio insigne occurrit testimonium pro Capitularium Regum Francorum autoritate, quae *pedissequa* canonum adpellantur: qua phrasi significatur, *ea secundum* habere post canones locum, et eadem gaudere in Ecclesia autoritate. Vid. Baluzius in Praefat. ad Capitularia. Denique superest in Bibl. Patrum tom. XVII. Herivei epistola, capitular. 23. complexa, ad Witonem Archiepisc. Rotomagensem, de *modo poenitentiae* injungendae *non baptizatis et rebaptizatis*, ac postea more paganico, Ecclesias devastantibus.

§. CCCCLXXII. *Ratherius*, monachus Lobiensis, dein Episcopus Veronensis, ab Hugone Italiae rege constitutus a. 932., celebre nactus est nomen per varia fata, labores, et opera. Cum Arnoldo, Bajoariorum regi, in Italiam irrumpenti, faveret, de sede pulsus est ab Hugone, et Papiae in carcerem detrusus a. 934. Qua de vexatione exstat ejus epist. ad Johann. XII. Papam. Vid. etiam Sigebertus in Chron., et Luitprandus hist. l. IV. c. 14. Deinceps per Brunonem, Coloniensem Praesulem, ordinatus Episcopus Leodiensis a. 954., indeque expulsus, et in Italiam redux, redditus est sedi Veronensi a. 957. Sed et hic a Clero suo male tractatus, ut in libello de sua *discordia*, et in *itinerario* suo Romano, testatur, tandem in monasterium suum Lobiense reversus est, et defunctus a. 974. apud Namurcum, ubi cum Comite forte morabatur. Vir fuit omni scientiarum genere clarus, virtutis studiosus, simul disciplinae Ecclesiasticae vindex acerrimus. Vid. monitum, operibus ejus praemissum, in Spicilegio Dacheriano tom. I. Varia edidit scripta, a Dacherio magnam partem publicata, uti, praeter *Epistolas et sermones*, libros duos de *contemtu canonum*, ubi vitia Clericorum, praecipue Italiae, in lucem profert, dein librum *apologeticum* de discordia inter ipsum et Clerum ejus, *itinerarium Romanum* etc. Inter epistolas ejus notabilis est

ut refert Aimonius in vita Abbonis. Cujus tumultus cum accusaretur Abbo, is, scripto apologetico ad Hugonem et Robertum, Francorum reges, sese purgavit, simul inmunitates coenobii sui adseruit. Exstat ad calcem *codicis canonum* Ecclesiae Romanae Pithoei. Romam bis adiit, priore vice a. 995., ad privilegia sui monasterii amplificanda per Johannem XV. Papam. De quo superest epistola ejus ad Leonem Abbatem S. Bonifacii, in Miscell. Baluzii tom. I. ubi male ad Abbatem Fuldensem legitur data. In qua epistola inter alia dicit, Johannem Papam fuisse ea sede indignum, turpis lucri cupidum, et in omnibus actionibus venalem. Altera vice Romam petiit a. 998., propter Arnulphum. Rhemens. Archiepiscopum, injuste depositum, ut Papae Gregorii patrocinium inpetraret, eo cum effectu, ut Arnulphus fuerit restitutus. Vid. Aimonius in ejus vita. Denique ad Vascones profectus, ut monasteriorum res ordinaret, interfectus est ab illis, suscitato tumultu a. 1004. et inter Martyres relatus. De quo exstat epistola Monachorum Floriacensium in Miscellan. Baluzii tom I. Reliquit, praeter epistolas, et alia opuscula, epitomen *de vitis Pontificum*, ex Anastasio a Musaeo editam, nec non *collectionem canonum* in Analectis Mabillonii; unde inter alia patet, quo in statu tunc fuerit Resp. Francica. Notatu etiam dignum est, ipsum eo in opere nihil ex suppositiciis Paparum epistolis, licet jam tunc coeca religione admissis, adduxisse; quod de judicio et eruditione ejus testatur.

§. CCCCLXXV. Historicis, ad quos pergo, palmam praeripuit *Luitprandus*, primum Ticinensis Ecclesiae Diaconus, mox Cremonensis Episcopus, duabus legationibus ad Inperatorem Graecorum praeclarus. Quarum prior fuit, cum adhuc Diaconus esset sub Berengario, Italiae Rege a. 946. ad Constantinum, amicitiae firmandae ergo. Qua honorifice functus, et domum redux, Episcopatu donatus est. Sed postea in odium Berengarii incidens, et sede expulsus, in Germaniam se contulit, ibique historiam sui temporis condidit,

didit, ab a. 957. ad a. 960., libris sex: sed caput 6tum, ac quinque sequentia, ab alio sunt adjecta. Singulare est, nec laudandum, quod libro tertio titulum dederit *Antidosis*, vel *Antapodosis*, quia Berengario in eo rependit, quod vitia ejus posteritati reliquerit. Altera legatio fuit sub Othone ad Nicephorum, Inperatorem Graecorum, nuptiarum causa inter Othonis M. filium, et Theophanonis filiam a. 968. Sed tantum abest, ut rem perfecerit, ut varia sit adfectus contumelia, varie vexatus ab Inperatore et Episcopis, ut ipse prolixe narrat in *legationis* ejus historia, postea conscripta. Reliqua opera ipsi adtributa, ut Chronicon. ab a. 606. ad 960., vitae Pontificum usque ad Formosum, etc. spuria sunt: ut fuse demonstravit Nicolaus Antonius in *Bibliotheca* Hispanica Vet. l. VI. Ceterum haec opera in unum collecta, et notis illustrata, ediderunt Hieronym. de la Higuera, et Laurentius Ramiresius de Prado, lectu dignissima.

§. CCCCLXXVI. *Aimoinus*, seu Haymo, patria Aquitanus, et monachus Floriacensis ad Ligerim, ab alio ejus nominis, monacho Pratensi, qui usque ad a. 891. vixit, et de inventione ac translatione Vincentii Levitae et martyris, ut et de miraculis S. Germani Parisiensis Episcopi, scripsit, probe distinguendus, autor est vitae Abbonis in Pithoei 12 scriptoribus, et alibi, nec non *historiae Francorum*; vixitque in fine seculi. Vid. Labbei diatriba de Aimoino, tom. II. *Script. Ecclesiast.* Ceterum historiam tantum perduxit ad Clodovei II. annum 16tum: reliqua a capite 42. libri IV. alium recentiorem, simul ineptum fabulatorem, habent autorem. Historia ejus varie est edita, etiam in Freheri script. Francicis. Denique scripsit de translatione reliquiarum Benedicti in Galliam, in Actis Benedictin. Mabillonii. Insignis etiam floruit historicus *Flodoardus*, seu Frodoardus, Rhemensis Presbyter, a. 968. defunctus. Condidit aetatis suae chronicon ab 919. ad a. 966., inter Pithoei 12 scriptores, nec non Ecclesiae Rhe-

men-

mensis historiam, seu gesta Pontificum ejus, libris quatuor, usque ad a. 948., a Sirmondo, et dein ab aliis, editam. Scripsit quoque de Romanis Pontificibus usque ad Leonem VII. poemate heroico libr. 15: quod opus MS. exstat, sed fragmentum est editum a Mabillon. sec. III. Benedictin. p. II. Omittendus denique non est, minime spernendus autor, *Witikindus*, Corbejae novae ad Visurgin Monachus, qui usque ad Ottonem III. superfuit. Ipse de *gestis Saxonum* scripsit, seu de rebus Henrici Aucupis, et Othonis I., ad Mathildem Reginam. Comparet inter scriptores German. Meibomii. Postremo, est quidem hujus seculi Chronicon *anonymi Salernitani*, cujus paralipomena vulgavit Muratorius ab a. 760. ad 960., inter Sriptores Italiae tom. II. p. II. sed scatet fabulis.

§. CCCCLXXVII. Praeter hos, plures fuerunt alii, qui vitas sanctorum, eorum translationes, ac miracula et visa, conscripserunt, sed eos recensere longum foret, nec operae pretium: nonnullos adtigisse suffecerit. *Hubaldus*, monachus S. Amandi Elnonensis in Hannonia, in dioecesi Tornacensi, vir *disciplinis sophicis nobiliter eruditus*, secundum Trithemium, multorum sanctorum vitas conscripsit, teste Sigeberto, nec non epitaphio ejus apud Fabric. in Bibl. Lat. etc. Aliquae apud Surium exstant, et Mabillon. in Actis Benedict. Celebrior est *Odo*, Abbas Cluniacensis ab a. 927., qui monasteriis, quorum per bella, et morum depravationem, miserrimus erat status, reformandis, et instaurandis, operam dedit, teste discipulo ejus Johanne Monacho in ejus vita, quare plurimis coenobiis est praefectus, quibus uniformem vivendi modum, qualis apud Cluniacenses erat, praescripsit. Quare autor ordinis Benedicti in Gallia habitus est a nonnullis: utique Flodoardus in Chron. eum adpellat *multorum restauratorum monasteriorum sanctaeque regulae reparatorem*. Bis Romam adiit, priore vice a. 936., ut Hugonem Italiae Regem cum Alberico Principe, qui Romam consulari potestate, una cum Marozia, regebat,

conciliaret, utque monasterium intra Ecclesiam Pauli reaedificaret: quod utrumque perfecit. Altera vero vice eo tetendit a. 938., pacis rursus conciliandae ergo. Fuit itaque vir magnae autoritatis, et religionis studiosissimus, adeo ut, eo vivente, Cluniacum super cuncta coenobia fuerit fama religionis celebratum. Mortuus est a. 942. Scripsit, inter alia, vitam Geraldi, Comitis Aurelianensis, tractatum de reversione Martini Turonensis e Burgundia Turonum: praeterea de eo, quod Martinus recte par dicatur Apostolis, qui duo tractatus singularem spirant devotionem superstitiosam. De quo ad sec. superius quaedam monui. Collationum quoque, seu occupationum, libros tres, ejusdem fere furfuris, sed in quibus nonnullae doctrinae morales melioris frugis inspersae sunt. Inter paradoxa est, ut illud obiter memorem, quod rationem, quare infans, ex legitimo etiam conjugio natus, moriatur sine baptismo, et damnetur, repetat lib. II. a culpa, in ipso conjugali concubitu per se polluto, denique apithiphonas duodecim de Martino, sermones de cathedra Petri, Maria Magdalena, et Benedicto, etc., valde adulatorii et superstitiosi.

§. CCCCLXXVIII. *Fredegodus*, coenobii salvatoris Cantuariensis monachus et decanus, a. 960. vitas Wilfridi, Episcopi Eboracensis, a. 687. defuncti, et Audoeni Archiepisc. Rotomagensis, a. 677. mortui conscripsit; quarum illam vulgavit Mabillon. sec. III. Benedictin., hanc Surius. *Folcuinus*, Laubiensis Abbas in Belgio, ab a. 965. scripsit Chronicon de gestis Abbatum ejus coenobii, in Spicileg. Dacheriano tom. II., nec non de miraculis Ursmari Abbatis Lobiensis, a. 713. mortui; in Actis Sanctorum Henschenii tom. II. April. *Adso*, Dervensis coenobii in Campania Monachus. scripto consignavit, praeter passionem Bercharii, Abbatis Dervensis, a. 685. ex vulnere mortui, nondum editam, quae enim sec. II. Benedictin. Mabillon. exstat, anonymum habet autorem, ut Pagi observavit, gesta Bassoli confessoris a. 567., vitam Frodoberti, primi Abbatis Cellensis,

Cellenfis, prope Trecas, ibid. apud Mabillon., denique Manfueti Scoti, Britannorum Epifcopi, qui fec. V. concilio Turonenfi interfuit, cujus miracula proftant in Anecdotis Martene tom. III. Denique, ut alios praeteream, *Odilo*, monachus S. Medardi apud Sueffionenfes, circa a. 990. fcripfit de tranflatione reliquiarum S. Sebaftiani Martyris, et Gregorii M., apud Mabillon. fec. IV. Benedictin., praeterea epiftolam ad Ingramnum, coenobii Decanum, de adventu et fufceptione nonnullorum martyrum, ibid., fed quam non fine ratione fpuriam effe contendit Papebrochius act. Sanct. tom. I. Jun. *Gerardus*, ejufdem coenobii Decanus, vitam fcripfit S. Romani, Archiep. Rotomagenfis, quam a. 960. ad Hugonem, ejufdem Ecclefiae Archiepifcopum, mifit, addita epiftola, apud Mabillon. in Analect. Vitam vero profa fcriptam publicavit Rigaltius.

§. CCCCLXXIX. *Studia* itaque, ut de illis aliquid fubjungam, nullo modo floruerunt hoc feculo; five parvus fcriptorum numerus adtendatur, five ad materiam, circa quam verfati fuerunt, five ad ftilum barbarum, et methodum fcribendi, adtendatur. Pauciffimi fuerunt hiftorici, multi vitarum fanctorum et fabularum confarcinatores; nulli fere, qui in Scripturam S. commentati funt, aut de doctrina, ac parte morali, aliquid praeftiterunt. Nullae etiam fuerunt fcholae publicae, in quibus vel medicina, vel jus canonicum, vel Theologia, vel artes liberaliores, docebantur; fcholae erant cantionum, legendarum, et fimilium artium. Tantum circa finem feculi fuperioris Remigius, Autiffiodorenfis Monachus, Philofophiam docuit Parifiis, quae prima funt fcholae iftius fundamenta: dein Rhemis docuit liberalium artium ftudia, arceffitus a Fulcone, qui duas ibi erexit fcholas, ut tradit Flodoard. hift. Rhem. l. IV. c. 9. Deinde Parifiis dialecticam docuit Odo, Cluniacenfis, tefte autore vitae ejus, ad quem fe contulit Abbo Floriacenfis: ut narrat Hincmarus in ejus vita. Sed fingulare eft, in hoc tam barbaro feculo motam fuiffe fub-

tilem illam quaestionem, quae postea produxit inter scholasticos *reales* et *nominales*, de ideis generalibus, ad objecta realiter pertinentibus, an puris nominibus. Vid. Guazo epist. ad monachos Augienses, apud Martene monum. vet. collect. tom. III. Ceterum de ignorantia sacerdotum, inprimis Romanorum, diserte testatur Gerbertus Rhemensis, postea Papa Sylvester II., in Synodo Rhemis coacta, quam refert Baronius ad a. 992.

DOCTRINA ET FIDES.

§. CCCCLXXX. De doctrina et fide Ecclesiae hujus seculi, ob monumentorum penuriam, vix quid certi et distincti proferri potest. Coacervata quidem multa sunt a Centuriatoribus Magdeburg., et in Catalogo testium veritatis, sed ex monumentis, quae hujus non sunt seculi: ex. gr. ex Ambrosio Autperto, autore comment. in Apocal., qui sec. VIII. floruit, Theophylacto sec. XI. scriptore, Smaragdo sec. IX., Radulpho Flaviacense sec. XII., Giselberto, tanquam autore *alteriationis Synagogae et Ecclesiae*, qui sec. XI. vixit, teste Trithemio, nec ejus libri autor est, verum Gilbertus Crispinus, Westmonast. Abbas sec. XII., denique Glabro Radulpho, sec. XI. Certius est testimonium, quod Peregrinus, seu Pilgrimus, Laureacensis in Germania Episcopus, ab. a. 971., celebris Hungarorum conversione, de quo postea, suppeditat in epist. ad Benedictum VII. Papam, quae in tomis conciliorum, sed emendatior exstat in Biblioth. Vindebon. Lambecii tom. II. Unde Symbolum fidei excerptum reperitur in Bibl. Patr. t. XVII., a Magdeburg. Centur. etiam recensitum. Superest etiam insigne monumentum Synodi Trosleianae in pago Suessonico a. 909., ubi praecipua fidei et vitae Christianae capita recensentur. Ex quibus autoribus liquet, nihil fuisse in praecipuis capitibus inmutatum, eandemque, quae antea, continuasse fidem. De quaestionibus et controversiis, seculo IX. agita-

tis, circa processionem Spiritus S., praedestinationem, et gratiam, aliaque capita, nihil hoc seculum suppeditat. De primo tantum capite quaedam profert canon 14. Trosleianus, his notabilibus verbis, quae horum hominum spiritum demonstrant: *sane quia innotuit nobis sedes Apostolica, adhuc errores, blasphemiasque, cujusdam vigere Photii, in partibus Orientis, in Spiritum S., quod non a Filio, nisi a Patre tantum, procedat, blasphemantis; hortamur vestram fraternitatem una mecum, ut secundum admonitionem Domini Romanae sedis, singuli nostrum — — — acutas proferamus sagittas ad confodiendam belluam monstri renascentis, et ad conterendum caput nequissimi serpentis.* Interea, quod in specie in laudem seculi notari meretur, Athelstanus, Anglorum Rex, verti curavit, ex purissimis Hebraeorum fontibus, scripturas divinas in Anglo-Saxonicum idioma, ut Balaeus script. Angl. centur. II. observat ex Malmesburio, quod tamen in eo de *gestis regum Anglorum* non invenitur, teste Usserio de *scripturis vernaculis;* ubi etiam adfirmat, Notkerum Labeonem, Abbatem S. Galli, circa finem seculi, in linguam Alemannicam vertisse *Psalmos Davidis* et *Jobum.*

CULTUS.

§. CCCCLXXXI. Crevit hoc seculo haud parum superstitio erga Sanctos, eorumque reliquias, ac Imagines, in utroque orbe. Quod ad *sanctos* adtinet, ne de eorum adparitionibus, miraculis per eorum intercessiones patratis, victoriis reportatis, ac sanationibus, quarum pleni sunt libri, qui vitas eorum continent, ipsi quoque historici Graeci et Latini, aliquid dicam, duo suffecerit scopo nostro notasse. 1. Sanctorum numerus valde est auctus per scriptores monachos, supra etiam recensitos, nec fuit vix aliquis violenta morte occisus, qui non mox in sanctorum, seu martyrum, catalogum fuit relatus, nullus, qui devotionis famam acquisiverat, quin sanctis adnumeratus sit. Quae vanitas

eousque processit inter Graecos, ut Nicephorus Phocis edictum a. 969. promulgare voluerit de militibus, in bello mortuis, honore martyrii adficiendis: ut Curopalates, Zonaras, et alii, tradunt. 2. Sanctorum *Canonizatio*, ut adpellatur, hoc seculo incepit. Primus Paparum, qui solennem fecit canonizationem, memoratur Johannes XV., quo Udalricum, Augustensem Episcopum, coacta Romae Synodo, in sanctorum album retulit a. 993., postquam Liutolfus, Augustae Episcopus, libellum de *vita et miraculis* ejus praelegisset; ut ex diplomate canonizationis ejus apud *Baronium*, et in tomis conciliorum, constat. Antiquiorem quidem fecit eam consuetudinem Baronius, et a Leone III. derivat, qui sanctis inseruisset Suidbertum; sed tota illa narratio, et vita Suidberti, est recentiorum commentum, ut probat Henschenius ad Mens. Mart. in vita *Ludgeri*; et Mabillon. sec. III. Benedictin. p. I. in elogio Suidberti, De ritibus vero canonizationis nihil hoc seculo constat. Tantum ex Petro Damiani sec. XI. patet, eam fieri solitam, *cum ex Synodali decreto supra defuncti corpus erigeretur altare*, et *hoc ipsum erat inter sanctos adnumerare*. Sed notatu dignum est, canonizationes nondum fuisse solis Papis adstrictas, sed fieri quoque potuisse a Metropolitanis, ne consulto quidem Papa. Vid. Mabillon. in praefat. seculi V. Benedictin., ubi exempla canonizationum per Metropolitanos producit. Tantum Papae autoritas petebatur, ut extra dioecesin per universam Ecclesiam sanctus coleretur. Tempore vero Callisti II. mos consulendi sedem Papalem super canonizatione jam erat receptus: et Papis adligata est canonizatio sub Alexandro III. sec. XII., ut suo loco patebit. Ceterum de canonizatione, ejusque effectis civilibus, Vid. Boehmer Jur. Eccles. tom. III. tit. 45.

§. CCCCLXXXII. *Reliquiarum* inventiones, et translationes, fuerunt frequentes, a Baronio studiose ubique recensitae. Reperta hoc seculo sunt et superiore corpora Stephani, Matthaei, Paulini, Gregorii, Sebastiani, Servatii, Pan-

cratii,

cratii, Vincentii, Maximi, Fortunati, Brunonis, Patrocli, Elpidii, Leontii, Mauricii, aliorum. De eorum translationibus plura exstant scripta hoc seculo, ut de Benedicti, Stephani, Basoli, Sanctae Glodesindis, et Hunegindis: quae postrema vixit sec. VII., inventa ac tanslata est ope Bertae, Humolariensis Abbatissae, a. 946., ut narrat Bernerus, ejus Abbas, autor coaevus, apud Mabillon. sec. V. Benedict., est autem illud monasterium prope muros Augustae Veromanduorum ad Suminam. Glodesindis vero fuit Abbatissa Metensis, et fundatrix ejus monasterii, a. 610. mortua. Cujus corpus a. 830. a Dragone Metense transportatum est in Basilicam ab ipsa exstructam: variaque translationem secuta sunt miracula. Superest Johannis Abbatis, qui hoc sec. vixit, libellus, de translationibus et miraculis ejus, tom. I. Bibliothecae Labbei. Insana porro fuit reliquiarum veneratio, etiam apud Reges et Principes; quam Baronius ubique studiose adnotavit. Legatio Caroli Simplicis, ut uno alterove exemplo defungar, ad Henricum I. Inperatorem missa fuit, cum *manu Dionysii Areopagitae auro gemmisque inclusa, ut parte unici Francorum solatii:* teste Witikindo. Penes Rudolphum Burgundum fuit *lancea miranda, ex clavis Christi sanctificata*, quam Henricus, Saxonum Rex, voluit etiam parte suarum ditionum redemtam. Abbas Urspergensis, qui ejus etiam meminit in historia Henrici, refert, Henricum, lancea inpetrata, datorem non solum *auri argentique muneribus, verum etiam Suevorum provinciae parte non minima, honorasse*; additque, Henricum *per ipsam de hostibus saepe triumphasse, deinde decedentem Ottoni Magno cum regno reliquisse*, eamque esse, ut credebatur, *quae ex tunc hodieque in Inperatorum tutela solet manere.* Subjungit deinceps, in historia Ottonis I., Regem, in angustiis versatum, de equo descendisse, et *lacrimantem cum omni populo ante lanceam se — — prostravisse*, precesque fudisse, ac victoriam reportasse. Eadem narrat Luitprandus, autor coaevus, de *rebus Inperatorum* et Regum lib. IV. c. 12. Otho

I. a Johanne XIII. Papa inpetravit *annulum ex vera Petri catena exsectum*, quae collo circumdata Diabolum ex obsesso ejecerat Romae, ut refert Sigebertus. Denique, ut illud subjungam, Nicephorus Phocas *particulam vestis Johannis Baptistae, Berhoae inventam, CPolin asportavit*, ut et *tegulam*, in qua erat imago Christi, non manufacta, Hierapoli repertam, et capillorum Joh. Baptistae cincinnum unum, adhuc sanguine madidum, ut in Chronograph. compend. tradit S. Joel. Johannis Praecursoris manus, a Jobo quodam Diacono surrepta, Antiochia CPolin deferenda, cum adpulisset Chalcedonem, Inperator Constantinus Porphyrogenneta suam emisit triremem, et illustriores Senatores procedentes obviam, cum Patriarcha, et universo Clero cum cereis, facibus, et suffitibus, eam in palatium deduxerunt. Vid. praeter alios Cedrenus in *histor. compendio*, ubi de hoc Inperatore agit.

§. CCCCLXXXIII. De *Imaginibus*, earumque cultu, seculum nihil peculiare suppeditat, nisi quod et hac parte vires acquisiverit superstitio, ubi Roma fuit dominata. In Oriente etiam, jussu Johannis Tzemiscis Inperatoris, aureis obolis, et nummis, effigies Christi est inpressa, cum hac inscriptione *Jesus Christus Rex Regum*, quod ab ipso primum factum, dein continuavit. Vid. Cedrenus. Accesserunt miracula per imagines patrata, sicut a superstitiosis et Monachis in vulgus emanavit. Sic, ex. gr. Wintoniae coorta lite inter Clericos et Monachos, *imago crucifixi locuta est* in horum favorem, ut Baronius ex Monasteriensi, et Osberto in vita Dunstani refert ad a. 975. Romae imaginem Domini *flevisse, et introeuntes benedixisse*, idem narrat a. 983. Imo lacrymae, et sanguines, ex imaginibus profluxisse traduntur. Sic Beryti in Syria imago Salvatoris, a Judaeis crucifixa, sec. VIII. copiosum sanguinem emisisse, legitur in actis Syn. Oecumen. VII., cujus etiam meminit Sigebert. in Chron. a. 765. De translatione hujus sanguinis CPolin, hoc seculo factam, vid. Cangius in CP. Christiana l. IV.

et ad Zonarae annales l. XVI. num. 25. Imago vero Christi Edessena, cujus in superioribus notitiam suo loco dedi, magna cum pompa, et publica processione cum cereis et lampadibus, est hoc seculo Edessa CPolin translata a. 944. ut, praeter scriptores Graecos, continuatorem Theophanis, Logothetam, et Leonem Grammaticum, expresse narratur in peculiari hac de re libello in *Manipulo rerum CPol.* Combefisii. Cujus clausula precatoria ita habet: *ô venerabile, omnique honore prosequendum Principis decoris, Christi Dei nostri, signaculum, (velut enim cum re animata fideli tecum mente loquor) serva, et semper custodi eum, qui pie et mansuete nobis imperat* etc. Qua occasione Constantinus Porphyrogenneta, Leonis Philosophi filius, orationem hanc in rem habuit. Ceterum hanc ipsam imaginem postea Romam, vel, ut alii, Genuam, fuisse translatam, tradunt.

§. CCCCLXXXIV. De *ritibus* sacris nihil habeo, quod dictis sec. IX. addam, praeter illud unum, Baronium a. 968. tradere, Johannem XIII. Papam, primariam Lateranensis Ecclesiae *Campanam* consecrasse, nomine Johannis Baptistae ei inposito. Quod primum foret nominis inpositi exemplum. Ipsa vero consecratio et benedictio, quae propter ritus adjunctos *baptismi* titulo insigniri solet, longe est antiquior: ut ad sec. VIII, observavi. De nominis autem inpositione etiam constat ex vita S. Turketuli, Abbatis Cruylandensis, apud Mabillon. in Actis Benedict. sec. V. Eo vero censetur tendere, sive ut a reliquis campanis distinguatur, sive quod ad pietatem conducere visum fuerit, si alicujus Sancti voce vocarentur ad Ecclesiam.

§. CCCCLXXXV. Accedamus itaque ad longe majoris momenti disquisitionem, de fide Latinorum circa *praesentiam* Christi in Eucharistia, de qua superiore seculo disputari coepit, praemissis monumentis antiquis, ex quibus de ea judicium est ferendum; quae praecipua sunt sequentia. Odonis Cluniacensis collationum liber. II., Ratherii Veronensis epist. ad Patricum, et de contemtu canonum. Odo-

nis et Dunstani Cantuariens. Archiep. historia apud Malmesburiensem, et autorem vitae Odonis, cujus fragmentum exstat apud Mabillon. de *confessione fidei Alcuini*, in Veter. Annalectis p. 496. Vita Dunstani per Osbertum, qui sec. XI. vixit, apud Mabillon sec. V. Benedictin., Liber Herigeri de *corpore et sanguine* Domini; de quo supra. Denique *paschalis homilia*, in Anglo-Saxonum Ecclesiis olim publice legi solita, in Anglo-Saxonicam linguam translata ab Aelfrico Abbate Malmesbur., qui in seculi initiis vixit; nec non oratio Wulffini, Sherburnensis Episcopi; unde excerpta exstant apud Usserium *Success. Ecclesiae* cap. II. Mitto antiquas consuetudines Cluniacensis monasterii, ab Udalrico conscriptas, quia autor sub finem sec. XI. vixit. Ex Recentioribus conferri possunt mutuae disputationes Arnaldi et Claudii, nec non ab altera parte Natalis Alexander. disp. XV., ab altera Albertinus de Eucharistia lib. III. et Larroquanus de eucharistia p. II. cap. 16.

§. CCCCLXXXVI. Mansit res, ex mea opinione, ut eam, missa ulteriore disputatione, proferam et demonstrem, in eodem statu, in quo fuit sec. IX. 1. Fuerunt adhuc, licet passim damnati sint, haud exiguo numero, qui, ut superiore seculo Scotus, nil nisi figuram agnoverunt in phrasi corporis et sanguinis: uti ex Ratherii epist. ad Patricum colligi non tantum potest, sed in vita Odonis Cantuariensis diserte traditur. *Quidam Clerici* tempore Odonis adseverasse dicuntur, *panem et vinum post consecrationem in priore substantia permanere, et figuram tantummodo esse corporis et sanguinis, non verum corpus* etc. quos Odo miraculo *sanguinis, guttatim de pane distillantis*, revicisse narratur. Hi Bertrami non tenuerunt, uti videri posset, opinionem, cum Bertramus veritatem corporis Christi admiserit, et ejus sententiae patroni ad idem provocarint miraculum; teste sermone paschali, in Ecclesia Anglo-Saxonum praelegi solito; in quo Bertrami opinio clarissime exhibetur, simul miracula *adparitionis infantis, et digiti cruentati*, citantur, ad veritatem demonstran-

monstrandum. Vid. fragmentum apud Albertin. p. 942. Unde etiam liquet, plures ejus opinionis fuisse in Ecclesia, qui solam figuram statuerunt, quod et ex miraculis, quibus caeteroquin opus non fuisset, firmatur.

§. CCCCLXXXVII. 2. In alterum extremum abeuntes alii, et a Paschasio decepti, corporalem praesentiam carnis et sanguinis Christi statuerunt, adeo ut, quod Paschasius involutius, et magis dubie, clarius id nunc expresserint eorum aliqui, ad Transsubstantiationem propius accedentes. Odo Cluniacensis quam prope a Paschasii opinione afuerit, clare satis ostendit in elogio libri Paschasii, quo eum inpense laudat, Collat. l. II. c. 32. his verbis. *Haec et alia multa plura Paschasius ex dictis Patrum, ad reverentiam tanti mysterii commendandam, atque Majestatem ejus demonstrandam, conscripsit. Quae si quis, licet sciolus, legerit, tanta, credo, discet, ut de hoc mysterio parum se eatenus cognovisse pateat.* Sed nemo clarius corporalem praesentiam expressit Ratherio, in epist. cit., ubi diserte dicit, *panem hic corpus et vinum sanguinem effici, Dei Inperio, vere, et non figurative*, aeque credendum esse, ac *aquam* in Cana Galilaeae *vinum* effectam, et mox: *manente colore et sapore veram carnem et sanguinem esse credendum.* Quod ex similitudine, qua utitur, clarius evadit. Hominem, ait, ex *limo* esse factum, et *substantiam nihil* superesse de limo: sic, praeter panis speciem, nihil post consecrationem manere, adserit. Videtur quidem similitudo ad primam speciem indicare, panis manere *substantiam*, sicut limi in homine: nec tamen id vult Ratherius, ut ex voce *e contra*, similitudini inserta, adparet. Habent enim verba ejus: *ita ergo et hic, manente colore et sapore, eadem sapientia operante, veram carnem et sanguinem, quod percipis, esse crede: sicut e contra, mutata limi specie, hominis creatione, limi tamen substantiam manere non diffiteris.* Sicut itaque in hominis creatione *limi substantiam* manere, speciem interire, statuit, ita in corporis et sanguinis Christi effectione, substantiam panis et vini interire, speciem con-

loris et saporis superesse, censet. Nec tamen eadem ipsi mens fuit, quae Catholico-Romanis, qui Transubstantiationem credunt, licet propius ad eos accesserit: sicut clare liquet, 1. quod se ignorare fatetur, imo inquirendum negat, *num panis forsan invisibiliter mutatus, an ipse panis in carnem mutatus sit;* simpliciter credendum vult, carnem et sanguinem esse corporis Christi. Panis vero invisibiliter mutatus censeri potest, cum substantia perit, salvis accidentibus, sed in carnem mutatus, cum panis una cum accidentibus perit, et caro Christi adest, cum sapore et colore panis, adeo ut sit sapor ipsius carnis, sed pani similis. Quod Paschasii verbis est convenientius. 2. Quia iis, qui digne sumunt, tantum esse veram carnem, panis licet, quod olim fuerat, videatur, certo se scire statuit, sed indigne sumentibus quid sit, *nedum dicibile, incogitabile fateor, mihi,* inquit, *de contemtu canonum* p. I. versus fin. Ad quem scrupulum nòn obhaerescunt, nec qui Transubstantiationem, nec qui figuram, admittunt. Concludendum ergo videtur, Ratherium corporalem quidem praesentiam statuisse, nec tamen ejus Systematis plenum habuisse intellectum. Paschasii opinionem etiam tenuit, et fusius explicuit, Gezo Abbas coenobii Petri et Martiani apud Dortanam Liguriae oppidum, circa medium seculi, in lib. I. *de corpore et sanguine Domini*, nondum edito, sed cujus prologus, seu epistola, exstat in Itinere Ital. Mabillonii tom. II. p. 89., ubi etiam capitula tractatus recensentur: ex quibus patet, opinionem illam miraculis fuisse, ut credebatur, confirmatam.

§. CCCCLXXXVIII. 3. Denique Bertrami, et antiquam Ecclesiae fidem, in superioribus expositam, et per omnia secula deductam, tenuerunt adhuc plerique. Fuit utique haec publica Anglo-Saxonum fides, ut ex sermone Paschali, publice praelegi solito quotannis, et scriptis Aelfrici, ac Wlfini, manifestum esse reor. Excerpta sunt apud Usserium, et ex sermone paschali prolixius apud Albertinum l. cit., ubi per omnia eodem modo, quo Bertramus, loquitur,

tur, ut ovum ovo similius esse nequeat. Proferam tantum, licet totum excerptum legi debeat, haec verba. *Nos modo in hac una creatura* (mentio fit baptismi) *duas res conspicimus, qua illa juxta naturam veram est aqua corruptibilis, et juxta mysterium spirituale, virtutem habet salutiferam. Sic etiam, si sanctam illam eucharistiam juxta intellectum corporalem conspicimus, tum videmus, esse creaturam corruptibilem et mutabilem; si spiritualem inibi virtutem agnoscimus, tum inesse vitam intelligimus, et inmortalitatem illis largiri, qui ipsum fide gustaverunt. Multum distat inter virtutem sacrae hujus eucharistiae invisibilem et visibilem propriae naturae speciem. Natura panis est corruptibilis, et vinum corruptibile, et per Divini verbi virtutem vere Christi corpus et sanguis est, non tamen corporaliter, sed spiritualiter. Multum distat inter corpus illud, in quo Christus passus est, et corpus illud, quod in eucharistiam consecratur* etc. Nec alia videtur Odonis Cantuariensis, qui eandem sedem tenuit, fuisse mens, licet is miraculo carnis et sanguinis multos dicatur convicisse, *qui de veritate Domini corporis dubitabant;* quia ad eadem miracula in sermone paschali provocatur. Unde patet, non eo tetendisse miracula, ut Christi corpus *corporaliter*, sed *vere et invisibiliter*, adesse evincerent.

§. CCCCLXXXIX. Eandem fovit opinionem Herigerus, Abbas Lobiensis. Ipse enim *α.* fuit ab opinione Paschasii alienus: ut ex eo patet, quod *contra Ratbertum multa Catholicorum Patrum scripta de corpore et sanguine Domini congesserit:* ut traditur in *continuatione de gestis Abbatum Lobiensium*, apud Dacherium in Spicil. t. II. p. 744. Quod firmat quoque Sigebertus, *β.* nec tamen solam admisit figuram. *γ.* Laudat enim hac parte Paschasium, quod demonstraverit, figuram non semper *umbram* esse, et *jure simul* hoc *mysterium et figuram et veritatem dici posse*: ut habet Anonymus Cellotianus, in adpendice ad historiam Godschalki; qui est, ut putatur, ipsissimus Herigerus: sicut Mabillon. in praef. sec. III. Benedict. probabile fecit, nec tamen plene evicit.

 B. Pezius

B. Pezius enim in *auctario novissimo*, tom. I. p. II., ubi hunc libellum vulgavit, in *dissertatione Isagogica* ex MS. eruit, et aliunde firmavit, autorem esse *Gerbertum*, seu Sylvestrum II. Papam. Praeterea, &c. de Paschasio in meliorem partem judicat ibid., quatenus ejus *simplicitatem forte excusari posse* censet: argumento, corporalem praesentiam non fuisse ab ipso creditam, nec solam figuram: insinuat quoque explicari posse Paschasium *mitius et benignius*, absque ut corporalis ejusdem corporis praesentia statuatur. De quo in Paschasio ad sec. IX. exposui. Eandem plane mentem spirant duo opuscula, quae cum Herigero exhibet Mabillon. sec. IV. Benedict. p. II. ad calcem, quorum alter hanc praefert inscriptionem: *dicta sapientis cujusdam de corpore et sanguine Domini contra Ratbertum.* Quem tractatum putat Mabillon. esse epistolam Rabbani ad Egilonem. Alterum est *fragmentum* de corpore et sanguine Domini, ejusdem forte autoris. Ex priore haec sufficerit citasse verba, quae in Bertrami mentem plane conveniunt: *sicut veritas est Christus, et verus agnus Dei, qui quotidie pro vita mundi mystice inmolatur: ita procul dubio ex pane vera caro, et ex vino verus sanguis ejus, consecratione Spiritus S., potentialiter creatur; quia revera — — sicut de virgine per Spiritum S. vere caro sine coitu creatur; ita per eundem ex substantia panis et vini mystice idem Christi corpus et sanguis consecratur.* Eandem adhuc sec. sequente fovit opinionem Fulbertus, a. 1028. defunctus. Epist. enim 1. et 2. dicit inter alia: *ne sublati corporis fraudaremur praesenti munimine, et sanguinis sui, pignus salutare nobis reliquit: non inanis mysterii symbolum, sed, compaginante Spiritu S., corpus Christi verum: — — illud scilicet corpus de virgine adsumtum, et illud de materiali et virginali creatura consecratum, unus idemque spiritus artifex invisibili operatione in substantiam verae carnis transfundit*, sicut etiam ibid. adserit, nos *in corpus illius Christi transfundi, et ipsum in nobis manere.*

§. CCCCXC. Nihil de Cultu restat, praeter unum obser-

vatum de novis *festis*. Praeterquam quod sanctis multiplicatis, ut supra monui, festorum numerus creverit, institutum ab Odilone Cluniacense narratur festum *omnium animarum*, cujus, praeter *consuetudines antiquas Cluniacenses* l. 1: c. 42., meminit Sigebertus in Chron. ad a. 998., qui hanc ejus tradit originem. Monachus quidam, Hierosolyma veniens in Siciliam, a recluso aliquo audivit, loca ibi esse eructantia flammarum incendia, quae *ollae Vulcani* adpellantur, in quibus animae defunctorum a Daemonibus adfligebantur: daemonum autem clamores saepe esse auditos, quibus querebantur, animas sibi eripi per eleemosynas et preces fidelium, in primis *Cluniacensium*. Quo audito Odilo instituisset festum *omnium defunctorum*. *Torneamenta* quidem hoc sec. exhibuit Magdeburgi Henricus Auceps, in laudem et decus nobilitatis, nec tamen primus, ut putatur, instituit, cum a Francis, Gothis, et in ipsa Germania, ejusmodi ludi jam antea fuerint celebrati. Ceterum, ut id obiter observem, vox est a *tyrocinio* orta: *tyro* autem miles est, unde *tyrocinium* German. *tyroney*, et Gallice *tournois*, et inde *turniamentum*. Tyrocinium ait Otto Frising. *quod vulgo nunc turniamentum dicitur*. Sed ejusmodi ritus non sunt fori nostri. Vid. Wolfius Lect. Memorab. centur. ad a. 921., ubi et leges enarrat, ac annales horum ludorum. Conferri etiam meretur Humbertus *Praedicatorum* Generalis magister sec. XIII. de *modo promte cudendi sermones* etc. l, II. c. 85. in Bibl. M. Patrum tom. XXV. qui quid mali, quidve boni, iis insit, exponit.

REGIMEN.

§. CCCCXCI. *Benedictus* IV., a pietate et liberalitate erga egenos, teste Frodoardo de Pontificibus Romanis, laudabilis, celebrem sese praestitit per coronationem Ludovici III. Burgundiae, seu Arelatensis, regis, quem Inperiali corona honoravit a. 900., ut ex diplomate Inperatoris

apud Florentinium, de *rebus ad Mathildem Comitiſſam ſpectantibus*, liquet. Repreſſerat quidem Ludovicum a. 899. Italiam petentem Berengarius, Italiae Rex, juramento etiam ipſi extorto, ne unquam eam repetat; ſed a. 900. iterum a Principibus Italiae evocatus rediit contra jusjurandum, et, Berengario fugato, Inperator a Papa eſt coronatus. Vid. Regino in Chron., et Luitprandus l. II. c. 20. Superſunt tantum duae ejus epiſtolae in cauſa Argini, Lingonenſis Epiſcopi, quem, Synodo coacta, in ſedem reſtituit. Leone V., in ejus locum elato, ſed poſt 30 dies a Chriſtophoro, presbytero ejus, capto, et in carcerem detruſo, ipſo quoque presbytero, qui ſedem invaſerat, poſt breve tempus ſupplantato a Sergio, hic per factionem Adelberti, Tuſciae Marchionis, ſedem, quam ſub Johanne IX. invaſerat, ſed relinquere coactus erat, recepit a. 904. Praeſtitit vero *Sergius* III. ſeſe infamem turpi commercio cum Marozia, nobili ſcorto Romano, ex qua Filium genuit Johannem, poſtea Papam factum ſub nomine Johannis XI., Luitprand. l. II. c. 13. A quo tempore dominatae ſunt Romae duae nobiles meretrices, Theodora et Marozia. Prior, ejus mater, ex Senatoria ſtirpe orta, pulcherrima, ſimul vaferrima, foemina, per nefandam cum Marchionibus Tuſciae conſuetudinem, ſupremum gerebat Romae dominium, Romanam arcem S. Angeli inhabitans, quae in poteſtate erat Marchionum Tuſciae. Marozia vero filia auxit adhuc potentiam per filium Albericum, quem ex Adelberto, Marchione Tuſciae, pepererat, quippe qui, Patris potentia fretus, Romae dominabatur. Deinde Adelberto mortuo, eique ſuffecto Widone, filio ejus ex Berta conjuge, ei nupſit Marozia poſt Sergii Papae obitum, Vid. Luitprand. l. cit. Nihil porro de Papa refertur, niſi quod Baſilicam Lateranenſem inſtauraverit. Vid. Johannis diaconi liber de illa Eccleſia apud Mabillon. in adpendice *Ordinis Romani*, a quo, ut et Frodoardo, Papa alias laudatur.

§. CCCCXCII. Duobus miſſis ſucceſſoribus, Anaſtaſio III., qui

qui duos sedit annos, et Landone, paucorum tantum mensium, de quibus nihil memorabile habeo, nisi quod, teste Frodoardo, prior *blando* rexerit *moderamine*: *Johannes* X. peculiarem meretur adtentionem, per Theodoram meretricem, quae in ejus amores exarserat, teste Luitprando l. cit., Landoni suffectus. Gessit, ut Platina habet, *militares* magis spiritus, quam *religiosos*; quos tamen Saracenis reprimendis utiliter inpendit. Tenuerant illi, jam ab a. 876. Garilianum montem in Latio, cum arce cognomine, et ex illa munitione multas occupaverant civitates, Christianos ad limina Pauli et Petri tendentes varie adfligebant, Luitprando ibid. teste. Quos ut expelleret, petiit et inpetravit auxilium a Constantino, Graecorum Inperatore, evocavit quoque Berengarium Italiae Regem Romam, eumque solenni pompa coronavit Inperatorem, a. 916., simul donationum superiorum Regum confirmationem ab eo consecutus est. Quam historiam fuse descripsit poeta anonymus, carmine panegyrico de *laudibus Berengarii*; ab H. Valesio publicato, et illustrato, et dein a Muratorio inter *scriptores* Italiae tom. III., additis et suis ac Leibnizii notis. Quibus copiis adjutus Papa Saracenos invasit, ac ad internecionem usque delevit, Italiamque ab eorum infestationibus penitus liberavit. Vid. Luitprandus, qui addit, visos a religiosis esse eo in bello Petrum et Paulum, quorum precibus victoriam acceptam refert.

§. CCCCXCIII. Reliqua ejus gesta et fata verbo perstringam. Misso concilio Altheimense, in Bavaria inferiore, cui legatus ejus interfuit, quo omnia ad ejus nutum direxit, de quo postea, Episcopis Hamburgensi et Rhemensi pallia dedit, teste Adamo Bremense, et Frodoardo. Paci inter Clerum CPol. et Romanum, causa quartarum nuptiarum Leonis Philosophi Inperatoris, quas Graeci damnaverant, Legati Romani comprobaverant, rursus ruptae, incubuit instaurandae, legatis Theophylacto, et Carolo, Episcopis, directis CPolin., ut ex Nicolai CPol. Episcopi epist. ad Simeonem, Bulgariae Principem, apud Baronium ad a.

 917.

917. patet. De qua quaestione postea dicam. Denique de lite inter Hilduinum et Richerium, de Episcopatu Tungrensi contendentes, quorum illi favebat Henricus Germaniae Rex, huic, praeter Clerum et plebem Tungrensem, Carolus simplex, Francorum Rex, judicavit, ita ut Richerio adjudicaverit, et Hilduinum, tanquam invasorem, excommunicaverit. Vid. Flodoard. in Chron. a. 920. Tandem, cum, Berengario mortuo, a. 922., Italiensibus valde secum diffidentibus, Papa foedus cum Hugone Arelatensium Comite, in Italiam accito, pepigisset, incidit in odium Maroziae, quae Widoni, fratri Hugonis uterino, Tusciae Comiti, jam nupserat, et principatum urbis tenebat. Unde factum est, ut in Papam, ejusque fratrem Petrum, inmissi sint milites, qui Petrum occiderunt, et Johannem custodiae manciparunt: ubi brevi mortuus est, vel, ut fama ferebat, suffocatus. Vid. Luitprand. l. III. Sic quem foeminae studium extulit, foeminae odium abstulit. Ceterum Papa fuit hoc tempore utilis Italiae, qui eam a Saracenis liberavit, nec aliquid, quod infamiae notam ipsi inurat, commisit, nisi quod familiarius ipsi in initio cum Marozia intercesserit forte commercium, cum ab ea ex amore legatur in sedem invectus. Sed ipsi vehementer vertitur vitio, et propterea in eum, tanquam monstrum, invehitur Baronius, quod pueri quinquennii electionem in Archiepiscopum Rhemens. adprobaverit. Suelpho enim Archiepisc. Rhem. per Heribertum, Aquitaniae Ducem, veneno exstincto, eique Comitis filio substituto, nondum quinquenni, electionem a Papa confirmari petiit et inpetravit Rodulfus, Francorum Rex. Flodoard. Hist. Rhem. l. IV. c. 20.

§. CCCCXCIV. Successerunt aliquot Pontifices brevissimi temporis, et infelices. Quales fuerunt *Leo* VI., quem ex Flodoardo refert quidem Baronius in carcerem fuisse detrusum, sed qui illud non tradit, potius contrarium, in fragmento de Pontificibus Romanis: *Stephanus* VII, vel VIII., qui

qui biennium sedit, et a Platina tanquam mansuetus, et religiosus, laudatur, *Johannes* XI., Sergii Papae ex Marozia filius; cujus gesta in obscuro sunt, nec fuit sui juris, quippe partim obnoxius Hugoni, Italiae regi, vitrico ejus, cui Marozia post Widonis obitum nupserat, partim in carcere detentus ab Alberico, fratre ejus, filio scilicet Widonis et Maroziae. Albericus enim, cum ab Hugone, cui mater nupserat, alapam accepisset, quod aquam ad manus abluendas non satis scite ei praebuisset, exacerbatus, Romanos inpulit ad defectionem, Hugonem urbe expulit, Papam cum Marozia carceri mancipavit, Flodoard. in Chron., a. 933. Sedit annos 4. et M. 10. Ceterum, quo tempore Albericus Urbem teneret, et ibi dominaretur, Inperatorem Graecorum Romanum, refert Luitprand. in *legatione* ad Nicephorum, effecisse apud eum, ut Theophylacto, Patriarchae CPol., litterae fuerint nomine Papae missae, quibus Ipsi, et successoribus, jus fuerit datum pallio utendi, absque ut Papae accedat permissio, sine qua antea id ipsis non licuerit. Sed de eo nihil tradit Curopalates, nec Ecclesia CPolitana unquam a Romana eousque dependit: adeo ut pro fabula merito habeatur, ut et, quod addit Luitprandus, hinc morem inolevisse, ut non solum Patriarchae, sed et Episcopi totius Graeciae, fuerint palliis usi.

§. CCCCXCV. Successor ejus, licet invitus, *Leo* VII., inpense a Flodoardo, qui catalogum Pontificum in eo claudit, laudatur, nec inmerito. Testantur enim duae ejus litterae apud Mabillon. sec. V. Benedictin. quantopere super miserabili Ecclesiae statu ingemuerit, et malis conatus fuerit mederi. Demonstrat quoque epistola ad Hugonem, Abbatem Turonensem, in spicilegio Dacheriano tom. III., studium ejus in sacrorum locorum cultum et reverentiam, in qua etiam, foeminas monasterium Martini Turonensis intrare, vetat. Transtulit denique jus Metropoliticum a civitate Salisburgensi ad Laureacensem, teste epistola ejus ad Gerhardum Laureacensem, in tomis conciliorum, unde pos-

tea acris orta eſt inter eas ſedes controverſia. *Stephanus* VIII., alias IX., ſucceſſor ejus, Romanorum ſeditione vehementer fuit vexatus, imo adeo mutilatus et deturpatus, ut in publicum prodire non potuerit: ut ex antiquo libro de Pontif. Romanis narrat Baronius, et memorat quoque Martinus Polonus. Quod vero nonnulli tradunt, eum fuiſſe Germanum, et Othonis Regis ope evectum, ac propterea odioſum Alberico, nullo nititur fundamento, nec Othoni aliquid hoc tempore juris erat in electionem Papae. Vid. Papebrochius in *conatu* hiſtorico-Chron. Francorum Proceribus in Ludovicum, Transmarinum dictum, Caroli Simplicis filium, rebellibus, Papa, miſſo legato Damaſo cum litteris, praecepit ſub poena anathematis eum recipere. Flodoard. in Chron. a. 942.

§. CCCCXCVI. Bonis Papis adnumerandus eſt *Marinus* II., alias Martinus III., ejus ſucceſſor, qui, ut ex vetere codice Vaticano refert Baronius, omiſſis tumultibus bellicis, ſe totum vertit ad componendam, et reformandam, Eccleſiam, pacemque inter Principes Chriſtianos inſtaurandam. Ceterum, quod notatu dignum eſt, in privilegio Solemniacenſi Abbati ab ipſo conceſſo, apud Ughell. Ital. S. tom. I, occurrit formula, *regnante Domino Deo noſtro.* Unde patet, eam antiquiorem eſſe, quam putatur. Sed eam per omnia fere tempora in uſu fuiſſe apud Chriſtianos, ita ut eam vel adhibuerint, vel omiſerint, pro lubitu, nec aliud habere myſterium, quam Reges per Chriſtum regnare etc. praeclare demonſtravit Blondellus, in erudito illo libello de formula *Chriſto regnante.* Succeſſit *Agapetus* II., ab a. 946. ad 956., monaſteriorum adverſus Principum invaſiones, teſte Leone Oſtienſe l. I. c. 62. acerrimus defenſor. Cum autem regnum Ludovici Tranſmarini per rebelles eſſet perturbatum, Eccleſia quoque Rhemenſis in cauſa Artaldi et Hugonis, de ſede illa contendentium, in partes diſtracta; (erat enim Artaldus ſedi redditus a. 947. in Synodo Verdunenſe damnato Hugone, et in alia Synodo a. 948. confirmatus, non obſtan-

obstantibus Agapeti litteris in favorem Hugonis, quippe quae nihil *autoritatis canonicae* continebant.) misit Papa legatum, qui, Synodo apud Engilenheim, in dioecesi Coloniensi, coacta, a. 948. ei praesedit. In qua Synodo anathema est Hugoni, ejusque ordinatoribus, dictum, Artaldi ordinatio confirmata, et Hugo comes, Regi perduellis, excommunicatus est, decem quoque conditi sunt canones ad ritus et disciplinam pertinentes. Quae omnia mox in Synodo Romana a. 949. adprobata sunt a Papa. Vid. Flodoardus in Chron. Denique renovata, et confirmata, ab ipso sunt privilegia, sedi Hamburgensi superiore tempore concessa, jure vice Apostolica ordinandi Episcopos in Dania, et Septentrionis populis, collato: pallium quoque missum Brunoni Coloniensi, et Odoni Cantuariensi. Hic postremo est primus Paparum, qui Othonem, mortuo Lothario, in Italiam evocavit, cum Berengarius II. eam invasisset, ut ejus tyrannidi obicem poneret: ut Baronius ex anonymo autore vitarum Pontificum refert.

§. CCCCXCVII. Huic minime malo successit omnium pessimus et flagitiosissimus *Johannes* XII. antea *Octavianus* dictus, qui primus nomen mutavit Papa factus, Alberici, Romae Patricii, filius: qui, patre defuncto, principatum in urbe adeptus, Agapeto mortuo, sedem capessivit, nondum 18 annos natus, Flodoard. in Chron. Cum vero Berengarius, ejusque filius Adelbertus, tyrannidem exercerent in Italia et Romae, excitavit Othonem ad Italiam liberandam, promissa corona Inperiali, hac sub conditione, ut Ecclesiae Romanae bona, a Tyrannis ablata, restitueret, et ei bene consuleret. Qua accepta, et juramento confirmata, cujus formam exhibet Gratianus dist. 63. cap. *Tibi Domino Johanni* etc., nec non Goldastus Constit. Inperial. tom. I., venit Otho Romam, nemine resistente, et, Berengario cum suis se castellis includente, honorifice a Papa receptus, et Inperator coronatus est, Papa et Proceribus se jurejurando obstringentibus Inperatori, ac Berengario et Adelberto renunciantibus. Emisisse traditur Inperator

diploma, cujus autographum Romae adservari testatur Baronius, quo donationes Pipini et Caroli M., sedi Romanae factae, Ludovici Pii omissa mentione, confirmantur, jus quoque Inperatoris, secundum Eugenii II. et Leonis IV. decreta, quo Pontifex ab Inperatore confirmandus, et coram ejus legatis ordinandus erat, sartum tectum futurum decernitur. Sed alii hoc diploma pro commentitio habent. Vid. Goldast. pro Inperio, et Conringius de Germanorum Inperio. Luitprandus in genere tradit, Othonem Pontifici *propria restituisse*, simul *ingentibus gemmarum, auri et argenti, muneribus* eum *honorasse*; dein paulo post ibid. p. 214. inquit Inperator, *omnem terram S. Petri, quae nostrae potestati subjecta est Ecclesiae promisimus reddere*. Regino vero ad a. 967. confirmat, Othonem Papae *reddidisse urbem et terram Ravennatum, aliaque complura*. Nec tamen his stetit Johannes, qui ab Inperatore ad Adelbertum defecit, quem Romae recepit. Quare Inperator Romam versus perrexit, a. 963. Papa, cum Adelberto, bonis Ecclesiae spoliatis, fuga sibi consulente.

§. CCCCXCVIII. Romam cum venisset Inperator, Romani fidem ipsi spoponderunt, et jurarunt, se nunquam Papam electuros, aut ordinaturos, praeter consensum atque electionem Othonis, ejusque Filii, teste continuatore Luitprandi lib. VI: 6. etc., qui totam hanc historiam fuse narrat. Dein congregari mox fecit Inperator Synodum, cujus historia ex Luitprando loco cit. petenda est, et acta recensita sunt in Constitut. Inper. Goldasti a. 963., in qua Papa, cum ad saniorem mentem redigi non posset, tanquam gravissimorum criminum reus, depositus, et ei suffectus est Leo VIII. Interfuerunt omnes fere Romani et Itali Episcopi, aliqui etiam ex Germania et Gallia. Accusatus, et certis testimoniis reus est declaratus, enormium scelerum, inter quae sunt adulteria, stupra, incestus, infanticidia, homicidia, sacrilegia, perjuria, aleae, venenationes, magia, incantationes daemonum etc. Conversum dicitur

palatium

palatium in lupanar, et proſtibulum, ut Romanae mulieres *Apoſtolorum limina orandi gratia timerent viſere.* Quibus in Synodo probatis, litterae ad Papam ſcriptae ſunt, ut ſe coram Synodo ſiſtat, et purget, ſed reſcripſit in haec verba: *Johannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus Epiſcopis. Nos audivimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere: ſi haec feceritis, excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, et miſſam celebrare.* Quibus minis ſpretis, et Papa altera vice fruſtra citato, Inperator Epiſcoporum, totiuſque Cleri, et populi, cum rogaſſet ſententiam, clamarunt uno ore; *monſtrum illud nulla virtute redemtum a vitiis e ſede Apoſtolica pellendum, et alium ei ſubſtituendum*: quando electus eſt Leo VIII. Sed ſcena brevi eſt mutata. Inperatore enim ab urbe profecto, Romani per foeminas Johanni addictas, *quibuſcum*, inquit Luitprandus, Papa *voluntatis ſuae ludibrium exercebat*, et theſauros Eccleſiae Petri, a Papa ſublatos, ipſis promiſſos, decepti, Johannem mox receperunt; qui, Romam redux, Leonem fugavit, *multaque caede primorum in urbe debacchatus eſt*, ut verba habent Gerberti, poſtea Sylveſtri II. Papae, in actis Synodi Rhemenſis. Praeterea, habita Synodo, ſuperiorem ſub Othone damnavit, *ceu proſtibulum favens adultero*, invaſori ſcilicet Leoni VIII., qui cum Epiſcopis ei faventibus proſcriptus eſt, ſed brevi poſt mortuus eſt Johannes, nocte quadam, dum foedis indulgeret amoribus, a Diabolo, ut ferebatur, teſte Luitprando, percuſſus, vel, ut alii, a mulieris, qua abutebatur, marito.

§. CCCCXCIX. Johanni quidem Benedictum V. ſuffecerunt Romani, ſed Inperator, hoc audito, mox Romam properavit, eamque tam arcte obſedit, et ad tantas redegit anguſtias, ut eum tradere, et Leonem recipere, coacti fuerint, ut refert Petrus Bibliothecarius in Johanne apud Papebrochium, et Chronographus Farfenſis apud Ducheſnium tom. III. *Leo*, coacta Synodo, Benedictum, ut illegitime contra Inperatoris conſenſum ordinatum, depoſuit, pallio ei abla-

to, et *pontificali ejus ferula fracta*, teste Luitprando. Qui etiam mox ab Inperatore relegatus, et Archiepiscopo Hamburgensi traditus est custodiendus, ut narrat Adamus Bremens. l. II. c. 6., ubi etiam mortuus est a. 965. Quo eodem anno Leo defunctus est; teste *continuatore* Reginonis. Ceterum edita narratur in Synodo Romana sub Leone *constitutio*, qua Othoni, et successoribus, concessa est in perpetuum potestas eligendi Pontificem Romanum, et investituras dandi Episcopis, nec non aliud constitutum, quo terrae, sedi Romanae datae a Pippino, et aliis, redditae sunt Othoni, et successoribus. Quod Senatus-consultum Romanum exhibet Goldastus Constitut. Inperial. tom. I. ex Gratiano, Theodorico a Niem, et aliis; qui illud genuinum esse disputat, sicut et P. de Marca conc. sac. et Inp. l. VIII. Sed, praeter Baronium, refutat Pagi. Qui, ex mea opinione, falsi quidem evicit *posterius*, sed non *prius*: de electione Pontificis, et investituris Episcoporum: nec aliquid praefert, quod Othonis diplomati, supra memorato, Eugenii II. et Leonis IV. decretis, ac exemplis, non exacte quadrat: confirmat praeterea Luitprandus l. VI. cap. ult., praeter alios historicos. Quod vero ad quaestionem adtinet, fueritne Johannis depositio, et Leonis electio, legitima, nec ne? Natalis quidem Alexander illegitimam fuisse contendit, eam in primis ob rationem, quod Papa non nisi ob haeresin a Synodo queat damnari, ob mores quidem admoneri et reprehendi, at non deponi, quia superior ab inferiore judicari nequit: sed, quamvis, Papam ob vitam male actam damnari non posse, dixerint nonnulli, tenuerunt tamen, eum accusari posse, et coram Synodo sese sistere debere, quod Johannes recusavit. Ita factum est in causa Leonis III. sub Carolo M., et ante ipsum in causa Symmachi sec. VI. Dicit quoque Synodus VIII. can. 21. solummodo, summa cum reverentia erga eum judicandum de eo esse. Denique in extraordinariis casibus, uti hic fuit, similis generis adhiberi potuit remedium. Sed

nec

nec constans haec fuit regula, Papas nullius subesse judicio. Vid. Launoius p. IV. ep. 1.

§. D. Sede vacante, Inperatorem cum compellarent Romani, Pontificem, quem vellet, petentes, direxit Romam legatos, quibus praesentibus electus ab omni plebe est Narniensis Episcopus, dein dictus *Johannes* XIII., ut continuator Reginonis refert, qui etiam tradit, eum, quia majores Romanorum nimis superbe tractaret, Roma esse pulsum, et per decem menses in Campania adflictum: ubi cum erat, Capuam declaravit Metropolin, teste Leone Ostiense l. II. Restitutus dein ab Inperatore, praecipuis conspirationis autoribus suspendio necatis, ut idem continuator tradit, a. 966., mox anno seq. celebravit cum Inperatore Synodum Ravennatensem, in causa Ecclesiasticae disciplinae, et Exarchatum Ravennatensem, a Berengario et Adelberto sedi Romanae cum aliis regionibus ereptum, recuperavit ab Inperatore, eodem autore teste. Quo etiam tempore Magdeburgensem instituit Archiepiscopatum, ut habet Chronographus Magdeburg., a Meibomio editus, et a. 967. Othonem juniorem coronavit Inperatorem, ut ipse Otho senior in litteris apud Wittichindum testatur, a Baronio recensitis: quod ab aliis etiam traditum est, ut Hildesheimensi, Lamberto Schafnaburgensi, et Sigeberto. Denique in Synodo a. 969., praesentibus Othonibus, Beneventum quoque Metropolitica dignitate ornavit, teste epistola ejus ad Archiepiscopum Benevent. in tomis conciliorum.

§. DI. Duobus ejus successoribus, *Benedicto* VI. et *Dono*, obiter memoratis, brevissimi temporis, quorum *ille*, quia jura Inperii et Ecclesiae propugnabat, a tumultuantibus Romanis, qui libertatem volebant restitutam, strangulatus est a. 974., ut narrat Herman. Contractus; *hic* post unum mensem expulsus est, eodem teste, ad *Benedictum* VII. venio, qui ab a. 975. ad 979. sedit, ope Othonis II. et per factionem Tusculanorum Comitum. Ipse Bonifacium, qui Pa-

patum post Benedictum VI. invaserat, sed, eadem factione pressus, mox deseruerat, excommunicavit, et Romae Synodum celebravit contra Simoniacos; ut ex epist. Synodi a. 981. patet, apud Baluzium l. VI. c. 10., P. de Marca, de conc. sac. et Inp., et in tomis conciliorum. Successit *Johannes* XIV., antea Petrus dictus, nomine ob reverentiam erga Petrum Apostolum mutato. Qua occasione Papebrochius observavit, tanquam quid animadversione dignum, neminem Paparum habuisse Petri nomen, licet haberi voluerint Petri successores. Hoc Papa brevi post sede deturbato a Bonifacio, et in carcere fame vel veneno exstincto, ut Herm. Contractus tradit, sedem rapuit hic ipse *Bonifacius*, quod jam antea, post Benedictum VI., sed infelici successu tentaverat: ut modo tetigi. Testatur de ipso Gerbertus in actis Syn. Rhemensis, eum *cunctos mortales nequitia superasse*, et duorum Pontificum, Benedicti VI. et Johannis XIV., fuisse interfectorem: sed et ipse brevi est repentina morte e medio sublatus, tanto cum odio Romanorum, ut in ipsius corpus saevierint: ut Baronius ex vetere Pontificum codice narrat.

§. DII. Misso *Johanne*, Roberti filio, qui Papis non adnumeratur, licet electus sit, quia inauguratus forte non fuit, ita ut uno anno 985. tres sublati sint Pontifices, Johannes XIV., Bonifacius, et hic Johannes, quod Chronicon Maleacense apud Labbeum in Biblioth. tanquam singulare quid observat, venio ad ejus successorem *Johannem* XV.; eo enim, et non XVI., nomine insigniendum esse, diplomata ejus docent. Cujus tempore Crescentius Numentanus, populi favore consulatum adeptus, tyrannidem exercuit Romae. Inceperunt quoque sub Ipso canonizationes sanctorum, ut supra observavi. Majoris est, quod, cum Arnulphus, Rhemorum Archiep., a partibus Hugonis et Roberti, Regum Francorum, defecisset ad Carolum, Lotharingiae Ducem, et propterea, Synodo Rhemensi coacta a. 991., libello abdicationis ipsi extorto, cessisset, substituto Gerberto,

de

de quo postea, Papa, qui in depositionem ejus consentire noluerat, indignatus, eos, qui in causa Arnulphi sederant judices, abstinendos jusserit a sacris, et paulo post, a. 995., Synodo Rhemis convocata, Gerbertum deponi, et Arnulphum restitui, fecerit, quod tamen non nisi post mortem Hugonis effectui datum est, sub Gregorio V. Ceterum testantur de hoc Papa Historici, eum in re militari in primis fuisse exercitatissimum, multos etiam composuisse libros: sed Abbas Floriacensis in epist., cujus in ejus vita memini, adserit, eum *turpis lucri fuisse cupidum, et in omnibus suis actibus venalem, tantaque sede indignum.*

§. DIII. Celebrius longe nomen nactus est ultimus seculi Papa, *Gregorius* V., antea dictus Bruno, regio cretus sanguine, et litteris secularibus egregie eruditus, sed magnae indolis, et fervidae juventutis; ab Othone II., cui electionem commiserant Romani, electus, a. 996. Vid. autor coaevus vitae Adelberti, Pragensis Episcopi, apud Mabillon. sec. V. Benedictin. Othonem, Romam advenientem, coronavit Inperatorem, teste eodem autore, et Chronico Hildensheimense. Sed statim ac Inperator pedem retraxisset, a Crescentio Roma pulsus, et ei substitutus est *Johannes* Placentinus, sub nomine Johannis XVI., a. 997., sed qui mox ab ipso Gregorio, Ticini versante, nec non ab universis Italiae, Germaniae, et Franciae Episcopis est excommunicatus, ut Chronicon Hildensh. tradit. Quo audito Inperator Gregorium restituit, Johanne fugam capessente, et Crescentio se castello includente, absque ut poenam effugere potuerint: uterque enim captus, et misere mulctatus est; Johannes *coecatus*, et *truncatus*, alter, seu Crescentius, cum duodecim sociis, ante urbem suspensus: ut idem narrat autor, et Lambertus Schafnaburg. Autoritatem Papalem strenue tuitus est Gregorius in causa nuptiarum Roberti Regis Francorum cum Bertha, quae ejus fuerat *commater*, quatenus ejus filium susceperat de sacro lavacro: ut legitur in vetere MSS. Floriacense, a Duchesnio publicato: Galli-

cani vero Praesules, talem minus curantes adfinitatem, nuptias adprobaverant, praesentia insuper sua cohonestaverant Turonensis Archiep., et alii Episcopi. Sed Papa, Synodo coacta a. 998., nuptias condemnari fecit, *ut Rex Robertus*, quae primi canonis verba sunt, *consanguineam suam Bertham, quam contra leges in uxorem duxit, derelinquat, et septem annorum poenitentiam ducat, secundum praefixos Ecclesiasticos gradus est judicatum. Quod si non fecerit, anathema sit: idemque de Bertha fieri praeceptum est.* Dein canone II. Episcopi, qui in eas nuptias consenserant, sunt suspensi, donec ad sedem Apostolicam venerint *satisfacturi*. Quae omnia effecta sunt, cum Robertus uxorem dimiserit, et Episcopi illud praestiterint, uti ex fragmento epistolae Leonis X. ad Henricum Regem, Roberti filium, observat Baronius. Denique nisi Arnulphus, sedi suae a Johanne XV. redditus, sed in carcere adhuc detentus, actu ipso restituatur, minatus est, se *toti regno Franciae anathema invecturum esse*. Quare Abbo Floriacensis ad Papam placandum Romam missus illud effectui dedit, et Arnulphus restitutus est a. 998. Vid. Aimoinus in vita Abbonis,

§. DIV. Tributur quidem huic Papae constitutum, in Synodo Romana factum, de *septem Electoribus*, quibus Imperatorem creandi jus adligatum est, sed contra manifestam fidem historicam. Nullus scriptorum veterum non tantum hujus rei meminit, sed ex multis elucescit testimoniis, electionem usque ad sec. XIII. a Proceribus totius regni esse factam; uti ex gr. ex Wippone presbytero, teste oculato electionis Conradi Salici a. 1024., in vita Conradi, ex Orderico Vitali lib. XII., qui Lotharium, Saxonum Ducem, post mortem Henrici V. narrat electum esse a. 1125. ab Episcopis et Proceribus Germaniae; ex Arnoldo Lubecensi in Chron. ad a. 1208., ubi Othonis IV. electionem narrat; denique ex Frederici II. electione in publicis conciliis a. 1220., teste Abbate Urspergense. Prima specialium electorum mentio occurrit in *Brevi* Alexandri IV., directo

recto Gerardo Moguntino, sed prima *septem* in litteris Urbani IV. Richardo, electo regi Romanorum, datis, in *prodromo novi codicis diplomatici*: sed ne tunc quidem caruit contradictione numerus septem electorum, ut ex Matthaeo Paris. ad a. 1258. Alberto Stadense, et aliis, patet. Vid. Leibnizius in *Praefatione* codicis Diplomatici: consuli quoque meretur egregius iste historiae regni Neapolitani scriptor Giannone l. VIII. c. 5. Videtur autem iste Electorum numerus a potentiorum dominio, et praevalente autoritate, unice derivandus, cum antea jus ad electionem habuerunt omnes Proceres.

§. DV. Contendunt Pontificii, jus constituendi Inperatorem residere penes Papas, et ad Proceres Germaniae, ac dein Electores, emanasse ab illis; a quo tempore sese obstrinxerunt Papae, eos, qui reges Germaniae fuerint electi, habendos esse a se Inperatores, modo in personis electis nihil obstet: de quo sibi reservarunt examen et adprobationem. Utique hanc mentem spiravit Innocentius III. teste Epistola ejus ad Bertholdum, Zaringiae Ducem, post Othonis IV. electionem: quod et Clemens V. adserit in concilio Viennensi in *Clementina.* Concessit ipse Ludovicus II. in epist. ad Basilium, Inperatorem Graecorum, apud Duchesnium hist. Franc. tom. III. Francorum Principes, primo Reges, dein *Inperatores dici eos duntaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt*: sed quibus verbis coronationis duntaxat privilegium adligatur Pontifici, nihil praeterea. Ceterum, ut illud observem, inter *regiam* et *Inperatoriam* dignitatem illud distat, quod haec, praeter titulum Inperatoris, adferat primum inter Reges locum, et ut Rex ex officio sit Ecclesiae, in specie Romanae, protector, supremum praeterea in urbe Roma dominium habeat; quod hoc tempore penes Germanos fuit, antea penes Francos. De quo supremo dominio ipsum illud diploma Othonis, supra in vita Johannis XII. memoratum, clare testatur. Primus autem Germanorum Regum fuit In-

perator Otho M., a Johanne XII. coronatus, de quo fupra egi: a quo tempore a Francis ad Germanos tranfiit Inperatoria dignitas: qua in re eaedem Papae tantum fuerunt partes, quae Leoni in Carolo coronando. De quo ad feculum fuperius expofui.

§. DVI. Hiftoria Paparum fummatim tradita, quaedam inde colligenda funt, ad eorum characteres et autoritatem pertinentia. 1. Nemo Paparum hoc feculo autoritati ac poteftati incubuit promovendae, aut Majeftate Papali aliquid dignum egit, praeter Gregorium V., qui Regi Francorum propter illegitimas nuptias minatus eft anathema, et toti regno in caufa Arnulphi. Paparum manus fuerunt vinctae per Marchionum Tufciae, ut et Theodorae ac Maroziae dominium, nec non per Crefcentii tyrannidem, denique per Germanorum Reges et Inperatores. 3. Dominium quoque urbis fuit penes Inperatores fub Germanis, a quibus Paparum electiones ac ordinationes etiam pependerunt. Regiones quidem antiquae fedi Apoftolicae funt redditae, fed falvo Inperatorum fupremo dominatu. 4. Paparum electiones et gubernationes valde fuerunt confufae, et turbulentae, multaque difcidia; adeo ut alius alium extruferit, et varii violenta morte fublati fint. 5. Aliqui fuerunt libidinofi, fcelefti, et multorum criminum rei, ut Sergius III., Johannes XII., Bonifacius VII., et Johannes XV. pauci tolerabiles, unus alterve, pro infelici illo tempore, bonus. 6. Creditum non fuit, Papas judicio Ecclefiae effe exemtos, aut nullam admittere contradictionem, multo minus eos effe infallibiles. Teftimonium hujus obfervati praebet luculentum depofitio Johannis XV., et Synodus Rhemenfis, quae a. 991. depofuit, invito Papa, Arnulpum, eique fuffecit Gerbertum. Cujus hiftoriam confcripfit Gerbertus, quam ex Mff. codice recenfent Centuriatores Magdeburgenfes: in qua multa Papali fupremae autoritati adverfa fe offerunt, ficut etiam in epift. Gerberti ad Seguinum, Archiepifcopum Senonenfem, Annalibus Baronii inferta. Addatur fermo Gerberti

de

de Episcoporum etc. officiis in Analectis Mabillon. p. 103. Ubi diserte adseritur *a*. Papas nihil contra stabilitos Ecclesiae canones posse, iisque nec silentio, nec nova constitutione Paparum obrogari. *b*. Eos, si peccaverint, subesse judicio Ecclesiae, imo, si saepius admoniti non audiant Ecclesiam, Ethnicos habendos esse et publicanos. *c*. Eorum judicia et decreta sine examine non esse recipienda. *d*. Eos errare posse, prolato exemplo Marcellini. *e*. Claves regni coelorum in Petro accepisse cunctos sacerdotes; esse quoque sacerdotium unum, nec uni alicui sine restrictione subjiciendum. *f*. Episcopum Romanum, *in sublimi solio sedentem, veste purpurea et auro radiantem, si caritate destituitur, solaque scientia inflatur et extollitur, Antichristum esse, in Templo Dei sedentem, et se ostentantem, acsi sit Deus*: additur, Antichristum instare videri, etc. *g*. Romanos Pontifices esse corruptissimos et ignarissimos, monstra potius quam homines: inter quos recensentur Johannes XII. et Bonifacius, qui adpellatur *malefacius*. Quibus subjungam doctrinam Glabri Radulphi, Monachi Cluniacensis, qui seculo sequente historiam Francorum sui temporis conscripsit, quae habet, Episcopum Romanum, ob dignitatem Apostolicae sedis, ceteris orbis Episcopis quidem *reverentiorem* haberi, sed *in aliena dioecesi nihil posse praesumere. Pontificem Romanum plusquam ceteros Episcopos, quibus certis limitibus est definita dioecesis, et extra ipsam nihil penitus agere posse.*

§. DVII. Nihil restat, quam ut de Episcopatuum erectione, et amplificata potestate in Germania per Othonem M., aliquid subjungam. Inter novos Episcopatus, ab Inperatore fundatos, recensentur praecipui Brandenburgensis, Magdeburgensis, Merseburgensis, Misnensis, Slesvicensis, Ripensis, Havelburgensis, et Citicensis; ut habet Paulus Langius in Chronico Citicens. Erexit quoque Magdeburgum in Metropolin et Archiepiscopatum, eique subjecit Episcopatus Brandenburg., Havelburg., Misnens., Merseburg., et Citicens. Vid. Chronographi in vita Othonis. Primus

quoque est Otho, qui Ecclesiasticae Episcoporum potestati adjunxit secularem Principum, Ducum, et Comitum, cum jurisdictione et superioritate territoriali. Sic Brunonem, fratrem suum, Archiepiscopum Coloniensem, fecit Lotharingiae Ducem, cum regali potestate, ut tradit *continuator* Reginonis, Wittichindus, autor magni Chronici Belgici, qui illud ut novum et insolitum observat, sicut et Wittichindus, qui illud Samuelis, et aliorum sacerdotum, exemplis excusat; ut et Annalista Saxo. Quod exemplum mox alii secuti sunt Episcopi, eandem adfectantes potestatem; testibus exemplis, apud Struvium *Syntagm. juris publici* cap. 18. Otho quoque II. ducatum Scartoviae ad Albim dedit Gislero Magdeburgensi: imo Archi-cancellariatum per Germaniam traditur Otho contulisse in Wilhelmum, filium suum, Archiepiscopum Moguntinum; ad cujus exemplum successores ejus sibi eandem vindicarunt dignitatem, et tandem impetrarunt per auream bullam. Sunt quidem, qui secularem, vel civilem, potestatem Episcoporum altius, aut a temporibus Carolingicis, repetunt, sed sine fundamento; licet non defuerint, qui per modum exceptionis, et extra ordinem, exercuerunt civilem jurisdictionem, etiam inferiorem aliquam in Vasallos habuerunt, utroque gladio usi irregulariter. Vid. Boehmer Jur. Eccles. l. III. tit. 20., ubi de Ecclesiae *vasallae* primordiis, fatis, et statu disserit.

§. DVIII. Quod ad reliquos adtinet Clericos, uno alterove defungar observato. Cum antea passim fuerint vel regulares, vel canonici, ut sec. VIII. notavi, multi hoc seculo a communi vita coeperunt deficere, et *seculares* fieri, communi vitae non adstricti, ut Trithemius in Chron. Hirsaugiensi ad a. 977 tradit: adeo ut *Clerici seculares* huic seculo debeant originem. Leges quoque pro illis a canonicis distinctis statutae sunt in constitutionibus Galteri Archiepiscopi Senonensis, in concilio sancitis. Obiit is a. 92[illegible]. Sic cum Canonici S. Arnulphi Metensis a communi vita et regula descisceret, Adalbero Episcopus iis substituit Mona-

chos

chos Benedictinos, ut ex ejus praecepto patet; tom. III. conciliorum Galliae: quod idem alter Adalbero, Archiepisc. Rhemensis, fecit, cujus decretum ibid. legitur. Inceperunt quoque hoc seculo *beneficia* et *praebendae*, seu bona et praedia, Clericis loco stipendii dari, cum non amplius in commune viverent, sed singuli canonici res suas sibi haberent. Cujus tamen moris et aliae fuerunt rationes. Primis quinque seculis dabantur Clericis et Parochis alimenta ex patrimonio Ecclesiae, secundum Episcopi dispositionem; deinceps praediorum et fundorum concessiones factae sunt sub jure beneficiarii, loco distributionum quotidianarum, sed rarius, sec. VI. et seq. maxime parochis, cum quod ab Ecclesia Episcopali essent remotiores, tum quod Ecclesiis parochialibus aliquando specialia fuerint facta dona. Adpellata sunt haec bona, ab Episcopis data, ex *remuneratione*, *beneficientia*, dono, gratia, precario, in usufructu. Sed sec. IX. et deinceps, maxime post hoc seculum, *beneficiorum* nomen et res jam invaluit ad imitationem *feudorum*, quae erant beneficia secularia, seu stipendia, pro servitio et fidelitate militari soluta: sic pro militia spirituali his bonis gavisi sunt Clerici et Canonici. Ex quo fonte etiam fluxit *praebendarum* nomen, licet sit antiquius. Deinde hae praebendae, et haec beneficia, ex abusu dici coeperunt *Canonicatus*, propter praebendas ambiri soliti. Vid. Boehmer. Jur. Eccles. l. III. tit. V.

§. DIX. Circa Clericorum *coelibatum* motus hoc seculo fuerunt concitati in Anglia et Germania. Habitum est in Anglia sub Edgaro, instigante Dunstano, Praesule Cantuariense, concilium a. 969., in quo coelibatus est stabilitus, et monachalis habitus injunctus Clericis, ita ut, qui illum suscipere recusarint, Ecclesiis Cathedralibus fuerint expulsi; vid. Hovedenus in Annal., et Osbertus in vita Dunstani apud Surium Act. Sanct. Maji. Exstat oratio Edgari in eo habita, qua de Clericorum *comessationibus*, *ebrietatibus*, *ludis et inpudicitiis* multum conqueritur. Definitum quoque est in Germania a Synodo Augustana a. 952. *ut*, *quemadmo-*

dum in multis conciliis sancitum est, qui divina mysteria contrectant, ab uxoribus abstineant. Praeterea promota fuit haec causa quoque per media superstitiosa, et fraudulenta, ut per statuas et cruces loquentes, imaginesque signa edentes. Sic in concilio Wintoniense a. 975., praeside Dunstano, acerrima inter Monachos et Clericos uxoratos orta contentio in illorum gratiam est decisa, *B. Virginis imagine pro Monachis* loquente, Vid. Spelman. concil. Brittan. tom. I. Quibus non obstantibus, multi a coelibatu manserunt alieni. Eliensis Ecclesiae in Anglia Praepositus, invitis Papa, Rege Edgaro, et Monachis, collegium *sibi et suis sacerdotibus conjugatis servavit*, teste Malmesbur. etc. apud Balaeum centur. II. Elfredus, vel Alfridus, Merciorum Princeps, expulit circa a. 975. Abbates cum Monachis, et Clericos cum uxoribus in monasteria introduxit. In Gallia, Germania et Illyrico, sacerdotum conjugia obtinuisse, ex annalibus, et motibus, seculo sequente hac de causa suscitatis, constat. De quo postea. Leo VII. Papa quoque refert in epistola ad Everhardum Bojoariae Ducem, apud Aventinum Annal. l. IV., sacerdotes *tunc publice duxisse uxores, sicut ceteros Christianos.*

§. DX. De Regimine absolvam, postquam de autoritate et potestate Regum et Principum circa sacra verbum dixero. Quid in Papas et Ecclesiam Romanam sibi vindicaverint Inperatores, in historia Paparum narravi. Hic observo, Reges convocasse Synodos, leges tulisse, seu *capitularia* in usum Ecclesiae condidisse, quae in Synodo Trosleiana sunt *pedissequa* canonum adpellata: ut supra notavi. Sic et Erfordiae in Germania coacta Synodus autoritate Henrici I. a. 932. adpellatur *sancta* et *universalis*. Idem in Anglia fecerunt Reges Aelfredus M., Edgarus et alii. Vid. Edgari oratio ad Episcopos apud Spelman. concil. Brit. tom. I. ad a. 969. Notabilia sunt verba autoris vitae Aelfredi M. l. II. c. 12. quibus dicit, Aelfredum et Edwardum sensisse, *se primatum habere tam in Ecclesiasticos quam Laicos, ut ex legibus eorum constat.*

DISCIPLINA.

DISCIPLINA.

§. DXI. Nihil hac de re seculum suppeditat, nisi quod *indulgentiarum* jacta sint fundamenta. Tradit quidem Baronius ad a. 947., Sergium II. indulgentiam concessisse *trium annorum, et trium quadragenarum*, omnibus, qui Ecclesiam sanctorum Sylvestri et Martini visitaverint, illudque testatur se in marmorea tabula, antiquitus scripta, legisse. Sed, eam ante pauca secula esse sculptam, demonstrat Papebrochius in *conatu Chronico Historico*, diss. XVII., quae est de *Indulgentiis*: ubi probatur, indulgentiarum usum, qualis nunc in Ecclesia Pontificia locum tenet, seculo XII. non esse antiquiorem. Vid. etiam Mabillon. in praefat. ad sec. V. Benedictin., ubi de earum antiquitate pluribus agit. Illud tantum constat, indulgentias hoc seculo coepisse *indefinite* concedi, et non nisi sec. XI. coepisse ad certum tempus, aut in perpetuum, dari. Salomon, ex. gr., Constantiensis Episcopus, ob tres adversarios suos occisos, Romam, ut veniam peteret, profectus, cum ibi supplicans aliquandiu moratus esset, *indulgentiam* dicitur adeptus a Papa: ut refert Ekkehardus p. I. Udalricus quoque, Augustensis Episcopus, eandem gratiam narratur accepisse, apud Gerardum in ejus vita. Antiquius adhuc indulgentiae, ad certum tempus concessae, exemplum praebet *sacramentarium* Romanum, apud Mabillon. Itin. Ital. tom. I., si illud sec. IX. sit antiquius, et fidem mereatur; verba sunt: *mense Junio die 22do sanctorum martyrum mille et* 480.: *quorum vigilia cum silentio et jejunio est celebranda; et concessum est iis pro illo uno die annum dimittere in poenitentia.*

SYNODI.

§. DXII. Nullae sunt hoc seculo celebratae Synodi, quae vel fuerunt, vel censitae sunt, *Universales:* quod ex perturbato Ecclesiae Romanae et Constantinopolitanae statu, ac

orbis, in varia divisi regna, conditione, facile colligitur. Ipsae particulares, Nationales aut Provinciales, magno quoque non fuerunt numero, quae nostram merentur attentionem. Versatae sunt pleraeque circa ritus, Episcoporum dissidentium causas, Ecclesiarum jura, reditus, Cleri privilegia, et monasteriorum ordinationes. Praecipuas recensebo, cum suis locis jam quaedam de iis dicta sint. In Oriente celebrata est Synodus CPolitana a. 906., a Nicolao I. Patriarcha, qui alias *Priscus* adpellatur, quia ejus nominis primus est, etiam *mysticus*, h. e. secretioris consistorii, *secreti* dicti, regius et primus minister, ut exponit Goarus ad Codinum de *officiis* etc. CPol. cap. 2. Causam Synodi praebuerunt *quartae* nuptiae Leonis Philosophi, qui, post tres uxores defunctas, sibi quartam adsciverat Zoem, quam tamen non declaravit Augustam, nisi postquam filium Constantinum peperisset, quando nuptiae sunt publice celebratae, a. 906. Has vero nuptias condemnavit Nicolaus, tanquam canonibus adversas, Synodo coacta, simul Inperatori sacra interdixit, et Tomam presbyterum, qui eas consecraverat, deposuit. Unde multae sunt in Ecclesia CPol. ortae turbae, et Nicolaus in exilium est relegatus, eique suffectus Euthymius Syncellus. Vid. Simeon Logotheta, et alii Historici Orientales. Deinde, Euthymio sub Alexandro, qui tutelae praetextu Inperatorem agebat, in exilium misso a. 911., et restituto Nicolao, is paci instaurandae incubuit, eoque fini legatos et litteras misit ad Papam Johannem X. a. 920., quas recenset Baronius. Quibus significat, pacem esse in Ecclesia CPol. restitutam, seque cum Romana etiam velle eam renovatam: erat enim, earum nuptiarum causa, inter Ecclesias, Romanam ac CPolitanam, nova orta dissensio, cum Papa eas adprobasset. Quo tempore *cuncti Metropolitae et Clerici, qui a Nicolai et Euthymii partibus divisis steterant animis, in consensum redierunt:* ut habet Leo Grammaticus, et Curopalates. Duravit itaque contentio per 15 annos, ut Nicolaus in epist. ad Papam dicit, ab a. 906. ad 920. Pu-

blicatum

blicatum tunc est decretum, quo *quartae* nuptiae sub poena excommunicationis damnatae sunt, et de *tertio* matrimonio dicitur, illud *non simpliciter et temere esse perficiendum*, non post annum aetatis quadragesimum, ante illud tempus permitti illis tantum qui liberis carent, Vid. novellae Constantini Porphyrogenn. a Leunclavio publicatae, quae exstant lib. II*do de thematibus Occidentis. Edictum* etiam recenset Baronius ad a. 921.

§. DXIII. Synodo *Ravennatensi*, ut ad Occidentales veniam, inter Italicas celebri, obiter memorata, quae a. 898., ut Pagi ad Baronium demonstrat, a Johanne IX. et 74 Episcopis celebrata est, in qua acta Synodi Romanae, eodem anno habitae, confirmata, et eadem condita decreta sunt, et exstant apud Baronium ad a. 904., adtentionem, inter Gallicanas meretur Synodus *Trosleiana*, in dioecesi Suessionense, convocata ab Heriveo, Rhemens. Metropol. sub Carolo Simplice a. 909. Ubi in initio mox narrant, se per aliquot annos non potuisse in unum convenire, partim *infestatione paganorum, partim gravissimis regni perturbationibus, partim Christianorum quorundam infestationibus, praepeditos.* Conditi sunt decem canones, omni animadversione digni, cum de fidei professione testentur, simul Ecclesiae corruptionem repraesentent. Vetantur hic praeterea Abbates extranei et seculares, et praecipitur, ut sint religiosae personae, quaeque regularem noverint disciplinam. Denique in libidinosam Clericorum vitam invehitur, et coelibatus stabilitur etc. Capitularia quoque Regum Francorum adpellantur *pedissequa canonnm.* De quo supra dixi. Aliis missis, quarum suis locis etiam memini, ad *Germanicas* accedo, quarum tres sunt celebriores, *Altheimensis*, in pago Rhaetiae, a. 916. coacta, teste praefatione, ut grassantibus vitiis obex poneretur: *Engelheimensis* a. 948., in qua Artaldus sedi est restitutus, ab Hugone ejectus, Hugoni anathema dictum est, et Hugo Comes ob rebellionem in Ludovicum, et tyrannidem in Ecclesiam, excommunicatus;

decem etiam cusi sunt canones. Vid. Flodoard. hist. Rhem. l. IV. c. 35. Denique *Augustana* a. 952. in causa disciplinae Ecclesiasticae, ad Clericorum et Monachorum mores emendandos. Reliquis in Brittannia eandem ob causam celebratis, quas recensere longum foret, missis, quae ad coelibatum pertinent supra sunt recensitae, unum subjungo observatum, de simplici, et a superstitione inmuni ritu celebrandi concilia, speciatim in Ecclesia Gallicana, quem describit vetus formula, a Mabillonio in Analect. edita p. 226., hoc seculo formata, sed cui seq. addita est confessio fidei contra Berengarium, secundum quam formulam Synodus cum litaniis et precibus incipit et finitur: in medio positus est Codex Canonum, et confessio editur fidei.

VITA ET MORES.

§. DXIV. Montem Athon in Macedonia, 150. milliarium ambitum habentem, Monachi incolere coeperunt sub Nicephoro Phoca, post medium seculi, indeque dictum ἅγιον ὄρος *sanctum montem*, per omnia secula hucusque celeberrimum, in quo 24 monasteria, et ad sex millia Monachi, qui coenobiticam vel eremiticam vitam profitentur, aliquando numerati sunt. In Occidente vero conditae sunt tres nobiles *Abbatiae*, quarum ingens fuit celebritas, Cluniacensis, Aurelianensis, et Gemblacensis, duae primae eodem tempore: quarum aliqua danda est notitia. *Cluniacensis* in villa Cluniaco, dioecesios Matisconensis, ad Graonam fluvium, fundata est a. 910. a Wilhelmo Pio, Arvernorum Duce, qui et comes ac Dux Aquitanorum vocatur, quia Arverni dicuntur Aquitani. Exstat ejus charta, seu, ut vocatur, Testamentum apud Mabillon. sec. V. Benedictin. 1. Monasterium aeque pauperibus patet ac divitibus, nec a vitae monasticae candidatis aliquid praeter bonam voluntatem exigitur. 2. Opera misericordiae erga pauperes advenas,

nas, aliosque similes, injuncta sunt in perpetuum. 3. Commissum est patrocinio sedis Apostolicae, cui per quinquennium solvendi sunt decem solidi. 4. Jus eligendi Abbates penes ipsos est Monachos. Primus fuit Berno, quem alii sunt secuti, inter quos celebriores sunt Odo et Odilo: de quibus supra egi. Habuit 5. haec Abbatia, praeter regulam Benedicti, proprias constitutiones, quas Udalricus sec. XI. collegit, et edidit Dacherius in spicilegio tom. II. quarum jam aliquae sunt memoratae in vita Odonis, a Johanne, ejus discipulo, scripta: adeo ut, si non omnes, aliquae saltem seculo XI. sint antiquiores. Adtribuuntur quidem passim Bernoni, sed eum inter sui ordinis principes et praeceptores non numerant Cluniacenses. Vid. Mabillon. in elogio Bernonis. Seculo sequente sub Abbate Petro, dicto *venerabili*, multae constitutiones mutatae sunt; quae exstant in Bibl. M. Patrum tom. XXII., una cum *apologetica* praefatione Petri, qua ejusmodi mutationes licite fieri contendit, eo nomine notabili, quod inter statuta divinitus in perpetuum facta, et quae ab hominibus, utilitatis cujuslibet ad tempus inperata sunt, probe distinguat, et Ecclesiasticorum statutorum verum tradat conspectum. *Quae verae virtutis sunt*, inter alia inquit, *nunquam mutanda sunt, quae vero adjumenta virtutum, pro congruentia rerum, personarum, et temporum, utiliter dispensanda sunt. Nec enim praeceptum fidei, spei, vel caritatis, et quae sub ipsa caritate continentur castitatis, humilitatis, veritatis, et sinceritatis mandata mutari, quolibet dispensante, vel qualibet dispensatione, possunt. Jejunia tamen, vigiliae, opus manuum, corporalis exercitatio — — — et similia istis, quae enumerare prolixitas prohibet, nunc minui, nunc augeri, nunc omnino subtrahi, certae necessitatis vel caritatis causa Praepositorum magisterio debent.*

§. DXV. *Aureliacense* a S. Giraldo est exstructum, comite Aureliacense, cujus vitam conscripsit Odo Cluniacensis: est autem Aureliacus oppidum apud Arvernos situm.

Originem monafterii revocat ad a. 894. **Aegidius Lanarius** in diff. de die et anno nativitatis et obitus Geraldi; cujus teftamentum publicavit. Dacherius in notis ad Bibliothecam Cluniacenf., et breve monafterii chronicon Mabillon. in Analectis. Ceterum fubjectum et illud eft Ecclefiae Romanae, cum obligatione annui cenfus urnae Petri folvendi. Vid. Chron. cit., et ibi notae. *Gemblacenfe* in Brabantia conftructum eft a. 922., a S. Guiberto, Monacho dein facto Gorzienfi, in confinio civitatis Metenfis. Vita Guiberti exftat apud Mabillon. fec. V. Benedictin. Vid. Miraeus in notitia Belgica, et in Originibus Benedictin. Privilegia autem ejus confirmata funt ab Othone I. a. 946., et dein ab Othone II. et Benedicto IX. Papa.

§. DXVI. In Anglia ingens cepit incrementum vita Monaftica per Dunftanum Cantuarienfem, et Ofwaldum Vigornienfem Praefules, autoritate Edgari Regis, et Johannis XIII. Pontificis. Per quos Clerici Canonici, qui uxores dimittere nolebant, et monafticam profiteri vitam, ejecti funt Ecclefiis, et fubftituti Monachi: unde factum eft, ut potior cleri Anglicani pars fuerint Monachi. Vid. Osbertus in vita Dunftani, et quae fupra dixi. Sed ad illud incrementum, aliis quoque in regionibus, multum contulit, quod, qui ex Monachis fiebant Epifcopi, ficut hoc tempore frequente erat in ufu, priorem vitae formam retinuerint, uti canone 27. Synodi VIII. fancitum erat. Sed funt etiam hoc feculo inftituta *Sodalitia*, feu, ut alias adpellantur, *confraternitates*, pro juvandis mortuis, quibus finguli facerdotes fe obftringebant ad Miffam per 40 dies cantandam pro anima defuncti, fub vitae aeternae promiffo, fi facerent, et anathemate, ac damnatione, fi negligerent. Cujufmodi Sodalitii, inter plures Romae Epifcopos et Sacerdotes contracti, fedente Johanne XIII., monumentum, in tabula marmorea incifum, ad a. 983. pertinens, exhibet Baronius.

§. DXVII. Ceterum dominata eft in monafteriis, et inter

ter Monachos, praeter desidiam et ignaviam, incredibilis corruptio: ut omnes testantur Annales. Serlo Dorobernensis Britto librum scripsit contra Monachorum libidines, et coenobitarum sordes, valde acrem, apud Wolfium Lect. Memorab. cent. X. Quod idem de Galliae monasteriis refert Hugo Autisiodorensis in Chronico, adserens, vix aliquem, praeter Odonem, eo tempore fuisse insignis probitatis Monachum. Vid. etiam Sigebertus apud Baronium ad a. 942. Quo etiam pertinet, cum quod nonnulli reformandis monasteriis operam inpenderint, majore minoreve cum successu, uti Regino Prumiensis, Abbo Floriacensis, qui parum profecerunt, imo cedere coacti, et male mulctati, Adalbero Metensis, cui res felicius cessit, ut in vita Johannis, Abbatis Gorziensis, narratur apud Bollandum Mens. Febr., et Mabillon. sec. V. Benedictin., tum quod Monachi in contemtum venerint, et multi sint expulsi, sicut in Anglia fecerunt Elfredus Merciorum, et Edwinus Angliae, Reges. Quo tempore, ut ait Malmesbur. l. II. c. 7., *Monachorum foeda erat et miserabilis facies*, addit, *nam et Malmesburiense coenobium, plusquam ducentis septuaginta annis a Monachis inhabitatum, Edwius Clericorum stabulum fecit.* Monachis quippe ejectis, Clericos Seculares substituit, sed quos deinceps expulit Edgarus, restitutis Monachis, ope Dunstani, per concilium. Nec aliter erga Monachos fuit adfectus Fredericus Moguntinus, putans, *melius esse paucos vita claros, quam plures negligentes, in monasteriis esse*, ut ex Witikindo refert Baron. a. 941., et confirmat Abbas Urspergens. in Vita Ottonis I., qui addit, plures reliquisse monasteria. Idem de Arnulpho, vel Arnoldo, Bavariae Duce, tradit Otto Frising. l. VI. c. 18. Quare Udalricus, Augustae Vindelicorum Episcopus, eum vidisse narratur post mortem in concilio sanctorum accusari et judicari, tanquam sacrilegum, destructorem monasteriorum, et eorum bona Laicis dividentem, ut narrat Baronius a. 932.

§. DXVIII. De corruptis Christianorum, qua Clericorum,

rum, qua Laicorum, moribus, eorumque avaritia, rapacitate, luxu, inpudicitia, libidine, ambitione, et Simonia, aliisque vitiis, omnes testantur, sive Veteres, sive Recentiores: Werneri in fasciculo temporum aetat. VI., Platinae, Sabellici, Baronii, Genebrardi, aliorumque, testimonia exhibet Usserius de Success. Eccles. in Occid. cap. 2. Notabilia admodum sunt verba Aventini l. IV., ubi de Arnulphi filio Ludovico agit. *Vitio illorum temporum*, inquit Mariana, hist. Hisp. l. VIII., *mores Sacerdotum in levitatem inclinaverant maxime, non in Hispania tantum, sed et in aliis orbis partibus*: qui de Roma etiam idem adserit, additque, *morum pravitas quanta fuerit ex Luitprando, Ticinensi Diacono, qui visa in historiam retulit, cognoscere licet.* Addam vetustiores, sive hujus seculi, sive qui proxime accedunt. Notabilia sunt Gerberti, vel Synodi Rhem. sub ipso, verba, quibus sedis Romanae depravatum statum quoque depingit, de quo supra, ut et Edgari Regis oratio ad Anglicanos Episcopos, cujus supra etiam feci mentionem, nec non Aelfrici sermo ad Sacerdotes, verba etiam Glabri Radulfi l. II: 6. et Lupi in orat, ad sacerdotes, ibid. apud Usserium. Vid. etiam Leonis VII. epist. ad Episcopos Bavariae apud Wolf. Lect. Memorab. cent. X. Witichindus denique, in vita Henr. IV. dicit, *Roma cupiditatis ancilla permittit facile ob pretium omne nefas.* Ratherius de *contemtu Canonum*, inpudicitiam Clericorum tantam, tamque generalem, suo tempore esse adserit, ut vix inveniatur dignus Episcopus, qui ordinetur, aut ordinet: addit, Italos esse prae reliquis corruptos, et propterea canonum et Cleri contemtores, tanquam depravatissimi. Vid. etiam acta Synodi Trosleianae, cujus supra mentionem feci. Ratherius quoque alibi tradit, Clericos armis et militiae operam dedisse. Quod postea magis adhuc invaluit, non obstantibus canonibus Ecclesiasticis, qui id vetant. Notabilia sunt verba Guidonis, Abbatis Claraevallensis, tom. II. Miscellan. Baluzii. *Olim non habebant castella et arces Ecclesiae Cathedrales,*

les, non incedebant Pontifices loricati, sed nunc propter abundantiam temporalium rerum flamma, ferro, caede, possessiones Ecclesiarum Praelati defendunt, quas debebant pauperibus erogare. Quo etiam facit, plurium fuisse vocem, Antichristum ante fores esse, et finem mundi. Abbo Floriacensis in apologetico ad Hugonem et Robertum Reges, circa fin. seculi, testatur, se *de fine mundi coram populo sermonem in Ecclesia Parisiorum adolescentulum audivisse, quod statim finito mille annorum numero Antichristus advenit, et non longo post tempore universale judicium succederet.* Plura testimonia exhibet Usserius l. cit. Odo Cluniacensis *Collat.* L. II. c. 38, postquam inmanem temporis sui corruptionem vivis depinxisset coloribus, Satanam esse solutum inde manifestum esse, dicit, quod *omnis ordo religionis aut Christianitatis inmutatus est, nec inpietas jam erubescere saltem dignatur, sed iniquorum multiplicitate roborata caput ubique locorum extulisse videatur.* Formata fuit haec opinio de Antichristo, et fine mundi, ex Apoc. XX. de *mille annis*, eaque adeo concussit Christianos, ut seculo renunciarint, Templa siverint collabi, et bona Clero aut Monachis donarint, in remissionem peccatorum. Annales Francorum incerti autoris, inter *scriptores coaetaneos* Pithoei ad a. 847. referunt, *pseudo prophetissam, nomine Thiotam*, Moguntiacum venisse, et Salomonis Episcopi parochiam *suis vaticiniis non minime turbasse*, praedicando, *eo anno ultimum diem mundo inminere:* addit, non plebejos utriusque sexus tantum fuisse perturbatos, seque orationibus ejus commendasse, muneribus etiam oblatis, sed *et sacri ordinis viros, doctrinas Ecclesiasticas postponentes, illam quasi magistram, coelitus destinatam, secutos esse:* verum ad Episcoporum consessum adductam, et severe examinatam, professam esse, *presbyterum quendam sibi ea suggessisse, et se quaestus causa talia narrasse.*

§. DXIX. Dictis non possum quin duo singularia irreverentiae sacrorum, et inhumanitatis, addam exempla, unum in CPolitano Patriarcha, alterum in Moguntino Archiepiscopo;

copo. Prior *Theophylactus*, Romani Lampeni filius, anno aetatis 16to Patriarcha factus, a. 933., sicut corruptissimis moribus, in specie Simoniae, mollitiei, et luxuriae, ita sacrorum, ac religionis, contemtu, sese praestitit infamem, cujus posterioris hoc notabile apud Historicos Graecos memoratur specimen. Cum inter solennia sacra, quae ipse Patriarcha faciebat, ipsi equae, quam deperibat, partus nunciaretur, mox, abrupto sacrorum exercitio, ad stabulum praeceps adcurrit, pullum visurus: quo facto, ad sacra peragenda rediit. Addit Cedrenus in *histor. compendio*, hoc facinore narrato, morem ab ipso introductum esse, quo in splendididis ac solennibus festivitatibus Deo, et sanctorum reliquiis recordationi, fit contumelia, per foedas cantilenas, et insanos clamores, quibus adhibitis sancti hymni cantantur: quos, dicit, a nobis oportere cordis compunctione pro nostra salute offerri Deo. Zonaras porro, irreverentiae sacrorum hoc ipso specimine narrato, subjungit, equitationem mortem ipsi adtulisse. Posterior Moguntinus Archiep. *Hatto* II. ab a. 968., tempore penuriae, et famis, narratur magnam pauperum mendicantium multitudinem uno inclusisse horreo, specie porrigendae annonae, sed mox eos cum horreo jussisse vivos comburi, eorum otio et mendicitati inputata fame. Quam summam crudelitatem vindicta divina fertur singulari modo prosecuta. Mures enim in ipsum narrantur inmissi, qui ipsum depascerent vivum; quorum ut effugeret inpetum, se in turrim lapideam recepit, in medio Rheno, juxta oppidum Bingionum exstructam, sed ne sic evasit, verum a muribus fuit vivus absumtus: unde turris nomen a *muribus* accepisset, quae adhucdum superest. Singulare, profecto divinae vindictae exemplum, si verum esset. Serarius de *rebus Moguntiacis* c. IV., ubi de Hattone disserit, fabulam esse disputat, a Monachis mendicantibus, quibus infestus erat, fictam; turrim autem in custodiam patriae, et Rheni, in loco petroso et munito, esse exstructam. Fundat sese praecipue in eo, quod primus eam historiolam

retulerit

retulerit Trithemius in Chron. Hirsaugiensi, nemo Veterum, qui et ipse fidem non videtur adhibuisse, cum subjungat, *huic fabulae autoritatem nec damus, nec rursus substrahimus*. Sed argumenta Serarii refutavit D. F. Wendelinus, vir eruditus, de *admirandis Nili* cap. 21. Mihi res dubia videtur. Diu enim ante Trithemium eam memoravit Sigfridus Misnensis, Epitom. l. I. a. 923., et Trithemius diserte tradit, *illud a Veteribus fuisse descriptum, et a se lectum*; constantem quoque esse apud incolas istius regionis traditionem.

PARTES ACCIDENTALES.

HAERESES.

§. DXX. Cum nullae notentur ortae haereses, Nestorianorum et Eutychianorum historiam per eorum Patriarchas percurram, sed, si quid memorabile in usum nostrum sese offerat, tantum memoraturus. Primus Nestorianorum hujus seculi est *Johannes*, Osae filius, non sine gravi oppositione Metropolitarum Gandisaporis et Mosulani, in sede collocatus, uti ex Amro narrat Assemann. Bibl. Or. t. III., ordinatus est a. 900., et sedit ad a. 905. Optimis adnumeratur Patriarchis, seseque justum praestitit et liberalem. Notabilis est ejus syngrapha, quam in ordinatione sua Episcopis et populo tradidit. Profitetur in ea fidem suam convenienter Synodorum decretis, a Nestorianis adsumtis, in specie Theodori et Nestorii: dein promittit, se Ecclesiam secundum canones juste et pie esse gubernaturum, pauperum gesturum curam, omnemque Simoniam aversaturum etc. Synodum celebravit a. 900., in qua 28 canones sunt conditi, ad fidem Nestorianam confirmandam, et ritus aliquos sacros ordinandos. Vid. Asseman. l. cit. tom. IV. Edidit praeterea 28 canones de *ministerio altaris*, ab eodem recensitos et illustratos tom. III. In quibus multae occurrunt minutiae, ad materiam, formam, cultum altaris, et hostiarum

pertinentes: quae Nestorianorum spiritum clare exprimunt. In specie notari meretur 1. altaria lignea damnari et lapidea definiri, 2. altare declarari inmundum, si a laico, vel non jejuno, adtingatur, etc. 3. Sale fermentatum panem esse condiendum, oleum etiam admiscendum, 4. hostiam non debere 12 excedere drachmas, singulos vero *corbones* esse debere 3 drachmarum: corbones vocantur particulae hostiae, quae in quatuor tales particulas frangitur, 5. lampada ardere ante altare debere die et nocte, 6. eucharistiam non esse in crastinum servandam, nisi ex necessitate, nec extra Ecclesiam, nisi ad vinctos et aegrotos, deferendam, 7. cavendum, ne quid ex calice decidat, nec plus, quam 4 corbones sumant communicantes, 8. Presbyterum aut diaconum non debere solum communicare, 9. vinum ex contactu corporis Christi posse consecrari, 10. hostiam manibus inpositam ori admovendam esse, sed non manu ori inferendam, 11. aequales esse debere partes aquae et vini in calice: secus ac concilium Triburiense a. 895. definivit, duas scilicet vini, et tertiam aquae partem, cum vinum sit sanguis Christi, et aqua populus. Scripsit etiam similis tenoris *quaestiones* Ecclesiasticas, quarum capita recenset Asseman. tom. III. Inter quas notanda est penultima, quae ita habet: *Christianus quidam de oblatione minus recte sentiens, dicit eam esse meram legem, vel ritum quendam: respondetur; communione privandum esse, donec poeniteat, et confiteatur oblationis excellentiam, et convenientem eidem honorem, illamque esse corpus et sanguinem Christi, quo peccata delentur, et debita remittuntur.*

§. DXXI. Successit *Abraham* III., ope Secretarii Caliphae electus, seditque annos 32. Fuit auri admodum cupidus, et suis odiosus, teste Barhebraeo; ex. gr., unius anni spatio tres Nisibi ordinavit Metropolitas, ex quibus bis centum et 70 millia nummorum extorsit. Eo sedente, moris esse apud Nestorianos coepit, liturgiam *vespertinis horis* in diebus Dominicis, et Sabbatis quadragesimae celebrare, teste Barhe-

Barhebraeo, cum antea de *die* fieret. Omiſſis ſucceſſoribus, Emmanuele et Iſraele, de quibus nihil conſtat memorabile, *Ebed-jeſu* adtingendus eſt, qui ab a. 963. ad a. 983. ſedit, cujus geſta ex Chronico Syriaco Barhebraei enarrat Aſſeman. tom. III. Fuit in librorum lectione probe verſatus, et Eccleſiaſticis doctrinis inbutus. Inter decreta ejus, quae ex Amro exhibet Aſſeman., eſt, ſymbolum fidei una voce et ſimul, non alternatim, et per verſus, eſſe recitandum. Denique Metropolitas et Epiſcopos ordinavit ad 134 uſque, ita ut, tribus exceptis, omnes ſedes novum acceperint antiſtitem. Succeſſit *Mares*, Caliphae juſſu, a. 987., qui primus diploma Patriarchatus a Calipha poſtulavit. Erat vero eruditionis, et Eccleſiaſticorum rituum, ignarus; qui et ipſe plurimos ordinavit Archiepiſcopos et Epiſcopos, ſedit ad a. 999.

§. DXXII. *Syro-Jacobitae* Patriarchae cum nihil fere geſſerint alicujus momenti, quam Epiſcpos ordinare, Synodicas mittere ad Alexandrinam ſedem, et inde recipere, ſimiliaque; nec nudus eorum catalogus nos multum juvaret, ſolius *Athanaſii* V., qui ſub finem ſec. fuit, verbo mentionem faciam, quia ſub ipſo floruit Johannes, Epiſcopus Cartaminenſis, qui characteres Syriacos *Stronghylos* rotundos, jam ab annis 100 ſublatos, reſtituit: in qua ſcriptura perfectus fuit Emmanuel quidam, qui 70 ſcripſit codices, quibus vix in toto orbe ſimiles reperire eſt, teſte Barhebraeo: qui haec narrat. Ex quo elucefcit, ſtudia fuiſſe adhuc apud Syros exculta. Ex Patriarchis vero *Alexandrinis* unum alterumve obiter ſuffecerit memoraſſe. *Gabriel*, teſte Chronico Orientali, edictum inſtauravit, ut ſinguli viri et mulieres denarium ſolvant Patriarchae quotannis, unde debitum ſolvebat, et eleemoſynas faciebat. Vocatur Arab. *diaria*, a *dair* coenobio; acſi dicas penſionem monaſticam, vel pro monaſteriis. *Theophanius* a ſuis eſt indigniſſime tractatus et occiſus, quod annuam mille aureorum penſionem, a deceſſoribus pendi ſolitam Eccleſiae Alexan-

drinae aut inminui, aut remitti voluerit. *Ephraem*, a *Judaeis* provocatus, fertur, ut Chron. Orient. tradit, *fide sua montem transtulisse*. Denique *Philotheus* ab Hagiologo Habessyno laudatur, licet graviorum criminum reus, quod Ecclesiae Habessynae ab ipso legitimum acceperint Metropolitam, quo diu caruerunt, et propterea Ecclesiae variae perturbatae fuerant.

SCHISMA GRAECORUM.

§. DXXIII. Parum in schismate peractum est hoc seculo. Nova quidem nata est divisio causa *quartarum nuptiarum*, sed brevi sopita: ut supra suis locis, in vita Johannis X., et de Synodis, narravi. Obtinuit itaque aliqualis inter sedis utriusque orbis communio, salvis utriusque sedis Romanae et CPolitanae privilegiis, ut vel ex litteris Nicolai Mystici ad Johannem X. apud Baronium ad a. 916., modo sint genuinae, constat. Quae vero de usu *pallii*, a Papa Johanne XI. concesso Theophylacto, ejusque successoribus, habet Luitprandus, fabulam sapere in Johannis vita observavi. Retinuerunt quoque *Oecumenici* titulum Patriarchae CPolitani; ut ex epist. Leonis IX. ad Michaelem Cerularium liquet. De quo ad sec. sequens. Tantum renovari coeperunt lites sub finem sec. a Sisinnio, qui a. 995. sedere coepit, et ejus successore Sergio a. 999.: de quo etiam postea. Sub Sisinnio transmissa rursus est encyclica Photii epistola contra Latinos, nec non anathematismi in Synodis decreti adversus ea, quae in Photium et Ecclesiam Orientalem erant sancita; ut ex lib. II. juris Graecorum refert Baronius a. 995. Quid? quod Synodus Trosleiana a. 909. testetur, errores et *blasphemias Photii adhuc vigere in partibus Orientis*, in specie circa processionem Spiritus S. Quam opinionem ut monstrosam perstrinxit illa Synodus: ut supra vidimus. Ex quo, motus animorum nihil resedisse, manifestum est.

PROPA-

PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. DXXIV. Quam obscurum alias et corruptum fuit seculum, illustre nihilominus est, integrarum Gentium ad professionem Christianam conversionibus; ordine, sed strictim, recensendis. *Normanni*, postquam Franciam misere devastassent, et in ea sedes fixissent, quod ab a. 876. coepit, et 36 ann. duravit, religionem Christianam a. 912. susceperunt, ad exemplum Ducis ipsorum Rollonis: qui promissa Caroli simplicis, de Normannia ipsi danda, cum filia Caroli Gisla in uxorem, per Franconem, Rotomagensem Archiepiscopum, sibi facta, accepit, et a Francone baptizatus est, multaque dedit justitiae et pietatis documenta: Vid. Gemmiticensis, l. II. Flodoardus, Annales Francici, et acta Archiepiscoporum Rotomagens. in Analect. Mabillonii, licet quoad origines eorum fabulosa. Ex recentioribus legendus est Pomeraius in *historia Rotomagens.* Praesulum. Deinde, cum Aremoricam regionem, seu Britanniam, in Galliae ora maritima a. 919. devastarent, concessit ipsis eam regionem cum pago Nannetico inhabitandam Comes Robertus, si religionem Christianam profiteantur. Quod factum est a. 921. Flodoard. in Chron.

§. DXXV. Inter gentes *Polonicas* licet jam multi essent Christiani, ut sec. IX. vidimus, nullae tamen adhuc Ecclesiae fuerunt, nulli Episcopatus, nullum Christianae religionis publicum exercitium, Regibus quoque sacramentis non initiatis. Quae omnia demum inceperunt ab a. 965., quando *Miecislaus*, Polonorum Princeps, a subditis Christianis incitatus, et ducta uxore Dambrouca, filia Boleslai, Bohemiae Regis, sese primus professus est Christianum. A quo tempore Basilicae erectae, et sedes Episcopales constitutae sunt: ut Guesna, Cracovia, et aliae. Sed Guesna demum facta est circa a. 1000. prima sedes Archiepiscopalis, Vid. Lubienskius, Episcopus Plocensis, in vitis Episcoporum Plocensium. Praeterea conditae quoque hoc seculo sunt

Eccleſiae, et ſedes Epiſcopales, in *Bohemia*, ut de Pragenſi conſtat, a Boleſlao Pio erecta, cujus primus fuit Epiſcopus Dietmarus a. 961., qui *de Saxonia eo venerat, vir mirae eloquentiae*, verba ſunt Coſmae Pragenſis in Chron. Bohemorum, *et litteralis ſcientiae, presbyter promotione, Monachus profeſſione*: quem, poſtquam Papa Johannes ſedem Epiſcopalem erigi permiſerat, Dux et Clerus Epiſcopum ab Ottone, filio Henrici I., petierunt, et inpetrarunt, Epiſcopum Pragenſem, ut idem refert autor. Cujus ſucceſſor fuit celebris ille *Adalbertus*, Polonorum et Bohemorum Apoſtolus habitus; cujus vita et acta, ab aequalibus autoribus conſcripta, proſtant in Antiq. Lection. Caniſii tom. III. De quo quaedam dicenda ſunt. In Bohemia natus, quae tum adhuc *infidelitatis errore maximam partem praeventa erat*, ut acta illa habent, ex Parentibus Chriſtianis, in principio adpellatus eſt Vuoytiech, ſed ad Adalbertum, Archiepiſcopum Magdeburg., miſſus, ut ſtudiis inbueretur, nomen in confirmationem chriſmatis ab Ipſo accepit *Adalberti*. In patriam redux ſubſtitutus eſt Dietmaro mortuo Epiſcopus Pragenſis, cum Boleſlaus Pius, *Saevi* filius, principatum gerebat a. 983. Septennio poſt, depoſito Epiſcopatu, quod inordinatos populi mores, in ſpecie polygamiam, et conjugia Clericorum, ferre non poſſet, Romam adiit, a. 990., et per quinque annos Monachum egit, quando rediit ad Epiſcopatum. Miſit enim Praeſul Moguntinus legatum Romam, qui a Papa peteret, ut Adalbertum reverti juberet: quod, Synodo coacta, poſt multas et longas altercationes factum eſt, a Papa Johanne XV., ſub conditione, ſi Epiſcopo obedirent Pragenſes. Sed, cum frater Ducis Bohemiae ipſi valde eſſet infeſtus, qui etiam fratres ejus nefario auſu occiderat, vix annum ibi durare potuit. Abdicato itaque iterum epiſcopatu a. 995. Romam perrexit, et a Papa Gregorio V. inpetravit, ut ad exteras et incultas iret gentes, et euangelium adnunciaret. Quod ab eo tempore peregit inter Polonos, Bohemos, et Hungaros. In Hungaria baptiza-

vit

vit Geisam, Hungarorum, ex quo Pannoniam intrarunt, *quartum* Regem, nec non Stephanum ejus filium, qui Christianam religionem valde propagavit. Tandem, postquam Guesnae plures tinxisset, in Prussiam tetendit, venitque Gidanim, seu Gidanum, alias Dantiscum dictum, vulgo Dantzich, ibique, ut acta loquuntur, *multas hominum catervas tinxit*; sed et fuste a paganis percussus, et occisus a. 997. Quare martyr est habitus et cultus a Bohemis aeque ac Polonis, qui utrique se corpus ejus habere gloriantur. Ceterum fuit, secundum vitae ejus narrationem, vir in summa simplicitate pro more seculi valde devotus.

§. DXXVI. *Moschorum*, seu Russorum, conversio, superiore quidem seculo tentata fuit, ut suo loco vidimus, sed hoc demum perfecta, cujus epocha petenda est, tum ab Elga, seu Olha, Ingeri Russorum Principis uxore; quae, marito defuncto, CPolin venit, et Ecclesiae per baptismum inserta est, cujus etiam meminit Zonaras Annal. l. XVI., nomine accepto Helenae a. 941., quae prima inter Ruthenos, testibus eorum annalibus, fuit Christiana, tum praecipue a Woldimiro Principe. Missi quidem sunt ab Helena legati ad Othonem Regem, qui praecones Euangelii petiverunt, populum ad Christianismum pronum nunciantes; venerunt etiam praecones, inter quos Adalbertus, postea Magdeburgensis Praesul, sed nihil est praestitum, ipse etiam Adelbertus vix salvus evasit. Vid. *continuator* Reginonis, ad a. 962., et Ditmarus lib. II. Quod tamen non Helenae, sed vel Regi minorenni Sphendosthlabo, ejus filio, vel ipsis Russis, est inputandum. Rem itaque perfecit Wolodimirus, successor ejus, pacto cum Basilio, Graecorum Inperatore, foedere contra Bardam, in Basilium rebellem, et sorore Basilii Anna ducta uxore a. 989. quando publica incepit et continuavit Christianismi professio. Vid. Herbesteinius, Ferdinandi, Austriae Archiducis, legatus ad Principem Moscovitarum, in *rerum Moscovitarum commentariis*. Condidit vero Woldimirus Metropolin inter Wolham


et Occam fluvios, et Woldimiram nuncupavit; sed postea metropolis facta est Kiovia, eaque sec. XII. a Tartaris eversa, Moscua, unde *Moscovitarum* nomen fluxit. Quam eandem vicissitudinem subiit sedes Metropolitica. Ceterum fidem et formam religionis a Graecis acceperunt, et eorum Metropolitae a Patriarcha CPolitano semper fuerunt, usque ad medium sec. XV., ordinati, seu confirmati. Graecorum vero Inperio per Turcas destructo, factus est Ruthenorum Patriarcha αὐτοκέφαλος, sui juris, a Principe proximus. Denique defuncto Hadriano a. 1699., Patriarchatu abolito, institutum est a Petro M., Russorum celebratissimo Inperatore, *collegium* perpetuum Ecclesiasticum, cujus ipse foret Praeses, et aliquis ex Metropolitis Archiepiscopis aut Episcopis *Vice praeses.*

§. DXXVII. Succedant *Hungari*, post Polonos et Ruthos conversi. Erant quidem inter eos magno numero Christiani, qui captivi erant abducti, sed publica ipsis erat fidei professio prohibita. Sed pronos sese ab a. 979. demonstrarunt ad Christianismum, et multi nomen dederunt, alii cum iis amice conversati sunt, libera quoque concessa professione: ut narrat Piligrinus, Archiepiscopus Laureacensis, in epist. ad Benedictum Papam, qua pallium petiit, a Lambecio in Biblioth. Caesar. l. II. recitata, et Papa ipse in epist. ad Episcopos Germaniae ibid. Conversionis vero epocha maxime est repetenda a Geisa, Hungarorum Rege, ejusque Filio, post baptismum dicto Stephano, utroque ab Adelberto Pragensi baptizato, a. 996., Vid. Baronius a. 989. ex autore vitae Stephani. Sed illud non Adalberto, verum Brunoni, tribuit Ademarus in Chron. Praecipuum conversionis instrumentum fuit Gisela, Henrici Inperatoris soror, quam Otho dedit Stephano uxorem; eodem teste. Stephanus deinde, debellato Gicila, Transsylvaniae Principe, avunculo suo, regnum ejus ad Christianismum violenter traxit a. 1002., ut tradit Chronographus Hildensheimensis, ad eum annum. Plura vid. apud Bonfinium Hist. Hungar. decad.

II. lib. I. Ceterum fuit Stephanus valde superstitiosus, et Ecclesiae Romanae devotus, cui etiam regnum censuit offerendum, nec non Virgini Dei-genitrici, cui Ecclesias dedicavit. Unde, sicut Reges Galliae reges *Christianissimi*, ita Hungariae dicti sunt *Apostolici.*

§. DXXVIII. Denique propagatus est et confirmatus Christianismus in *Dania* et *Suecia.* Rege Danorum Haraldo victo ab Othone I., regnum ipsi redditum est, sub conditione ut fidem susciperet, quod praestitit, baptizatus cum uxore Gunnild, et filio parvulo, ut narrat Adamus Bremens. et Helmoldus in Chron. Slavorum lib. I. Accidit a. 949. Sed multum eo contulit Adaldagus, Archiep. Hamburgensis, qui omnium primus in Dania ordinavit Episcopos, quando tres Episcopatus sunt erecti, teste Adamo Brem. Nec tamen aeque feliciter hoc negotium continuavit. Sueno enim, Haraldi filius, in Patrem rebellis, religionem Christianam, quippe Danis exosam, ejuravit, et profligare instituit, maxime post patrem occisum, a. 980., quando haud levis corripuit Christianos persecutio. Vid., praeter Adamum, et Helmoldum, Saxo Grammat. l. X. Sed postea, ab Erico, Rege Suecorum, expulsus, cum in Anglia diu esset vagatus, et multa patrasset mala, in regnum redux, ad saniorem mentem conversus est, et fidem adoptavit Christianam, pacto inito cum Olapho, qui, Herici filius, regnum Daniae occupaverat de novo, et Suenonem restituerat, ut Christianismum in regnis suis firmarent, etiam in exteras effunderent regiones; ut habet Adamus Brem. l. II. c. 28. Accidit a. 994. Illud addo, ad Christianismi propagationem multum contulisse, ut fertur, et ex Witichindo, Ditmaro, ac aliis, narrat Crantzius Daniae l. IV. c. 20., indigenam aliquem Popponem, cum ad candentis ferri tactum manus ejus viderent barbari intactas. Praestitit itaque, ut ex dictis patet, sese in Christianismi propagatione insignem Olaphus, Sueciae rex, quod et alter Olaphus, vel Olaus, Norvegiae Rex, hoc ipso tempore fecit,

a quo Episcopi et Presbyteri missi sunt in Sueciam, Gotthiam, et vicinas insulas, ad fidem disseminandam; teste Adamo Brem. l. II. c. 4. Inter quos praeclarus fuit Sigfridus, qui in Norvegiam venit post a. 1015., et in Sueciam ante ann. 1028. Fuit autem Olaus, Erici filius, primus Suecorum Regum, qui Christianismum publice professus est, adoptato *Jacobi* nomine. Vid. Crantzius Sueciae lib. V. c. 10.



SECULUM UNDECIMUM.

SCRIPTORES ET STUDIA.

§. DXXIX. IN Oriente prae reliquis excelluit, ideoque ante omnes memorandus, *Michael Pſellus*, ex Conſulum ac Patriciorum familia, ipſo in hiſtoria ſua teſte, oriundus, a. 1020. natus, inclaruit maxime medio ſeculi. Quinquennis Praeceptori traditus eſt, et ab eo tempore ſtudiis ſemper incubuit, ſumma cum aviditate, nihilque, cum aetatem adtigit grandiorem, reliquit in quovis ſcientiarum genere intactum. Adhibitus quoque eſt ad praeclara negotia. Legatione, cum aliis, functus eſt ſub Michaele Stratiotico ad Iſaacum Comnenum, ut rebelles in ordinem cogerentur. Ipſe etiam Iſaacius, Michaelem Cerularium de ſede deturbaturus, Pſelli in primis uſus eſt opera, qui, habita oratione, eum variorum criminum egit reum. Michael quoque Ducas ejus inſtitutioni et curae commiſſus eſt, ejus etiam ope in thronum evectus: ſed, eo inde dejecto, et Nicephoro Botoniate ſuffecto, Pſellus, dignitatibus ſpoliatus, in monaſterium ſeceſſit, ubi mortuus eſt, incertum quo anno. Accenſetur quoque Eccleſiae Latinae oppugnatoribus, ut ex Joſepho Methonenſe obſervat Leo Allatius in *diatriba* de Pſellis, quae etiam apud Fabricium Bibl. Gr. vol. V. exſtat, unde vitae et ſcriptorum Pſelli notitia petenda eſt uberior. Inter opera ejus, quae de omni fere ſcibili agunt, in noſtrum maxime uſum notari merentur,

rentur, *dialogus* de operatione daemonum, a Gualmino editus, in quo Angelis subtiliora, daemonibus crassiora, adtribuit corpora, et de daemonum varias in formas mutationibus, passionibus, et operationibus, satis imaginarie disserit, *oratio panegyrica* in Simeonem Metaphrastem, a Leone Allatio de *Simeonis* scriptis vulgata, si modo ejus sit, et non senioris Pselli sec. X., *libellus* de septem Synodis Oecumenicis, a Bosqueto in lucem emissus, *doctrina* omnifaria capitibus 94 ad Michaelem Ducam in Bibl. Gr. Fabricii vol. V., cujus undecim prima capita sub titulo *capitum Theologicorum* primus edidit Joh. Wegelinus. Hinc vero optime petitur doctrina Ecclesiae Orientalis de praecipuis Theologiae capitibus.

§. DXXX. Dignus est, qui ei adjungatur, praeclarus quoque autor, *Theophylactus*, Achridis in Bulgaria Archiepiscopus, qui sub Michaele Duca, Nicephoro Botoniate, et Alexio Comneno, ut ex Epistolis ejus eruit Baronius, in primis floruit circa a. 1072. Opera ejus sunt, commentarii in XII. Prophetas, quorum quatuor, scilicet Habacuk, Jonas, Nahum, et Hosea Latine prodierunt, dein in Euangelia, Acta, et Epistolas Paulinas, Graece et Latine, ubi Joh. Chrysostomi insistit vestigiis, *Epistolae* 75, a Meurs.o primum editae, *Institutio regia* ad Constantinum, Michaelis Ducae filium, Graece et Lat. in Inperio Orient. Bandurii tom. I., *homilia* in adorationem crucis, apud Gretserum de Cruce tom. II., denique excerptum, argumenta continens de processione Spiritus S. contra Latinos, in Allatii Graecia Orthodoxa tom. I. Praeter hos celebre etiam nomen nactus est *Nilus*, Doxopatrius Archimandrita, per librum, rogatu Rogerii, Siciliae Regis, scriptum, de *Majorum Patriarcharum* sedibus, in quo de quinque thronis Patriarchalibus, iisque subjectis Archiepiscopis, Metropolitis, Episcopis etc. luculenter disserit, apud Moyne in Var. Sacr. tom. I.

§. DXXXI. Inter Historicos, qui nobis [illegible] praestant, primum

primum meretur locum *Georgius Cedrenus*, autor Chronici a Mundo Cond. ad a. 1077., de quo vid. Leo Allatius de *Georgiis*; sed est scriptor credulus et superstitiosus: quem compilavit et continuavit *Johannes Scylitzes*, Curopalata; addita historia sui temporis, ab Inperio Isaaci Comneni a. 1057. usque ad Alexium Comnenum, a. 1081. Sunt quidem, qui, Cedrenum ex Johanne sua sumsisse censent, sed Johannes post Cedrenum scripsit, et eum continuavit; laudat quidem Cedrenus Johannem Protovestiarium, cognomento Thracesium, unde multa hausit, unde forte nata est opinio, eum Johannem Scylitzen descripsisse, sed illi diversi sunt. Floruit etiam *Johannes Xiphilinus*, celebris Dionis Cassii epitomator, non Patriarcha CPolit., ut multis fuit visum, sed fratris ejus filius, ut ipse in vita Augusti refert: quod a Cave jam est occupatum, de *Script. Eccles.* Ceterum Dionem non ita in compendium redegit, ut non aliquando suppleat, aut emendare instituat, ex Plutarcho, Eusebio, et Quadrato. In eo autem male egit, quod tempora per Consules neglexerit notare. Supersunt alia quaedam opuscula, ejus nomen praeferentia, ut homilia in crucem apud Gretserum, ubi opem crucis inplorat, etc. Ceterum quam alienus ab omni violentia in causa religionis fuerit, ex eo patet, quod, verba Christi exponens, *qui voluerit post me venire* etc., adserat, Christum, hoc dicendo, neminem cogi voluisse, sed spontaneam exegisse obedientiam. Omisi, non negligendum, *Leonem Grammaticum*, qui Praefectus et Dux Cibynotarum fuit. Scripsit Chronographiam ab a. 813., quo desinit Theophanes, ad a. 1013., quo floruit.

§. DXXXII. Reliqui Scriptores Graeci, si qui sint, cum in historia Schismatis Graecorum sub manus venient, ad Latinos pergo, quorum ingens hoc seculo fuit copia, quam variae lites in causa Berengariana, Henrici IV. contra Gregorium VII., et schismatis Graecorum, produxerunt: de quibus postea suo loco erit agendum. Sed praeter hos fu-

 erunt

erunt alii, haud exiguo quoque numero, qui de variis scripserunt materiis, ad Theologiam et Script. pertinentibus, canones et consuetudines Ecclesiae collegerunt, vitas sanctorum concinnarunt, et historiam condiderunt; ordine, quantum instituto convenit, recensendi. Inter primi generis scriptores eminent Fulbertus, Petrus Damiani, Lanfrancus, Anselmus, et Hildebertus, qui nobis innotescere debent. *Fulbertus*, patria Romanus, vel Italus, ut ex quadam ejus epistola colligit Mabillon. Analect. Vet. p. 232., fuit scholae Carnotensi praefectus, vid. Launoius de scholis c. 40., dein Capellanus, denique Episcopus Carnotensis ab a. 1007., absque ut a docendo cessaverit. Vir fuit pro eo tempore doctus, et scholam illam reddidit celeberrimam, ita ut Adelmannus in epist. ad Berengarium ei nomen Academiae dederit. Prodierunt ex ea multi viri celebres, Odelbertus, Angelramnus, Adelmannus, Berengarius, et alii. Vid. Adelmanni rythmi alphabetici de *viris illustribus* sui temporis, in Analect. Mabillon. Mortuus est a. 1028., ad quem annum exhibet ejus epitaphium Pagi ad Baron. Opera ejus, in Bibl. Patr. obvia, sunt Epistolae, Sermones, Canones, Hymni etc. Epistola vero ejus, de rebus Ecclesiae religiose et caute distribuendis, exstat in Spicileg. Dacheriano tom. III., et contra milites Episcopos apud Martene in Thesauro tom. I. Vita Autberti, Episcopi Cameracensis, apud Surium Mens. Decembr.

§. DXXXIII. *Petrus Damiani*, a fratre Damiano ita dictus, ut Eusebius Pamphili ab amico Pamphilo, bene a Petro de Honestis distinguendus, qui regulam Canonicorum obtulit Paschali II., quae tom. IV. Oper. Damiani subjuncta est, floruit circa medium seculi. Fuit autem ordinis Monachorum *S. crucis Avellanae*, et monachos suae congregationis docuit, dein etiam Monachos *Pomponiani* monasterii, in ducatu Ferrariensi, postea Abbas: sed inde abstractus, factus est, licet invitus, Episcopus Ostiensis, et Cardinalis, (Ostiensis enim episcopus erat primus Cardinalium) a. 1058.

Obtulit

Obtulit quidem a. 1059. libellum Nicolao, ut ab eo munere liberaretur, sed votorum non tantum compos non est factus, verum difficillimis a Papa admotus negotiis. Est enim eo ipso anno legatus ad Ecclesiam Mediolanensem, cujus Guido erat Archiepiscopus, ut eam a Simoniaca labe et Nicolaitarum spurcitie, sive conjugiis Clericorum, purgaret, eoque praetextu sedi Romanae subjiceret. Restiterunt in initio vehementer Clerici, se a Simonia inmunes professi, et coelibatus legem, tanquam non ferendam, damnantes, et contra Romanae sedis usurpationem protestantes, sed postea succubuerunt. Exstat legationis relatio in Damiani epist. ad Hildebrandum Archidiaconum. Postea, cum dissolutos Clericorum mores tolerare non posset, eremi quoque ferretur desiderio flagrantiore, sese munere abdicavit, et in eremum fontis Avellani secessit a. 1061., permissu etiam Papae Alexandri II. Nec tamen quiete ipsi licuit frui, ad varias rursus legationes obeundas coacto. In Galliam ablegatus, causa Cluniacensis monasterii, in quod Drogo, Matisconensis Episcopus, in cujus erat dioecesi, jus sibi vindicare coepit, contra sedis Romanae privilegia, Synodo Cabillonensi coacta a. 1063., cui tanquam Legatus Papae praesedit, monasterii libertatem firmavit, et omnem finivit litem, ut Synodi acta tradunt. Mox ad Florentinam Ecclesiam, ut schisma inter Episcopum et Monachos componeret, legatus est. Accusabatur Petrus, Episcopus Florentinus, non tantum Simoniacae haeresios a Monachis, sed ab ipso etiam sese separarunt, idque ab omnibus fieri debere clamarunt, ejus sacramenta et benedictiones esse nihili, quin maledictiones, contendentes, licet Episcopus nondum esset ab Ecclesia condemnatus. Tantum vero afuit, ut animos sedaverit, uti ipse in opusculo 30 *de sacramentis per inprobos administratis* deducit, ut Monachi, ejus reprehensione spreta, Romam profecti, Episcopum coram Papa accusaverint, et causam obtinuerint, Petro Monacho per ignem illaeso transeunte, qui inde Petri *igni* nomen tulit,

tulit, postea etiam Episcopus et Cardinalis factus. *Episcopus* vero Florentinus in Synodo Romana contra Simoniacos est depositus. Deinde ad Henricum, Germaniae Regem, qui Berthae reginae meditabatur repudium, a Papa missus a. 1069., facinus illud inpedire scivit, Principibus ipsi opem ferentibus: ut Lambertus Schafnaburg. ad a. 1069. narrat, qui Petrum adpellat *virum aetate et vitae innocentia admodum reverendum.* Denique cum Henricus, Ecclesiae Ravennatensis Episcopus, ob denegatum Romanae sedi obsequium, esset cum Ecclesia sua excommunicatus, eo post mortem Episcopi missus a. 1072., Ecclesiam vinculo anathematis solvit, et Romanae sedi reconciliavit. Quo facto, brevi mortuus est. Vitam ejus conscripsit Johannes Laudensis, discipulus ejus, quae superest. Opera vero, quae 4. vol. in Folio prostant, continent Epistolas, sermones, vitas sanctorum, multaque opuscula, ad disciplinam Ecclesiasticam, et vitam monasticam, pertinentia. Sed in illis tomis desideratur notabilis ejus liber de *correctione Papae, et Episcopi*: quem post alios exhibet Goldastus de Monarchia etc. tom. II. Prostat tamen inter epistolas lib. I. epist. ad Alexandrum Papam, qua duos reprehendit satis usitatos abusus in Curia Romana, *unum*, quo omnibus fere Decretalibus inseritur *anathema*, hominesque severius ob humanam legem, quam divinam, violatam puniuntur, *alterum*, Clericos et Laicos inpediri vitia Episcoporum suorum taxare. Cujus epistolae forte fragmentum est liber memoratus apud Goldastum. Ceterum fuit vitiorum sui temporis acer et liber censor, vitae monasticae, et antiquae Disciplinae, rigidus sectator, erga Mariam vero valde devotus, et in visionibus credendis facilis, uti ex gr. l. IV. ep. 7. Denique declaravit, epist. ad Petrum Episcopum, occasione belli a Papa Leone IX. contra Normannos gesti, scripta, bellum genio Christianismi adversari, nec esse contra haereticos, aut fidei propagandae causa, permissum.

§. DXXXIV. *Lanfrancus* Papiensis, ex causidico mona-

chus,

chus, et Prior Beccensis in Normannia, inde Abbas Cadomensis in Gallia, denique Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, a. 1070. celebre acquisivit nomen; inter alia 1. per controversiam Berengarianam, fuit enim acerrimus Berengarii adversarius. 2. Per lites cum Toma, Eboracensi Archiepiscopo, de primatu sedis, Cantuariensi adjudicato in Synodo Anglicana a. 1072., ut refert Malmesbur. de *gestis Pontificum*. Superfuit usque ad a. 1089. Vir fuit in dialecticis et Ecclesiasticis studiis probe versatus, qui etiam ad studia promovenda multum contulit. *Virum antiquis scientia et religione comparandum* eum adpellat Gulielmus Malmesbur. *de gestis Anglorum* lib. III., *de quo serio dici potest, tertius e coelo decidit Cato* etc. Disciplinae et vitae monasticae instaurandae in primis operam dedit. Scripturas, vitio scriptorum corruptas, emendavit, teste Milone, cantore Beccensi in ejus vita, sed *secundum Orthodoxam fidem*. Opera ejus edidit Dacherius cum notis in Fol., suntque praecipua, *commentar. in* Epistolas Pauli, cum glossa interlineari, liber de *corpore et sanguine Domini*, contra Berengarium, *Epistolae* plurimae etc. Sed exstat quoque *sermo* ejus apud Dacher. in specilegio tom. I.

§. DXXXV. Celebrior adhuc fuit *Anselmus*, successor ejus in prioratu Abbatis Beccensis munere, et ipse Archiepiscopus Cantuarensis, ab a. 1093., cujus vitam conscripsit Eadmerus. Acerrimae ei lites fuerunt cum Gulielmo, Angliae Rege, primum de *Pallio*, quod Anselmus a Papa Urbano petiit, renitente Rege, in Guiberti partes propensiore, dein, hac re composita, et *pallio* Cantuariae recepto, a. 1095. acerbius longe erupit bellum, causa depraedationum rerum et bonorum Ecclesiasticorum, quas instituit Rex. Qua durante contentione, Anselmus per repetitas petitiones licentiam tandem a Rege impetravit eundi Romam. Quod iter peregit a. 1098., et a. 1099. interfuit concilio Romano Urbani Papae, eumque ab excommunicatione Gulielmi, quam jam decreverat Papa, prohibuit. Postea ab Henrico, Gulielmi

elmi successore, revocatus, in novas incidit controversias cum Henrico, causa homagii Regi faciendi, et Archiepiscopatus de manu ejus recipiendi, quod recusavit Anselmus: praeterea propter investituras per baculum et annulum, quas Rex, repugnante Anselmo, a. 1100., et ad Papae decisionem provocante, sibi vindicabat, et in ea sententia perseveravit, non obstantibus litteris Papae, quibus Investiturae adimuntur Regi. Imo Anselmo, nisi Regi obediret, minatus est exilium, a. 1101. Habitum dein est a. 1102. concilium Londinense, praeside Anselmo, et praesentibus Regni Proceribus; in quo de coelibatu Clericorum praecipue actum, et decretum est, ut nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus, uxorem ducat, vel ductam retineat. Contentio vero de Investituris componi non potuit, Anselmo contendente, fieri id, sine Ecclesiasticae potestatis praejudicio, non posse, dum lis ea Romae penderet. Petiit itaque Anselmus denuo Romam, judicium Papae, cui utraque pars rem commiserat, requisiturus, a. 1103., quando Investiturae regiae rursus damnatae sunt. Quo facto, Anselmus, Regis iram veritus, Lugdunum secessit, ibique 16 mens. haesit, ab a. 1104., donec, ope Adelae, Comitissae Blesensis, concordia est inita, decreto facto, ut de controversiis, quae supererant, Romam mitterentur nuncii: quod a. 1105. factum est. Tandem perfecte inter Regem et Anselmum convenit, omnesque sopitae sunt lites a. 1107., habito concilio Londinense: quatenus Rex investiturae Episcoporum et Abbatum renunciavit, relicto ipsi homagio, ab Episcopis faciendo, Episcopis quoque antea a Rege investitis, denuo ab Anselmo ordinatis. Ex quo firma fuit et durabilis pax, Anselmus vero totus in Clericorum conjugiis eliminandis, quae etiam in concilio Londin. a. 1108., Regia accedente autoritate, sub gravi poena sunt vetita. Defunctus est Anselmus a. 1109., multis relictis opusculis, quae optime sunt edita a Gabriele Gerberonio, et dein cum novo supplemento repetita in Fol. a. 1721. Sunt varii

gene-

generis, praecipue Theologici et Practici, uti de *Trinitate* contra Roscelinum, Petri Abaelardi magistrum, qua Tritheitam, de *processione* Spiritus S. contra Graecos, de *casu Diaboli*, ubi de origne mali agitur, de conceptu *virginali*, et peccato *originali*, de voluntate Dei, libero arbitrio, praedestinatione, et gratia, de corpore et sanguine Domini, de azymo et fermentato contra Graecos etc. Explanationes vero in Matthaeum, Canticum Canticorum, Apocalypsin, et Epistolas Pauli, non sunt Anselmi, nec hujus seculi: in Epist. Pauli autorem habent Hervaeum, monachum Dolensem, et in Cant. ac Apocal. Anselmum Laudunensem, sec. seq. Inter additamenta vero Anselmi comparent, praeter Eadmeri opera et alia, etiam Gisleberti seu Gilberti, Westmonasteriensis Abbatis ab a. 1084., disputatio Judaei cum Christiano, quae alias nota est sub titulo *altercationis Synagogae et Ecclesiae*, cujus autor est, fatente Trithemio, hic Gilbertus: qui liber postea usui erit.

§. DXXXVI. *Hildebertus* ex magistro scholarum, et Archidiacono, Episcopus *Cenomanensis* ab a. 1097., dissolutioris censetur et minus pudicae vitae ante Episcopatum, cum, quod Ivo Carnotensis in epistola ad eum recens electum, apud Baron. a. 1088., illud tradat, tum, gesta Cenomanensium Episcoporum cap. 35., in Analectis Mabillonii, id innuere videantur. Sed epistolam Ivonis vel esse spuriam, vel, si genuina esset, fide indignam, quippe durante dissidio de Episcopatu ab adversario scriptam, disputat Beaugendre, in vita, operibus ejus praemissa, nec gesta Cenoman. vitam ejus dissolutam clare significant, ipsum quoque propter scientiae et honestatis suae meritum factum esse Episcopum, tradunt. Referunt tantum, ipsum Episcopum factum, cum metueret, *ne caro, more suo semper adversus spiritum concupiscens, vigorem spiritus sui blanditiis emolliret, corpus suum coepisse domare jejuniis etc.*, praeterea, *si quae fuerant juventutis delicta, eleemosynarum largitione redimere.* Initio Episcopatus varie est a Gulielmo II., Angliae Rege, civitatem

Cenomanum, et provinciam illam, tanquam Normanniae adpendicem, per vim sibi subjiciente, vexatus, a. 1099., ut habet autor Chronol. Saxonicae, et ipse ep. 20. ad Paschalem II. testatur, praeter *gesta* modo citata. Multum dein ipsi fuit negotii cum aliquo, sic dicto, haeretico Henrico, quem dioecesi sua expulit, ut Gesta illa referunt. Denique Turonensis factus est Archiepiscopus a. 1115., et a. 1131. mortuus. Laudatur tanquam *magnus Sacerdos et excelsus*, ac *Ecclesiae columna*, a Bernardo ep. 124., nec non a Goffrido Vindocinensi Abbate, cujus aliquae ad Ipsum exstant epistolae. Praeterea Berengarii fuit discipulus, et laudator, in quem magnificum scripsit epitaphium apud Baron. a. 1088., nec ab ejus sententia censetur alienus fuisse, de quo postea, quicquid contra disputet Beaugendre, qui, ipsum vocabulo *Transsubstantiationis* usum fuisse primum, quoque notavit. Scripsit haud pauca, tam versu, quam prosa; quae novissime in lucem dedit Beaugendre, e congregatione S. Mauri, in Fol. Antea nonnulla ediderat cum notis Hommey in *Supplemento Patrum*. Ex epistolis ejus nonnullae reperiuntur in adpendice *fasciculi rerum expetendarum et fugiendarum*: tres ejus *chartas* produxit Baluzius Miscell. tom. VII., et epistolam ad Reginoldum, Monachum Cantuariens., Mabillon. in Analectis, ubi etiam ejus prologus in vitam Radegundis Reginae exstat. Denique Flaccus Illyr. quaedam, in *Catalogo testium veritatis* lib. XIV., protulit ex ejus epistolis de *corruptione Romanorum*, et conrra *adpellationes* ad aulam Papalem; quae legi merentur. Notabile est ejus distichon de Papa, et ejus curia, ibi obvium, et in poemate ejus de urbe Roma apud Hommey.

Urbs felix, si vel Dominis urbs illa careret.
Vel Dominis esset turpe, carere fide.

Denique observatu non est indignum, ipsum epist. V. viduae gratulari, quod Christi sepulchrum neglexerit visitare, e...

melius

melius dicens, Christi crucem in monasterio tollere, quam ejus sepulchrum invisere, *ut efficiamur*, inter alia inquiens, *discipuli Christi, bajulare monemur ejus crucem, non quaerere ejus sepulturam.* Sic et Comiti Andegavensi dissausit ep. XV. *peregrinationem* ad Jacobum Apostolum in Hispania, tanquam non necessariam aut utilem.

§. DXXXVII. Missis aliis, et verbo memorato *Brunone*, Herbipolense Episcopo, cujus exstant commentar. in Psalmos, et reliqua Script. S. cantica, in Symbola Apostolorum, Athanasii, ac Ambrosii, in Bibl. Patrum tom. XVIII. sed quae est antiquorum Patrum compilatio: ad *Canonum* collectores accedo: quorum duo fuerunt hoc seculo celebriores, Burchardus et Ivo Carnotensis, qui ignorari non debent: unde disciplinae Juris Canonici primordia ducuntur, quam sec. XII. Gratianus in scholas introduxit. *Burchardus* seu Brocardus, Hassus, primum Lobiensis Monachus, in dioecesi Leodiensi, dein Wormatiensis Episcopus, a. 1008. adjutus ab Olberto, Abbate postea Gemblacense, decem composuit *tomos decretorum*, ex Scriptura S., conciliis, scriptis Patrum, et Epistolis Decretalibus, sed spuriis, collectos, missis capitularibus, quippe quibus eum uti noluisse, observavit Baluzius ad Gratianum, ubi etiam, et ad Reginonem, adnotat, eum ex Reginone pleraque compilasse. Integrum hoc opus adhuc desideratur, sed lucem vident excerpta, in 20 libros divisa, quorum argumenta, praeter alios, exhibet Mastrichtus Instit. Jur. Eccles. §. 251. Statuta vero canonum de *officio sacerdotum*, ab anonymo ex Burchardi libris collecta, edidit Canisius Antiq. Lect. tom. III.

§. DXXXVIII. *Ivo* primum fuit Abbas S. Quintini, ad moenia Bellovacae urbis, quae Abbatia a. 1067. fundata est, dein Episcopus Carnotensis a. 1090., non ab Archiepiscopo suo, qui recusavit, sed a Papa, ordinatus, ut ex litteris Ivonis et Urbani II. patet, apud Baronium ad a. 1092. Cui ordinationi sese Archiepiscopus ejus Senonensis frustra

oppofuit, Synodo coacta Stampis, oppido inter Parifios et Aurelianos a. 1092., Ivone quippe ad fedem Romanam adpellante. Mox, cum Philippi regis nuptias damnaret, in carcerem a Vice-Comite Carnotenfi conjectus eft, a. 1092. fed brevi liberatus, intercesfione Cenomanenfis Epifcopi, et Urbani Papae, qui minas quoque excommunicationis addidit. Nonnulla ad Ivonis vitam, adque caufam inprobati conjugii Philippi, pertinentia, haud exigui momenti, habet Blondellus de formula *Christo regnante* p. 93. Mortuus eft Ivo a. 1117., ut probat Pagi ad Baron. Vitam ejus a Joh. Frontone, qui fec. XVII. floruit, defcriptam exhibet, poft alios, Fabricius, ad calcem editionis fuae *Epiftolarum et differtationum* Frontonis. Praeter Epiftolas et Sermones de Ecclefiafticis facramentis et officiis, celebrem fefe praecipue reddidit per *Decretorum* collectionem, cum minorem, quae *Panormia* dicitur, tum majorem, quae decretorum, vel regularum Ecclefiafticarum, *exceptiones* adpellantur. Panormiae enim non effe alium autorem, feu Hugonem Catalaunenfem, ut multi opinantur, fed Ivonem, demonftravit Baluzius in praef. ad Auguftinum de *emendatione Gratiani.* Sed eft quoque Ivo *Micrologi* autor, ut obfervavit Warton in *auctario* ad Script. Vernaculas Ufferii. Exftat in Bibl. Patrum tom. XVIII., ubi de ritibus miffaticis, aliifque Ecclefiafticis, eorumque fignificatione myftica, differitur. Inter Epiftolas vero ejus, quae multa continent ad difciplinam et partem moralem pertinentia, una et altera, quoad fcopum noftrum, magis eft notabilis, ut de *Inveftitura* Epifcoporum et Abbatum, apud Goldaftum in Apologia pro Henrico IV., et de *corpore et fanguine Domini*, in Bibl. Patr. Denique fcripfit quoque, modo ejus fit, breve Chronicon Regum Francorum ufque ad Philippum I. Ceterum edidit Opera Ivonis Joh. Baptifta Sauchetus in Fol.

§. DXXXIX. Praeter hos canonum quoque *collectionem* dedit *Anfelmus Lucenfis*, quae utramque fere paginam facit in *emendatione* Gratiani. Sed inferuit fuae collectioni omnes fere

fere Pseudo-Isidori Epistolas, in partes laceratas, quod verbo tetigisse suffecerit: propero enim ad *Historicos*, quorum magna est seges, et praecipuos recensebo. Initio seculi scripsit *Ademarus*, primum Lemovicensis, dein S. Eparchii Engolismensis Monachus, *Chronicon Aquitanum*, ab initio Monarchiae Francorum ad a. 1027., quo Alphonsus, Rex Legionensis in Hispania, mortuus est, editum a Labbeo tom. II. Biblioth. novae MSS., ubi etiam reperitur ejus commemoratio tredecim Abbatum Lemovicensium Basilicae S. Martialis Apostoli, ad a. 848. Denique acrostichon ejus edidit Mabillon. in Analectis, et Epistolam de Apostolatu Martialis Lemovicensis Baluzius, una cum Sermonibus, in concilio Lemovicensi a. 1029., ea super re coacta, habitis. *Hermannus Contractus*, a membrorum debilitate, qua laboravit ab infantia, ita dictus, filius Comitis Voringensis et Sulgoviensis in Suevia, et Augiae Majoris, Ordinis Benedictin., Monachus, a. 1054. defunctus, autor est Chronici de *Sex mundi aetatibus*, a M. C. ad a. 1054., editi a Canisio Lect. Antiq. tom. III., additis quoque ejus continuationibus, novissime inter scriptores Germanicos Pistorii tom. I. ex editione Struvii. Fuit vero, teste continuatore, vir *omnes tunc temporis viros sapientia et virtutibus praecellens.* Alia ejus opéra praetereo. *Dithmarus*, ex illustri comitum Saxoniae familia ortus, Episcopus Martisburgensis ab a. 1008., insigne condidit Chronicon, gesta Henrici I., Othonum trium, et Henrici II. complexum, ad historiam hujus temporis utilissimum, novissime editum tom. I. Scriptorum Brunsvicensium Leibnizii. *Glaber Radulphus*, coenobii Autissiodorensis, et dein Cluniacensis, Monachus, historiam conscripsit Francorum ab a. 900. ad 1046., primus inter undecim Scriptores Francorum, quos edidit Pithoeus. Vitia Cleri sui temporis publicavit, et, *Papam in aliena dioecesi nihil posse plusquam ceteros Episcopos*, statuit lib. II. c. 4. *Sicut enim*, ibi inter alia inquit, *unusquisque orthodoxae Ecclesiae Pontifex, ac sponsus propriae sedis, uniformiter speciem ge-*

rit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit, quippiam in alterius procaciter patrare Episcopi dioecesi. Quousque Glaber, historiam de gestis Episcoporum Leodicensium pertexuit *Anselmus*, Leodicensis Episcopus, ad a. 1049., editam a Chapeavillo.

§. DXL. *Marianus Scotus*, a Patria sic dictus, fuit enim Hibernus, in variis Germaniae Monasteriis, ut Coloniae, Fuldae, Moguntiae, Ratisbonae, versatus, concinnavit Chronicon a M. C. ad a. 1084., inter scriptores Germaniae Pistorii, ne alia ejus opera memorem. Scripsit quoque Chronicon *Bertoldus*, Constantiensis Presbyter, ab a. 1054., ubi Hermannus Contractus desinit, usque ad a. 1100. ab Urstitio editum, inter scriptores rerum Germanicarum; continuatio vero Hermanni usque ad a. 1066. exstat in Antiq. Lection. Canisii tom. III. Fuit acerrimus Henrici partium adversarius, si, ut putatur, idem sit ac Bernaldus, Presbyter Constantiensis, cujus opuscula pro Gregorio VII. edidit Gretzerus, et de vitanda excommunicatorum societate Tenangelius. Eximius vero historicus est *Lambertus Schafnaburgensis*, a patria denominatus, Monachus Hirsfeldensis in Buchonia sylva, et Presbyter a Lupoldo, Archiepiscopo Moguntino, ordinatus: qui, peregrinatione Hierosolymitana, quam magis *Zelo Dei*, quam *secundum scientiam*, a se susceptam fatetur ipse ad a. 1058., peracta, in monasterium redux, egregium condidit monumentum, *historiam Germanorum*, sive Chronicon a. M. C. ad a. 1077., brevissimum ad a. 1050., inde prolixius. Propensior licet in partes Gregorii VII., furtivos tamen ejus amores non tacuit. Solet autem Germaniam, quod notandum, passim Galliae nomine insignire, et in Chronologia pro exactiore habetur. Exstat etiam inter scriptor. German. Pistorii, ex edit. Struvii cum notis.

§. DXLI. Fidelibus quoque historicis adnumerari meretur *Adamus Bremensis*, Misenus quidem patria, sed Bremensis Canonicus ab a. 1067., autor *historiae Ecclesiasticae* lib. IV.,

IV., quibus propagationem Euangelii inde a Carolo M., seu a. 755. usque ad a. 1076., per partes septentrionales enarravit; cui libro subjunctus est de situ Daniae, et regionum trans Daniam natura. Optima editio est Lindenbrogii, repetita in sylloge scriptorum septentrionalium, eodem curante, et novissime Fabricio. De Adamo legi meretur Cl. Seelen Misc. p. II., qui glossarium vocum medii aevi addidit, quibus usus est autor. Seculo exeunte floruit *Sigebertus Gemblacensis*, in Brabantia Monachus, de quo gesta Abbatum Gemblacensium, apud Dacherium in Spicilegio, plura habent, acerrimus partium Inperatorum contra Papas defensor, qui et curiae Romanae decreta de coelibatu Clericorum damnavit. Concinnavit, praeter vitas Sigeberti, Francorum Regis, Guitberti, monasterii Gemblacensis fundatoris, et aliorum, duos utilissimos libros, *Chronicon* scilicet ab a. 381., ubi desinit Hieronymus, ad a. 1112., quod Robertus de Monte continuavit, inter scriptores German. Pistorii, quae continuatio etiam in adpendice operum Guiberti edit. Dacherii exstat, et praeterea de *Scriptoribus* Ecclesiasticis, qui liber novissime recusus est in Biblioth. Eccles. Fabricii. *Odorannus*, monachus Senonensis, chronicon reliquit ab a. 675. ad 1032., editum a Duchesnio tom. II. rerum Francicarum. Denique vixerunt hoc seculo Duumviri *Arnulphus* et *Landulfus*, qui historiam Mediolanensem conscripserunt, sed prior fidelius, uterque *incontinentiae* Clericorum, seu conjugatorum, patronus, et a curia Papali alienior; sed prior mentem mutavit. Exstant inter scriptores Italiae Muratorii tom. IV. Fuit etiam hoc seculo *Leo Marsicanus*, Episcopus Ostiensis, autor Chronici Casinensis, quod continuavit Petrus Diaconus, editum ab Angelo de Nuce cum notis; praemissa ipsius monasterii descriptione; recusum inter scriptores Italiae Muratoril, tom. IV.

§. DXLII. De *studiis*, ut illud catalogo scriptorum obiter subjungam, testatur Malmesburiens. de gestis Anglorum l. III., *litterarum et religionis studia obsolevisse*. Clerici enim,

a sec. IX. jacuisset, in O
dum et Ivonem in Occid
vita. In Italia quoque i
per Silvestrum Papam, et
qui, concilio Romae habit
copi artes litterarum in sui
ratae etiam sunt in non
quas eminet Mediolanen
viri docti. Vid. Murato
XLIII., ubi etiam in fin.
teris operam dantes, defeci
fabricas, inposturas, et q
aut supina nimis credulitas,
identidem excudebat. Quo
probat. Denique in Afric
roccanos per Jacobum M
Lusitanorum Principem.
tur. XI.

DOCTRI

§. DXLIII. De doctri

tio synagogae et Ecclesiae, ut et *tractatus Theologicus* Hildeberti Cenomanensis, cui adtribui solet, nec sine probabili ratione. Sunt quoque duo monumenta, quae *symbolorum* fidei speciem praeferunt, unum Leonis IX., ad Venetiarum et Istriae Episcopos, alterum Anselmi, in principio libri de *Processione* Spiritus S. Ex quibus omnibus manifestum est, nihil hac parte fuisse inmutatum. Trinitatem et Incarnationem professi sunt ut antea, repudiatis haeresibus antiquis. De *Praedestinatione* habet Leo IX., Deum praedestinasse solummodo bona, praescivisse autem mala, de *gratia*, eam praevenire et subsequi hominem, ita tamen, ut liberum arbitrium rationali creaturae non denegetur; de *anima*, eam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam, et absque baptismo peccato originali obnoxiam, denique de *Conciliis*, se *quatuor velut quatuor euangelia venerari*. Quibus in genere praemissis, nonnulla in specie, sed paucis, exposuisse, non erit abs re alienum.

§. DXLIV. Renovata est hoc seculo controversia inter Graecos et Latinos de *Processione spiritus S.* ex Patre Filioque, ut ex historia schismatis postea patebit. Contra Graecos hac de re scripsit Anselmus, lib. modo citato, et contra Latinos Theophylactus: ut in ejus vita narravi. Graecorum doctrinam clare expressit Michael Psellus in *doctrina omnifaria* §. 1, 10, et 11. dicens, Spiritum ἐκπορεύεσθαι *progredi ex Patre solo, et non Filio*, sed per Filium μεταδίδοσθαι *dari*. Circa *Trinitatem* Latini nimis subtiliter coeperunt jam philosophari, adeo ut substantialem personarum differentiam haud parum videri potuerint obscurasse; unde mox inter scholasticos nata est opinio de tribus subsistendi modis. Praeivit Anselmus in *monologio*, et in libro de *fide Trinitatis*. Thesin Roscelini, Clerici Compendiensis, quae habet, *in Deo tres personas esse tres res, unamquamque per se separatim, sicut tres Angelos, aut tres animas, ita tamen, ut potentia et voluntate omnino sint idem, ceteroquin, si unam dicatur eas esse rem, statuendum esse, Patrem et Spiritum S.*

cum Filio esse incarnatum; hanc, inquam, thesin refutat, simul ut impiam, et a Christianismo prorsus alienam, traducit l. cit., et l. II. ep. 41. ad Fulconem: sed ipse Tritheismo, quem Roscelino inputat, non tantum contradicit, verum personarum quoque realem differentiam auferre videtur. Admittit quidem *personarum* nomina, sed ea minus adcurata esse, et nimiam significare differentiam, indicat: vid. Monolog. c. 78. Ipse autem unam numero admittit substantiam, et tres personas de tribus subsistendi modis capit. Pater ipsi est Deus *memoria* praeditus, Filius idem numero Deus *intelligentia* plenus, Spiritus S. idem rursus Deus *se amans*, adeo ut Pater cum *memoria*, Filius cum *intelligentia*, Spiritus S. cum *amore* sui, comparetur: sic et Pater cum *fonte*, Filius cum *rivo*, Spiritus S. cum *lacu*, ita ut eadem sit aqua, diverso subsistens modo. Ceterum Anselmum a communi in eo tramite deflexisse, ipse innuit l. I. ep. 74. ad Raynaldum, nec non ep. 66. ad Lanfrancum: unde patet, multis, etiam Lanfranco, displicuisse nonnulla in *monologio*, ad hanc rem pertinentia. Utique Roscelinus ad Lanfrancum, ut secum una sentientem, provocavit, teste Anselmo ep. ad Fulconem: qui Lanfrancum defendit, et absolvit.

§. DXLV. Hildebertus quoque in tractatu Theolog cap. 4. Trinitatem interpretatur de *mente*, *sapientia*, *et amore* in Deo, ac cum mente nostra confert: insuper, nomina *personarum* minus apte adplicari Trinitati, existimat, cap. 6., si scilicet persona sit *rationalis substantiae individua natura*, quia *una* tantum in Deo est substantia, et *tres* tantum proprietates distinguentes. Denique ibid. cap. 7. refert, Trinitatem ad *potentiam*, *sapientiam*, *et bonitatem*, et cap. 8 personas et proprietates idem esse disputat. Serm. XXI., edit. nov., qui est *secundus* in *Quadragesima*, comparat Trinitatem cum tribus proprietatibus mentis, *memoria*, *intellectu*, *et dilectione*, quae tria in *una substantia sunt*, *cui substantialiter insunt*, *id est in mente*. Fulbertus denique Carnotensis, sermone

I. ad

I. ad populum, Trinitatem comparat cum *sphaera* solis, *claritate*, *et calore*, *cum mente*, *ejusque sapientia* et *amore*. Ita quidem Latini jam argutari coeperunt, sed Graeci in antiqua fide simpliciter continuarunt, esse tres hypostases, et unam essentiam, imo simile non refugerunt, licet non per omnia simile, hominum, unam participantium humanitatem; ut ex Michaele Psello l. cit patet.

§. DXLVI. Instituerunt porro de natura et necessitate *satisfactionis* Christi paulo adcuratius, et subtilius, differere nonnulli inter Latinos, quorum praecipuus est Anselmus in tractatu *cur Deus homo*. Cujus hypotheses, quae omnem merentur animadversionem, sunt sequentes. 1. *Satisfactio* ponitur in solutione debiti; quatenus homo, omnimoda obedientia, quam Deo ante lapsum *debebat*, neglecta, *poenas* debeat post lapsum, vel honoris Dei, qua Domini et Legislatoris, laesi, reparationem. 2. Fieri illa reparatio debet per quid *eximium* et *non debitum*, quo Deus in tantum honoratur, in quantum honor ejus laesus est, per quod itaque ad peccata remittenda, et vitam peccatori dandam, permoveri potest Deus. 3. Tale quid ab ipso homine praestari nequit, quia nihil habet, quod Deo non debet: poenitentia itaque, contritio, corporis adflictio, dolor, obedientia, eo nomine non sufficiunt. 4. Ne quidem ab ullo homine, qualiscunque sit, aut toto mundo, tale quid effici potest *a*. quia mundus tanti non est, ut ejus gratia aliquid faciam contra voluntatem Dei, ergo nec sufficit reparando, quod contra eam voluntatem factum est *b*. Deus ab homine honorandus est vincendo Diabolum, a quo se ad Dei contumeliam passus est vinci, et Deo reddendo, quod ipsi per peccatum abstulit, imo plus etiam, cui homo par non est. *c*. Quia liberati cedunt liberatori, et ejus servi fiunt: quale quid in solum hominem non cadit. 5. Liberator ergo, qui Deo satisfacturus est, *Deus* et *homo* sit oportet: homo enim peccavit, quare honor Deo est ab homine restituendus, sed simul Deus esse debet,

quia solus potest Deo illud eximium, et non debitum, offerre, Diabolum solus vincere, et liberatorum esse Dominus. 6. Christus itaque θεάνθρωπος homo-Deus illud praestitit, et Deo satisfecit, non per vitae sanctitatem, cum ad eam per se qua homo obligatus erat, sed per *mortem*, quam non debebat, quippe sine peccato, minus adhuc, qua *Deus* et homo, qui nihil habet mortale. 7. Est vero Deus per mortem ejus infinite honoratus α. quia vitae pretiosissimae, qualis est *Dei-hominis*, depositio est β. indebita γ. in honorem Dei, propter sanctitatem et justitiam, seu obedientiam Dei, ob quam occisus est a Judaeis; adeoque Deum ad mortem violentam usque honoravit, δ. denique, quia illustre praebuit mundo exemplum obedientiae, Deo ad mortem usque praestandae.

§. DXLVII. 8. Haec honoris Dei reparatio tanta fuit, et tanti valoris, Deoque tam grata, ut propterea cum homine in gratiam redire voluerit, modo ipse credat, resipiscat, et pie vivat. 9. Denique haec satisfactio fuit *necessaria*, quia scopo Dei in creando homine non conveniebat, mundum perire sinere, nec Deum sine honoris reparatione id facere decere. Additur, scopum Dei esse, per homines supplere numerum Angelorum lapsorum, vel ad perficiendam supernam civitatem, unde exciderant Angeli. Quae singularis quidem est opinio de Angelorum lapsorum numero per homines supplendo, nec tamen nova; cujus vestigium in Galli Sermone Sec. VII. jam exstat, apud Canisium Antiq. Lect. vol. I. p. 780., etiam apud vetustiores. Vid. Basnage in *praemonitione*. Hisce omnibus addatur, 10. hanc Christi satisfactionem pro sola causa fuisse habitam remissionis peccatorum, et vitae aeternae, repudiatis omnibus meritis propriis, modo vera adsit poenitentia, et pie vivendi studium. De quo luculenter constat ex Anselmi interrogationibus, morienti faciendis; quas Usserius de *Success. Eccles. in* Occidente cap. 7. exhibet, quaeque etiam in nova Anselmi editione reperiuntur p. 194., et omni adtentione dignae sunt. Ceterum, ubi

de

de meritis bonorum operum loquitur Anselmus, intelligit taliā, quae ex gratia habent remunerationem. Quam in rem egregius exstat locus in libro de *concordia praescientiae* Dei cum *libero arbitrio* etc., quaest. III. c. 3., ubi haec etiam occurrunt verba: *si autem voluntas per liberum servando arbitrium, quod accepit, meretur aut augmentum acceptae justitiae, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut praemium aliquod: haec omnia fructus primae gratiae, et gratia pro gratia, et ideo totum inputandum est gratiae* etc.

§. DXLVIII. De *Praedestinatione*, *gratia*, et *libero arbitrio* quae Latinorum fuerit doctrina, colligi ex Anselmo, de *concordia praescientiae*, *praedestinationis*, *et gratiae*, *cum libero arbitrio*, facile potest. Cujus hypotheses hae sunt. 1. *Praescientia* cum libero arbitrio recte consistit, quia non est causa futuritionis, sed praecognitio, qua id, quod libere futurum est, praevidetur. 2. *Praedestinatio*, quae ad malum aeque ac bonum est, sed ita, ut ad malum sit tantum permissio, eodem modo ac praescientia conciliatur cum libero arbitrio, quia in praescientia est fundata. 3. Gratia est et praeveniens, quae rectitudinem dat voluntatis, et subsequens, quae eam conservat et perficit. 4. Gratia illa non omnibus datur, sed quibus Deo placet, cujus ignota nobis est ratio; nec in eo est injustitia, cum nemo, nisi ob peccatum, damnetur. 5. Liberum arbitrium manet salvum, tum quod illud excitetur, et adjuvetur, non cogatur, tum gratiam adsumere quis queat, aut repellere, ea uti, aut abuti. 6. Rectitudinem voluntatis homo per gratiam quidem accipit, sed acceptam retinere potest per liberum arbitrium, omnesque superare tentationes, licet aliquando difficulter: cujus difficultatis respectu illud dicitur *inpossibile*, Vid. Dialogus ejus de *libero arbitrio* cap. 6. Ceterum, ut illud addam, Hildebertus in tract. Theolog. cap. 9. inter *praescientiam* et *praedestinationem* ita distinguit, ut *illa* sit de salvandis et damnandis, *haec* vero de solis salvandis; sitne autem haec ex praescientia non definit.

CULTUS.

§. DXLIX. De Sanctorum, reliquiarum, et imaginum cultu nihil admodum habeo quod observem, nisi quod magis magisque invaluerit, et superstitio nullum fere tenuerit modum, in earum translationibus, miraculis, visionibus, et fiducia in iis posita, ac precibus eo directis. Cujus rei pleni sunt Annales Baroniani. Singulare, et notatu dignum, est, reliquias et imagines fuisse jurejurando habitas efficaciores. Constantinus Dalassenus, vir magnae autoritatis, qui Michaelem Paphlagonem recusabat agnoscere Inperatorem, a Michaele dato juramento arcessitus, comparere noluit, sed cum Eunuchus Phagetzes ad eum accessisset, ferens *veneranda crucis ligna*, *et linteum Christi imaginem expressam habens*, *ac epistolam servatoris manu ad Abgarum scriptam*, *ac imaginem Deiparae*, *is*, *dicta acceptaque fide*, eum secum ad Michaelem perduxit. Vid. Cedrenus in *hist. commendio.* Narrat etiam ibid. in vita Michaelis, in publica processione, ad pluviam inpetrandam, gestatum esse *sacrum linteum*, *Epistolam Christi ad Abgarum*, *et sacras cunarum fascias.* In specie notari meretur, Mariae merita et intercessiones summum fere conscendisse gradum, licet inmaculata ejus conceptio nondum fuerit credita: quid? quod originali peccato eam fuisse infectam, diserte tradat Anselmus in tractatu, *cur Deus homo?* cap. 16., tantum Hildebertus inmaculatam ejus conceptionem insinuare videtur Serm. LXI. et LXIX. ac CI. De excellentia vero Mariae solus sufficit Eadmeri liber de ea, ad calcem Anselmi edit. nov., qui male est Anselmo inscriptus. Inter alia magnifica non tantum *Domina*, et supra reliquas creaturas evecta, adpellatur, sed et *Regina et Inperatrix* coeli et terrae, omniumque, quae in iis sunt, cap. 4., imo cap. 6. dicit, *velociorem nonnunquam fuisse salutem*, *memorato nomine Mariae*, *quam invocato nomine Jesu*: cujus rationem pandere conatur, salva Filii praeeminentia. Rursus cap. 7. habetur, eam post

Christum

Christum *dominari omni creaturae coelestium, terrestrium, et infernorum.* Magnifice etiam de *adsumtione* Mariae loquitur, cap. 8. Denique meritis Mariae adscribitur, quod Mediatorem sint consecuti homines. Claudit libellum oratio ad Mariam, qua, inter alia, habetur, *Filium esse promtum ad concedendum Mariae quicquid voluerit, et universam creaturam eam habere, et venerari, Dominam; imo, ut Dominus est mundi salvator, sic eam esse ejus reconciliatricem.* Ejusdem furfuris est alter libellus de *quatuor virtutibus Mariae*, ubi inter alia dicitur, *Deum non potuisse ex alia virgine nasci, quia nulla erat sanctior et dignior.* Quibus addo, moris jam fuisse, ad nomen Mariae auditum *genuflectere*: ut ex Hildeberto Serm. 59. patet. Quo in Sermone mirifice extollit Mariam, quam etiam corpore, et anima, coelo dicit esse adsertam, et super choros Angelorum tanquam Filio *consedentem* exaltatam. Marbodus, Episcopus Redonensis, de Roberto Abbate Casae-Dei in *ejus vita*, ad calcem Hildeberti Cenomanensis Operum edit. nov., refert lib. II., eum, inter alia de Maria magnifica, censuisse, *si quis vellet gratiam Christi promereri, ambiendum prius ad Mariam, velut alteram Dei mediatricem et hominum, quippe cui Filius secundas reconciliationis partes delegaverit, et eos ipse Patri commendet, quos sibi Genitrix propria commendarit.* Vid. etiam ibid. *historia Theophili metrica*, quae Marbodo adscribitur.

§. DL. Nec alium spirant genium Sermones Fulberti Carnotensis, ac orationes Anselmi ad Mariam et Sanctos, oper. p. 270. etc., ubi, quod notandum, aliquae occurrunt quoque ad *Crucem*, tanquam per quam *crux illa ad memoriam reducitur, in qua Dominus pependit*: dicitur inter alia, *suppliciter adoro crucem tuam, adoro Te in cruce, et crucem in Te*; praeterea, *adoro crucem propter pendentem in cruce*: denique saepe, *salve crux sancta, vita et salus mea, ave crux sancta*; imo, *salva me sancta crux: Jesu bone praesta mihi, ut per signum et reparationem sanctae crucis me liberes, peccata dimittas* etc. Denique preces *horariae*, quae vulgo

Officium Dei genetricis adpellantur, jam antea in claustris Monachorum usitatae, ut Bona de *divina Psalmodia* c. 12. probat, a sec. VIII. repetens, et nunc apud Eremitas instituitionis P. Damiani frequentiores, in publicum Ecclesiae usum sunt ab Urbano II. introductae, in concilio Claromontano a. 1095, ad promerendum Mariae auxilium in Expeditione Cruciata. Statuit igitur Papa, ut *horae beatae Mariae quotidie dicerentur*, *officiumque ejus diebus sabbati fieret*. Creditur etiam Urbanus autor *praefationis de beata virgine*, ut observat Bona rer. Liturg. l. II. 10. Meminit etiam hujus instituti Ptolemaeus Lucensis *in Annalibus* ad a. 1090., sec. XIV. scriptor.

§. DLI. Missis aliis ingravescentis superstitionis erga sanctos signis, uno *Martini* defungar exemplo, quippe in quo summum posuerunt praesidium; ut inter alia ex dialogo Hugonis Turonensis ad Fulbertum Carnotensem, in Analect. Mabillon. p. 213., patet, ubi narrat, *multorum millium captivas animas ab Inferis ad superiorem Hierosolymam nuper* per Martinum esse deportatas, alicui fuisse in visione revelatum. Declarat quoque Fulbertus, *sibi*, *post Deum*, *in Martino repositam esse maximam partem sperandae salutis*. Possem denique catalogum eorum texere, qui in album sanctorum relati sunt, fuerunt enim hoc et seq. sec. Canonizationes valde frequentes: sed illud tanti non est, ut ei inmorer. Illud adhuc observari meretur, inter Graecos sub Alexio lites fuisse ortas de cultu *imaginum*, in ipsis imaginibus terminando, nec ne? occasione, quod Alexius, pecuniae indigus, imagines sumserit argenteas, ad pecuniam inde conflandam. Cui se opposuit Leo, Episcopus Chalcedonens., contendens, imaginibus inesse internam sanctitatem, cujus causa ipsae sunt directa cultus objecta. Cujus rei causa habito CPoli concilio, res cum aliquo temperamento decisa est contra Leonem: quatenus agnitum est, imaginibus adesse aliquam gratiam divinam. In quo cum non acquiesceret Leo, in exilium fuit missus. Vid. Anna Com-

nena

nena Alexiad. l. V. et VII. Acta vero Synodi edita sunt a Montfalconio in Bibliot. Coislin.

§. DLII. De *partibus* cultus religiosi brevibus absolvam, cum hac parte pauca tantum occurrant hoc seculo instituta. 1. Officium *Gothicum*, alias Mozarabicum dictum, quod in Hispania, Gallia Narbonensi, aliisque Gothorum regionibus, diu obtinuit, abrogari fecit Alexander II. Papa, substituto ei Romano: uti factum est in Synodo Jaxae in Aragonia a. 1063., nec non in comitatu Barcinonensi a. 1068. In Hispaniam vero officium Romanum introduxit Urbanus II., ultimus hujus sec. Papa, invito licet et reluctante populo. Alphonsus VI. Legionis et Castiliae Rex, urgente uxore Constantia, quae de partibus Galliarum erat, missis ad Gregorium VII. legatis, petierat, ut Romanum, seu Gallicum, officium obtineat in Hispania, teste Roderico l. VI. c. 25., simul statuerat, ut illud usurparetur, teste Gregorio VII. l. II. epist. 9. Restitit vehementer populus, et, cum ab Alphonso Rege, et Richardo Legato Urbani, ac Cardinali, ad id cogeretur, valde perturbatus est, quare Primoribus placuit, ut quaestio *ferro* dirimeretur. Electis itaque duobus viris, qui singulari certamine pugnarent, alter pro Gothico, alter pro Romano, officio, victus est posterior. Dein, Rege adhuc instante, causa est *igni* tradita dirimenda: sed codex Romanus est igni absumtus. Nec tamen a proposito destitit Rex, remque eo adduxit sua autoritate et potestate, ut Romanum obtinuerit. Unde natum proverbium, *quo volunt Reges, vadunt leges.* Ita narrat Rodericus, scriptor sec. XII., qui addit, in nonnullis Ecclesiis mansisse Gothicum. 2. Licentiam celebrandi lingua Sclavonica *missam*, quam Ecclesiis Sclavonicis concesserant Hadrianus II. et Johannes VIII., ut supra narravi, abstulit Alexandri II. Legatus, coacta Synodo Praelatorum Dalmatiae et Croatiae; in qua illud non nisi Graeca et Latina lingua fieri debere statutum est. Vid. Bona rer. Liturg. l. I. c. 9. Quod postea Gregorius VII. etiam sancivit.

§. DLIII. 3. Ad ritus precandi pertinet, quod mos precandi per rotulos ligneos, quos vulgo *Pater-nostros* adpellant, seu spherulae precatoriae, hoc seculo in usu esse coeperint, per Petrum Eremitam, de quo postea, ut volunt. Vid. Polydor. Virgil. de Inventoribus rerum l. V. c. 9. De *cantu* 4. notandum est, sedente Benedicto VIII. cantandi novam incepisse methodum, quam *solmificationem* adpellant musici, seu gamma cum notis Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La, cujus arte facile discitur cantandi peritia. Inventionis laus datur Guidoni Aretino, Monacho Benedictino, qui a Benedicto Romam vocatus eam ipsi comprobavit, ut ex Guidonis epist. apud Baron. a. 1022. constat, cujus etiam meminit Sigebertus Gemblacens. in Chron. ad a. 1028. Inscripsit Guido musicum suum opus *Micrologum*, quo nomine mediae et infimae Latinitatis scriptores *epitomen* exprimunt.

§. DLIV. 5. Ad Eucharistiam spectat α. *Oblatas*, ut dicuntur, seu tenues illas, et denarii formam habentes, particulas, loco panis eucharistici jam in usu fuisse: ut ex Bernoldo, Presbytero Constantiensi, qui ordinem Romanum conscripsit post medium seculi, observat Bona rer. Liturg. l. I. c. 23., ubi Bernoldus reprobat ejusmodi minutissimas hostias: sed antiquiores esse, et sec. VI. jam notas, disputat Mabillon. de *azymo*, Oper. Posth. cap. 8. β. *Elevationem* panis post consecrationem usitatam fuisse apud Latinos, cujus apud Graecos jam sec. VIII. exstat mentio. Nec tamen, sicut tunc apud Graecos, ita et nunc apud Latinos, fuit *adorationis* causa facta, sed in signum crucis et resurrectionis: ut ex Ivone Carnotense, hujus, et Hugone Victorino sequentis seculi scriptore, de *Missa*, patet. Ivo Carnotensis epist. 232. dicit, *cum panis et calix, adhibito diacono, elevatur, exaltatio Christi corporis in cruce commemoratur.* Primus adorationis, ad elevationem fieri solitae, meminit sec. XIII. Durandus, in *Ration.* divinorum officiorum. γ. Initium, sedente Benedicto VII., habuit mos *cantandi* symbolum fidei in Missa in Ecclesia Romana, Inperatore

illud

illud urgente. Narratur utique rogasse Romanos Presbyteros, cur post Euangelium non cantent *symbolum* in missa, et responsum tulisse, quod Romana Ecclesia, nullis haeresibus hucusque infecta, ea re opus non habeat. Nec tamen destitit Imperator, donec id Papae persuasisset. Ita refert Berno, Augiensis Abbas, testis oculatus, in libro *de rebus ad missam pertinentibus*. Ex quo tamen cum Bona et aliis non est colligendum, symboli usum in Missa antea nullum fuisse Romae; obtinuit enim ejus lectio jam a sec. IX., ut probat Martene Antiq. Eccles. rit. l. c. 4. Decantatio symboli hoc sec. demum incepit.

§. DLV. *l.* Majoris est, quod calicis subtracti Laicis fundamenta sint hoc sec. jacta. De quo paulo adcuratius est agendum. In Synodo Claromontana a. 1095. in Gallia hic conditus est canon: *ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, et sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem et cautelam*, quem illustravit Petrus de Marca in dissert. de *Primatu Lugdunensi*. Oppositus est canon commixtioni duarum specierum, qua panis vino intinctus tradebatur. Qui usus hoc sec. invaluerat in Oriente, ut ex Humberto Cardinali, in disputatione cum Niceta Pectorato, CPoli circa medium seculi habita, qui eum morem, ut perversum, Graecis objecit, patet: gliscebat etiam in Occidente, ita ut Ivo Carnotensis *de Divinis officiis* eum censuerit tolerandum: obtinuit utique in monasterio Cluniacensi, teste Udalrico *Consuet. Cluniacensium* lib. II. c. 30. sed inprobat et refutavit eum Hildebertus Cenomanensis l. II. ep. 15. seu LXIV. in Bibl. M. P., prohibuit etiam concilium Romanum sub Urbano II. a. 1095. Dein sec. XII. communior factus est. Hunc morem proscripsit quidem, ut sec. VII. fecerat concilium Bracarense III., canon Claromontanus, decernens, ut panis et vinum *separatim*, seu seorsim, darentur, sed duplicem addidit exceptionem, dicens, *nisi per necessitatem* et *cautelam*. Casus *necessitatis* est in aegris et pueris, quo licita erat commixtio, ut habet Paschalis

.. ad Pontium, Abbatem Cluniacensem. *Caute-*
..ine mos solum panem dandi sine calice confir-
..pud nonnullos obtinere coeperat ex *cautela*,
.. ieret effusio aliqua. Quam ob causam in
..ium frequente coetu solum *panis consecrati*
..on praebito poculo, inpertiebatur Laicis; ut
..tus, Abbas S. Trudonis, hujus sec. scriptor,
..rum *de communione speciei alterius*, *his versibus.*

.. ibi cautela fiat, ne Presbyter aegris
.. panis tribuat laicis, de sanguine Christi.
.. fundi posset leviter, simplexque putaret
..uod non sub specie sit totus Jesus utraque.

..: hic mos post constitutum regnum Hierosolymitanum
..nis, in qua Ecclesia locum tenuit, ut Patriarcha Hie-
..mit. apud Humbertum fatetur. Denique in Occiden-
.. per Ecclesias propagata est consuetudo, postquam To-
..as Aquinas ei calculum addidit, his verbis part. III. quaest.
.. art. 12. *provide in quibusdam Ecclesiis observatur*, *ut po-*
..o sumendus sanguis non detur. Ceterum solum panem suf-
..cere, derivatum est ex Transubstantiatione, quia Christus
totus est in singulis speciebus. Quod diserte, sed et pri-
mus, dixit autor *altercationis Synagogae et Ecclesiae cap.* 8.

§. DLVI. Tractationi de cultu finem inponam, cum de Latinorum fide circa praesentiam Christi in eucharistia postea, ubi de haeresi Berengariana, acturus sim, postquam obiter, quod ad ritus pertinet, observavero, indicia sub Urbano II. occurrere celebritatis *Dominicae quartae* in Quadragesima, qua die coronatur Papa *corona palmarum*, et ab ipso *rosa aurea* portatur, quae, musco et balsamo plena, postea mitti solet ad aliquem Principem, aut celebrioris nominis virum. Cujus utriusque consuetudinis mentio fit in libello Fulconis, Comitis Andegavensis, apud Holstenium in *collectione Romana* p. II., et in Chronico Turonens. MSS., a

Labbeo

Labbeo tom. X. conciliorum. Sitne rosae aureae ritus Urbano antiquior, inquirit Pagi, et Theophilum Raynaudum, de *rosa Mediana Pontificis benedictione consecrata*, citat, qui ex Centio Camerario de Censu observat, ejus indicium sub Leone IX. reperiri. Quod tanti non est. Illud constat, ritum benedictionis rosae aureae nondum fuisse notum. De quo postea suo loco.

REGIMEN ET DISCIPLINA.

§. DLVII. Initio seculi, ut pro more historiam Paparum pertexam, sedem Romanam adhuc tenuit *Sylvester* II., antea Gerbertus dictus, gente Aquitanus, et ex obscuro genere, sed qui, praeclara in omni scientiarum genere eruditione, tum favorem Hugonis, Franciae Regis, cujus filii Roberti praeceptor fuit, et Othonis II. Inperatoris, a quo Othoni III. erudiendo praefectus est, inpetravit, tum ad summa in Ecclesia munera evectus est, primum Rhemensis Archiepiscopus, ejecto Arnulpho, per Hugonem factus, dein, eo restituto, per Johannem XV. et Gregorium V. Papas ad sedem Ravennatensem translatus in Italia, Othonis III. favore, consentiente Papa Gregorio V. a. 998., qui ei quoque pallium misit, et Dominium temporale urbis dedit, teste epist. Gregorii ad eum, in tomis Conciliorum, tandem in Gregorii locum, opera Othonis III. suffectus, et Papa electus est a. 999., sumto Sylvestri nomine. Quare de se lusit in littera R. hunc in modum.

Scandit ab R. Gerbertus in R., post Papa viget R.

ad tres Episcopatus Rhem., Ravenn. et Rom. adludens, ut habet Helgaldus Floriacens. Monachus in vita Roberti, Francorum Regis. Protulit quidem Goldastus Constit. Inper. tom. I. constitutionem Othonis III., qua Rex adserit, se Sylvestrum fecisse Pontificem, ipsique octo comitatus

in dominium offert; sed, eam haud uno nomine pro *spuria* esse habendam, adfirmat Pagi, post sec. XI*mum* excogitatam. Nec majoris faciendum, quod Gregorius VII. apud Baronium a. 1074. refert, Sylvestrum Hungariae ducatum convertisse in Regnum, et hoc in feudum Romanae Ecclesiae. Rerum enim Hungaricarum scriptores tradunt, Stephanum paulo ante Patris obitum Regem a Proceribus fuisse electum et salutatum; licet Papa eum ipsum postea regia honoraverit corona, et crucem ante ipsum, seu Apostolatus insigne, portari jusserit, Ecclesias quoque in ejus ditione ipsi commiserit ordinandas; si fides sit habenda Cartuitio Episcopo in vita Stephani, apud Surium Mens. Aug. Ejusdem farinae nescio num sit Sylvestri constitutio apud Papirium Massonum de *gestis Pontificum Roman.* ex Ademaro Lemovicensi, qua habetur, ut *qui captivaret Episcopum, disrumperetur adligatus pedibus ad colla equorum indomitorum:* est utique ea superbiae et crudelitatis summae. Narrat tantum Ademarus, Comitem Lemovicensem captivasse Grimoaldum, Episcopum ejus urbis, et propterea a Papa et Senatu ad illud supplicium fuisse condemnatum, sed dein Episcopo reconciliatum, ac liberatum. Turpem quoque admodum notam ei inureret, si vera foret accusatio magicae artis, et necromantiae, ab ipso exercitae, et pacti cum daemone initi in ignominiosam ejus mortem exeuntis. Quam narratiunculam primus protulit Benno Cardinalis in *vita Henrici* IV., unde alii sumserunt, ut Sigebertus, Martinus Polonus, et alii. Sed Benno nimis fuit Henrico addictus, et Papis infestus, quam ut per omnia fidem semper mereatur. Utique alii scriptores aequales Dithmarus, Hilgaldus, Glaber, alii, tacendo contradicunt, et in epitaphio, ipsi a Sergio IV. posito, omni parte laudatur, apud Pagi in *breviario.* Originem calumniae praebere potuit plusquam vulgaris ejus peritia in Mathematicis et Mechanicis, cujus omnes meminerunt, propter quam et alii praeclari viri in Magiae venerunt suspicionem, ut notum est, nec non sum-

ma fortuna, qua ex ignobili loco est in summum evectus. Ceterum scriptis inclaruit Sylvester: quorum nostram in primis merentur attentionem *Epistolae* ejus, a Massono, et dein Duchesnio in Scriptoribus Francicis, editae, et inde in Bibl. Pat., sed ex quibus parum lucramur, praeterea sermo de *informatione* Episcoporum in Analect. Mabillon. Quae scripta ante Pontificatum Romanae sedi minus favent, sicut etiam acta Synodi Rhemensis ab ipso habitae. De quibus ad sec. X. dixi. Alia ejus opera, ut de sphaera, Arithmetica, Geometria etc. mitto.

§. DLVIII. *Johannis* XVII. Pontificatus, brevissimi temporis, illud solum habet memorabile, quod ab eo tempore turbulenta fuerit Paparum electio per factiones Marchionum Tusciae, et Comitum Tusculanorum: quorum posteriorum opera, sicut noster, ita successor ejus *Johannes* XVIII., in sede collocatus est, a. 1003., qui etiam parum memoria dignum gessit. Archiepiscopum Magdeburgensem secundum privilegium illi sedi a Papa concessum consecravit per legatum: Elphigo Cantuariensi pallium donavit: Bambergensem Episcopatum, ab Henrico, Germaniae Rege, institutum, confirmavit: denique Bellilocense monasterium, a Fulcone Comite exstructum, in dioecesi Turonense, quod Archiepiscopus Turonensis consecrare recusavit, nisi praedia et mancipia, Ecclesiae Turonicae surrepta, restituerentur, Papa consecravit, et privilegio inmediatae a sede Romana dependentiae honoravit. Vid. P. de Marca conc. sac. et Inper. l. IV: 1. Contra quod privilegium reclamavit Hugo, Turonensis Archiepiscopus. De quo mox. Successit ipsi *Sergius* IV., antea *os*, vel *bucca*, *porci* dictus, ut ex Dithmaro Chron. l. VI. fin. et catalogis Pontificum apud Pagi ad Baron. patet, quod alii ad Sergium II. male transtulerunt. Apud quem cum Hugo Turonensis quereretur, quod privilegium consecrationis monasterii Bellilocensis sibi esset ereptum, pro responso tulit, Fulconi conditori liberum fuisse eam consecrationem deferre

 Eccle-

Ecclesiae Romanae, hoc fundamento, quod *cujus est haereditas, ejus etiam sit consecratio*. Glaber Radulphus l. II. c. 4., qui id refert, addit, illud contra canones, et invito Archiep. Turonense, esse factum, nec licuisse Romano Pontifici in aliena dioecesi munia Episcopalia exercere. Ceterum in epitaphio apud Pagi in *breviario* laudatur a liberalitate in pauperes, et ab aliis virtutibus.

§. DLIX. Celebriorem se reddidit *Benedictus* VIII., eadem Tusculanorum factione evectus, sed a Gregorio quodam, sedem invadente, Roma pulsus, ab Henrico vero, Germaniae Rege, ad quem confugerat, restitutus; ut narrat Dithmarus l. VI. fin. Reddidit mox Henrico vices Papa, coronam ei Inperialem inponendo et pomum aureum, gemmis cinctum, cruce superne inserta, inperii insigne, offerendo: postquam, se Romanae Ecclesiae patronum et defensorem futurum, promisisset Rex, eodem Dithmaro narrante lib. VII. Edidit mox Inperator diploma, apud Goldastum in Constit. Inper. a. 1014. etiam obvium, quo patrimonia, a decessoribus Pipino, Carolo, et Othonibus, concessa Papis, confirmavit, una cum Eugenii II. et Leonis IV. constitutionibus, de Pontifice non nisi praesentibus *missis* Inperialibus consecrando. Quod etiam locum tenuisse adfirmat Petrus Damiani l. II. epist. 20., ubi electionem Pontificis *fieri debere*, ait, *per Episcoporum Cardinalium judicium, Clero praebente adsensum, et plebe adplaudente, autoritate Inperiali confirmante*. Qui locus hac parte est valde notabilis. Ceterum, ut quae ad ritus Ecclesiasticos pertinent, de quibus supra monui, silentio involvam, et alia ejus gesta memorem, invasores bonorum monasterii Cluniacensis, data ad Episcopos Galliae epistola, excommunicavit, et, Synodo Ticini coacta, leges contra Clericos incontinentes tulit, eorumque concubinas, et filios. Exstat oratio Papae, cum canonibus hic conditis, in tomis Conciliorum: ubi Henrici etiam reperitur decretum, quo canonibus vis legis datur per totum Regnum. Praestitit quoque sese hostium debellatorem,

Saracenos, Ecclesiae littora in-
...ir, et Hetruria ejecit, ut
...us imago Christi eodem
...schatis Romae, quo olim
...s, decollari propter illud
...aeresi denuo exorta, Clerici
eo praetextu, cremati sunt,
...brata est. a. 1022. Sedit ab
...ero post mortem *purgatorii poe-*
...quitur, *infernalibus*, nimis crucia-
...r Johanni, Portuensi Episcopo, di-
...tis Cluniacensis, precibus liberari pos-
...eas fertur factum. Memoriae illud
...amiani in vita Odilonis, et in epist.
...ud Baronium a. 1024. Jotsaldus Mona-
...ita apud Mabillon. sec. VI. Benedictin.
. Chron.
...cessit frater ejus *Johannes* XIX., ex laico,
...it exemplum, Papa factus, sed per largitio-
... Glaber Radulf. l. IV: 15. Hugo Flaviacen-
.. Virdunensi, sec. XII. scriptor. Simile exem-
...ante exstiterat in Ambrosio Mediolanensi, et hoc
...oulo Rhemensi, sed nullum in Papa. Conradum,
. successorem, Inperatorem a Romanis electum, *co-*
, a quo tempore Caesar et Augustus, Romano nomine,
...atus est, ut habet Wippo in vita Conradi, in Script.
...n. Struvii tom. III. et Wolferus in vita Godehardi, E-
...opi Hildensheimensis, apud Mabillon. sec. VI. Benedictin.
... quo liquet, Reges Germanorum non ante fuisse Inperato-
...es nuncupatos, quam a Romanis electi, et a Papis coronati
essent. Quaestione, satis vana et superstitiosa, mota a. 1023.,
de Martiale, Lemovicensi Episcopo primo, *confessore* dicen-
do, an *Apostolo*, quae Lemovicenses, eum pro confessore ha-
bentes, et Parisienses, pro Apostolo stantes, valde divisit, et
ad Johannem delata, ipse *Apostoli* nomen confirmavit, teste Epis-

tola ejus ad Jordanum Lemovicensem; et eo nomine notabili, quod non tantum dicatur, Romanos Pontifices vocari *Apostolicos*, quia vice Apostoli funguntur, eos autem, qui, euangelii causa, ad Infideles mittuntur, *Apostolos*, seu *missos*, dici posse; sed in primis, quod in haec verba concludat Papa: *nos, in firma petra aedificati* — — — *Martialem Apostolum dici posse, et aeque Apostolica officia, in divinis mysteriis exhiberi ipsi censemus.* Sed fabulas de Martiali Apostolo dudum expunxerunt Viri eruditi, ut Joh. Cordesius, in speciali differt., Bosquetus in hist. Eccles. Gallican. p. II., Launoius in epist., alii; qui ostenderunt, nullum dignum autorem ante a. 900. mentionem fecisse Martialis, qualem depingunt Lemovicensis. Denique, Petro, Gerundensi episcopo, triginta captivorum redemtionem promitenti, si, vel duodecim in anno vicibus, sibi *pallii* usus concederetur, illud privilegium dedit Papa: cujus hac de re exstat Epist. in adpendice *Marcae Hispanicae* Baluzii. Sedit annos 9., mortuus a. 1033., fuitque Romanis invisus, quod raptores oblationum S. Petri occidi, post frustraneam admonitionem, et excommunicationem, jussisset. Peregrini enim Romam venientes fere omnes spoliabantur, et eorum oblationes violenter auferebantur; ut tradit Martinus Polonus.

§. DLXI. *Benedictus* IX., duorum superiorum nepos, et Comitis Tusculani filius, puer duodecennis, contra jus et fas vi pecuniae Papa factus turpissimis se foedavit moribus. Benno Cardinalis refert, eum sacrificiis daemoniorum fuisse deditum, in sylvis et montibus post se currere fecisse mulieres, quas magicis artibus in sui amorem traxerat, idque testari libellos, post ejus mortem in domo ejus inventos. Ipse Victor III. Papa lib. III *dialogorum* dicit, *se horrescere referre, quam turpis ejus fuerit vita, quam foeda, quam execranda.* Petrus etiam Damiani testatur, eum *ab exordio suae creationis, usque ad finem, semper luxuriis fuisse inquinatum.* Sedem quoque propterea non tenuit tranquille, *sed frequenter ejectus, et inhoneste receptus, nulla potestate*

vigŭit,

viguit, ut Glaber l. IV. inquit. Prima vice expulſus eſt a. 1038., et reſtitutus a Conrado, dein altera vice a. 1044., ſuffecto Sylveſtro III., ſed Tuſculanorum potentia brevi redditus ſedi, pulſo Sylveſtro: ut narrat Victor III. l. cit. nec non Leo Oſtienſ. in Chron. Caſſinenſ. l. II., ac Hermannus Contractus ad a. 1044. Denique, cum a nequiſſima vita nihil remitteret, et ab omnibus ſperneretur, ipſe ſe ſponte quidem abdicavit, et, ſumta pecunia, ordinavit Johannem Presbyterum, dictum Gregorium VI., ut iidem narrant autores, ſed, mente mutata, ſedem poſtea recepit. Fuerunt itaque hoc tempore tres Romanae ſedis invaſores omnes Simoniaci, et turpiſſimae vitae, Benedictus, Sylveſter III. et Gregorius VI. Sed Gregorium defendit et a vera Simonia liberat, cum non emerit Pontificatum, ſed tantum data pecunia redemerit, ut deceſſor reſignaret, Papebrochius in *conatu* Hiſt. Chronol. diſſ. XXI.

§. DLXII. Quo in ſtatu cum res eſſent Romanae Henricus III. Italiam eſt ingreſſus, ut Eccleſiam ab illis purgaret. Ante ejus adventum Gregorius, ad Synodum vocatus, comparuit, ſub ſpe, ſe, duobus aliis depoſitis, ſedem retenturum eſſe, ſed, re diſcuſſa, cum videret, ſe eo munere non poſſe juſte defungi, dignitatem ſponte depoſuit, a. 1046., ut narrat Victor l. III. dialogorum: ſedit ergo per duos annos. Poſt haec Henricus, ingreſſus Romam, Clerum et populum convocavit, una cum Epiſcopis ſuperioris Synodi: a quibus communi conſilio electus eſt *Clemens* II., Bambergenſis Epiſcopus, quia, teſte Victore, nullus in tota Romana erat Eccleſia, eo honore dignus; retento tamen epiſcopatu ſuo, quippe non niſi cum ejus morte vacante, teſte Lamberto Schafnaburg. a. 1048. Coronatus mox ab ipſo eſt Inperator Henricus III., ut idem narrat, et Herm. Ccntractus, jurantibus Romanis, ſe nunquam, ſine Inperatoris conſenſu, electuros eſſe Papam, teſte Alberico. Habuit etiam Synodum contra Simoniacos, ad reformandum Eccleſiae ſtatum, a. 1047. in qua, quod notan-

notandum, contentio inter Ravennatem et Mediolanensem Archiepiscopos orta, quisnam in conventu Ecclesiastico proximus sederet a dextris Papae, decisa est in favorem Ravennatis; ut Clementis litterae, in *tomis conciliorum*, habent. Dedit quoque Papa Archiepiscopo Salernitano *pallium*, teste diplomate ejus, eo etiam nomine notabili, quod mystica pallii significatio inde elucescat: cum inter alia haec ibi occurrant verba: *in quo, quia de vellere ovium est, intellige, te ovium pastorem; et, quia eo circumcingeris, et etiam circa humeros portas, cognoscas, et undique circumspicias, ne aliqua erret, et in morsus incidat luporum. Quod si aliquando, quod absit, contigerit, eam habeas in humeros ad aulam reportare* etc. *Quod vero ante et retro crux Domini habetur, illud Apostolicum semper docet ante oculos habere, mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.*

§. DLXIII. Mortuo Clemente, Pontificatum denuo occupavit *Benedictus IX.*, et octo tenuit menses, sed pro illegitimo habendus, et a Simoniacis violenter intrusus: post quod tempus sedem quidem turbavit usque ad Leonem IX., sed non recepit. Ab eo antequam discedam, duo, quae omisi, notanda habeo; *unum*, eum, vacante per obitum Conradi inperio, illud Petro, Hungariae Regi, obtulisse, cum diademate, his verbis inscripto.

Petra dedit Romam Petro, Tibi Papa coronam

Si Bennoni, de vita et gestis Hildebrandi, qui id narrat, credendum sit. *Alterum* est, Poloniae regnum ab Ipso esse sedi Romanae tributarium factum. Misecone scilicet, Poloniae Rege, defuncto, a. 1034., et Casimiro, ejus filio, propter intestinas turbas, monachum in Cluniacense monasterio agente, Poloni, turbarum pertaesi, eum repetierunt: cum autem, ut ab illo voto absolveretur, autoritate Papali opus esset, concessit Benedictus IX., ea sub conditione, ut Poloni nobiles, in signum grati animi, usualem-

quo-

quotannis nummum solverent sedi Apostolicae viritim, caput insuper certo tempore tonderent, instar monachorum, denique panno lineo albo, ad modum stolae pendente, cervicem exornarent; sic rem narrat Johannes Longinus, Cracoviensis, sec. XV. scriptor, in historia rerum Polonicarum.

§. DLXIV. Romani, Benedicto sedem, ut narravi, invadente, Inperatorem Henricum III., Polethae versantem, cum adiissent, Papam ab ipso acceperunt Popponem, Brixiensem Episcopum, dictum *Damasum* II., teste Lamberto Schafneburg. a. 1048., ipsoque paulo post mortuo, veneno ei a Benedicto propinato, secundum Bennonem, ab eodem nacti sunt Brunonem, Tullensem Episcopum, dein adpellatum *Leonem* IX., teste Lamberto, cujus vitam descripserunt Wibertus, ejus Archidiaconus, et Bruno Astensis, Episcopus Signiensis, in Bibl M. Patrum vol. XX. Vitam a Wiberto descriptam edidit, etiam cum notis, Muratorius Script. Ital. tom. III. Refert quidem Otto Frisingensis, eum, ab Inperatore Wormatiae electum, mox sumta purpura, per Gallias iter facientem, Cluniaci offendisse Hildebrandum, et ab eo increpitum quod a laico sumsisset purpuram, eam deposuisse, nec recepisse, nisi postquam a Clero Romano et populo esset electus. Sed autores aequales, modo laudati, ea ratione eum referunt in electionem Inperatoris consensisse, si, totius Cleri ac Populi Romani communem esse consensum intellexisset, adeoque, peregrino habitu sumto, Romam properasse, et post unanimem consensum esse consecratum, ac inthronizatum, Hildebrando non in itinere salutato, sed ex aula secum sumto. Vid. etiam Anselmus, Monachus S. Remigii Rhemensis, in historia dedicationis ejus Ecclesiae apud Mabillon. sec. VI. Benedictin. Qua discrepantia non obstante, potuit ab Hildebrando ad id esse incitatus. Narrat utique Bruno, Hildebrandum a Leone incitatum, ut *secum Romam tenderet*, respondisse, se nolle, quia *non secundum canonicam institutionem*

terium singulis diebi
bus per hebdomadei
Petri, privato habiti
bus Clericis, psallen
cilicio ad carnem in
guam Graecam prop
quoque numerum au
ab. a. 963. pauperu
reliquiarum indagatio.
habita, canonizavit,
Episcopum, ab a. 97
variis in locis restitu
1052., ut et Everard
§. DLXV. Simonia
incubuit. Sic contra
mae a. 1049., ubi eti
qui sese falsis testibus
percussus, et brevi mo
in qua varii Simoniaci
conditi contra Simonia
munus aliquod pro se
Sacramentorum adminis

proditus, et reliqui perterriti culpam ſuam confeſſi ſunt. Duos etiam ab officio Archiepiſcopatus depoſuit in concilio Sipontino, ad montis Gargani radices, ut refert Wibertus a. 1050., qui *cum mercede ſanctum adſumſerant miniſterium*. Primus condemnavit haereſin Berengarianam in Synodo Romana, et mox in Vercellenſi, a. 1050. Denique rebus politicis ſe inmiſcuit et militaribus. *Nonnullos locorum principes, et civitates*, inquit Herm. Contractus a. 1050., *tam ſibi, quam Inperatori, jurejurando ſubjecit, Beneventanos adhuc rebellantes excommunicavit*, ſed quos a. 1051. abſolvit. Paci inter Henricum, et Andream, Hungariae Regem, inſtaurandae operam dedit quidem, ſed luſit; ſive culpa Andreae, ut tradit Herm. Contractus, qui addit, Papam ei propterea eſſe minitatum anathema, ſive factio quorundam Inperatoris curialium, felicibus Leonis moliminibus invidentium, obſtiterit, ut tradit Wibertus. Cum Normannis, in Apulia *graſſantibus*, infeliciter quidem, exercitu ejus fuſo, conflixit a. 1053. Sed intrepeditate ſua eos ſuperavit. Cum enim per medios hoſtes ſine terrore tranſiret, illi adtoniti ſe ſubmiſerunt, caeſos ſepeliverunt, et ſuper iis exſtruxerunt baſilicam, quippe in martyrum claſſem relatis. Praeter haec celebrem reddidit Pontificatum ejus, quod primus non tantum creaverit *Archicancellarium* Eccleſiae Romanae, uti a. 1051. Herimannum, Archiepiſcopum Colonienſem, teſte Wiberto, ſed et, miſſis a. 1053. ad Tomam, Epiſcopum Africanum, litteris, Carthaginenſem confirmaverit primatum in univerſam Africam, contra Gummitanum Epiſcopum, qui Epiſcopos ordinare, et concilia provincialia indicere, praeſumebatur, ſine Metropolitani Carthagin. conſenſu. Quae litterae haud uno nomine ſunt valde notabiles, cum quod miſerabilis Eccleſiae Chriſtianae ſtatus in Africa inde eluceſcat; habent enim, *vix quinque ibi inveniri Epiſcopos, ubi olim 250 ſolebant per concilia plenaria computari, et pauculas oves, quotidianae occiſioni deputatas, remanſiſſe*; tum quod univerſalem

autoritatem per omnes Ecclesias spirent. Dicitur enim, praeter Pontificis sententiam nec universale concilium celebrari debere, nec Episcopos damnari aut deponi, nemini mortalium licere de sede Romana judicare, fidem Petri non defecisse, nec *defecturam credi in throno ejus usque ad seculum*. Vid. epist. 1, 4, 5. etc.

§. DLXVI. Haud minus celebrem se praestitit successor ejus, et imitator *Victor*. II., antea Gebehardus, Episcopus Eystatensis, et Henrici III. intimus consiliarius, a Clero Romano, missa legatione, quam Hildebrandus Archidiaconus obiit, solenniter ab Inperatore petitus, ut Romam veniat, et legitime creetur Pontifex. Inperatore aegre consentiente Romam profectus, electus est et ordinatus Papa a. 1055. Ita rem narrat Leo Ostiensis, l. II. c. 90., qui addit, aliunde debuisse peti Pontificem, quia Romana Ecclesia neminem habebat idoneum. Celebravit mox post inaugurationem Synodum Florentiae praesente Inperatore a. 1055., in qua damnatus traditur Berengarius, ¿et bonorum Ecclesiae distractio, aut alienatio, sub excommunicationis poena est prohibita. Vid. Damiani l. IV. ep. 12. et Lanfrancus. Misit quoque Hildebrandum Archidiaconum, tanquam *legatum* a *latere* in Gallias, ad pravas consuetudines corrigendas: qui Lugdunense celebravit contra Simoniacos concilium, teste Damiani in epist. ad Nicolaum opusc. XIX. In quo Archiepiscopus aliquis narratur miraculose Simoniacus convictus, et multi hoc exemplo deterriti ad confessionem conpulsi. Adjuratus scilicet ab Hildebrando nomine Trinitatis, ut verum dicat, adjunctis precibus, si mentiatur, ne nomen Spiritus S. pronunciare possit, id factum fuit, nec non Turonense contra Berengarium, eodem anno 1055., ut refert Anonymus Chiffletianus in opusculo *de Multiplici Berengarii damnatione*, a. 1088. composito; ubi narrat, Berengarium cecinisse palinodiam; quod et Lanfrancus confirmat. Sed cum acta concilii non supersint, adversariis Berengarii nescio num fides tuto haberi possit. Continuavit

mavit utique opinionem suam defendere. De quo postea suo loco. Ad quod concilium cum legatos misisset Inperator, de Ferdinando, Castellae et Legionis Rege, conquestus, quod Inperatoris nomen et jura sibi adrogaret, petens quoque excommunicationis contra Ipsum, ni desisteret, sententiam; illud decretum est, et Ferdinando intimatum, eo cum effectu, ut ab incoepto absterritus fuerit. Vid. Baronius a. 1056.

§. DLXVII. Anno Episcopatus *secundo*, ab Henrico III. in Germaniam evocatus, eum morientem prosecutus est Apostolica benedictione. Henricum IV. tunc adhuc puerum, in tutelam suscepit, et intestinos inperii hostes cum eo reconciliavit: teste Mariano Scoto, et ipso Gregorio VII. lib. I. ep. 29. Quo eodem anno 1056. legatos misit ad exstirpandam Simoniam, et Ecclesiae statum reparandum; uti fecerunt, capitulis in concilio Tolosano conditis. Concitavit vero sibi, severioris disciplinae studio, acerrimos hostes, adeo etiam, ut in praesentissimum aliquando inciderit vitae discrimen, veneno ipsi a quodam subdiacono propinato, cui miraculose fertur ereptus. Vid. Lamb. Schafnab. Denique notatu digna est epistola P. Damiani ad ipsum, a Baronio recensita, qua de Henrico quodam, viro illustri et pio, injuste vexato, absque ut Papa intercedat, cum eo expostulat, quippe valde adulatoria, et Papalem autoritatem inmensum extollens. Christus enim ibi introducitur, Papam in haec verba adlocutus. *Ego te, quasi Patrem Inperatoris esse constitui — — — — ego claves totius universalis Ecclesiae meae tuis manibus tradidi, et super eam te mihi vicarium posui — — — et si pauca sunt ista, etiam monarchias addidi, imo, sublato Rege de medio, totius vacantis Inperii Romani tibi jura permisi* etc.

§. DLXVIII. Successor ejus *Stephanus* IX., et non, ut alii, X., antea Fredericus, Ducis Lotharingiae filius, Romanae Ecclesiae Cancellarius a Leone IX., et Cardinalis a Victore II., factus, de quo vid. Leo Ostiensis lib. II: 98. to-

tus fuit in Clericorum conjugiis, et consanguineorum nuptiis, quae tunc grassabantur, exstirpandis: ut Idem ibid. refert, nec non P. Damiani in epist. ad Cunibertum, Taurinensem Episcopum, Opusculo ejus XVIII. inserta, qui, inter alia, ipsi hac parte *zelum Phinees* adtribuit. Suscitatum enim est hujus rei causa ingens schisma in Ecclesia Mediolanensi, inter Guidonem Archiepiscopum, ejusque Clericos, et inter Arialdum, Clericum Mediolanensem, ac Herlembaldum, unum ex Primariis civitatis, quorum illi sacerdotes incontinentes defendebant, hi damnabant. Quod schisma fuit a. 1057. ortum, et ad mortem Herembaldi, pro ea causa occisi a. 1076., adeoque per annos 19 duravit: teste Arnulpho historico Mediolanensi l. IV: 7. Habitum quidem est, jussu Papae, concilium a Guidone Novarae, quo Arialdus, et Landulfus Cotta, ex praecipuis Clericis, qui se Arialdo adjunxerant, excommunicati sunt, quia interesse recusabant, et causa incontinentium triumphavit, sed sententia illa dein Romae est annullata, et causa continentiam urgentium obtinuit, ut in Nicolao II. videbimus. Schismatis vero historiam fuse narrat Mornaeus in hist. Paparum. Nihil praeterea praeclare gessit Papa. In animo quidem habuit, Godefridum, Lotharingiae Ducem, fratrem suum, creare Inperatorem, ejusque auxilio Normannos expellere, sed non effecit: ut Leo Ostiensis refert. Ceterum scripsit cum Humberto contra Graecos, ut Petrus Diaconus de *Illustribus Cassinensibus* testatur. Mortuus est Florentiae a. 1058.

§. DLXIX. Misso *Benedicto* X., qui, inconsulto Henrico cum Principibus, sedem, factione populorum, quos pecunia corruperat, adjutus, invasit quidem, ut habet Lambert. Schafnab., sed sine legitima consecratione ad breve tempus tenuit, a Godefredo, Duce Apuliae, expulsus, teste Herm. Contracto, de quo vid. epistola Damiani ad Henricum, Archiepiscopum Ravennatem, ubi summam ejus etiam inperitiam taxat, ad excelsi animi Papam pergo *Nicolaum* II., qui Nicolai I. animum spiravit, Antea Gerardus, Florentinus

Episcopus, ab Inperatore designatus, et in quem Romanorum ac Teutonicorum studia consenserant, ut loquitur Schafnab., Papa factus a. 1058., cujus dotes, castitatem, et pietatem in pauperes, praedicat P. Damiani ep. 14., ad Episcopum Ravennatem. Nomen suum haud una ratione reddidit celeberrimum. Praeterquam quod in Synodo Lateranense a. 1054. haeresin Berengarianam damnaverit, ipso Berengario tertia vice ad palinodiam compulso, ut, praeter Lambertum Schafnab., testatur anonymus Chiffletianus, non quidem convictus, sed metu mortis actus, teste Lanfranco, celeberrimum isto in concilio condidit decretum, quo Romani Episcopi electio ad solos Cardinales est restricta, populo tantum ejus adprobatione relicta, salvo tamen honore Henrici, et sequentium Inperatorum, sed, *qui ab Apostolica sede personaliter hoc jus inpetraverint.* Quae ejus constitutio integra recensetur a Chronographo Verdunense. Facta itaque deinceps est electio hoc modo, ut principale judicium sit Episcoporum Cardinalium, secundo loco praebeat Clerus jure adsensum, tertio popularis favor adtollat adplausum, denique caussa suspensa maneat, donec Inperatoris consulatur autoritas, *nisi periculum fortassis inmineat, quod rem quantocyus accelerare compellat*, ut habet Petrus Damiani l. I. ep. 20. Sed hoc privilegio Clerus et populus postea est privatus, ut in Lucio III videbimus, nec Inperatoris honos mansit sartus tectus. Alexander II. enim sine eo consensu est consecratus, et post Gregorium VII., qui ad regis confirmationem distulit, ne schisma oriretur, suam consecrationem, omnes Pontifices, nescio Inperatore, consecrati sunt: unde multae sunt ortae turbae; ut suo loco patebit. Contenderunt autem Pontificum patroni decretum Nicolai II. in favorem Henrici IV., quod a Gratiano distinct. 22. est relatum, fuisse Papae surreptum, eoque sese indignos praestitisse Inperatores, adeoque nullius esse momenti: ut pluribus disputat Anselmus Lucensis contra Guibertum Anti-Papam, in Antiq. Lect. Canisii.

§. DLXX. Proscripta porro eodem in concilio est haeresis Simoniaca, decreto facto, Simoniacos esse deponendos, sed ab iis gratis ordinatos in munere esse mansuros, ex sola dispensatione, absque ut in exemplum trahatur, addita depositionis sententia, si quis in posterum se a Simoniaco consecrari sineret. Quae ex actis Synodi constant, et Damiani opusculo 30. cap. I. Sacra praeterea sunt incontinentibus Clericis interdicta. Quae decreta contra Simoniacos et Nicolaitas (hoc enim nomine notati fuerunt incontinentes Clerici in Ecclesia Mediolanense, ubi hujus rei causa schisma erat natum) ut executioni mandarentur, Legati ad Ecclesiam Mediolanensem missi sunt Petrus Damiani, et Anselmus Lucensis. Qui, cum vix unum ibi invenirent Clericum, qui ordinem non emisset, aut foeminae consuetudine non usus fuisset, rem eo adduxisse contenti fuerunt, ut omnes solenniter promitterent, se in posterum ei mori esse renunciaturos. Quod quidem fecerunt, poenitentia etiam acta, sed postea eodem prolapsi sunt. Vid. Damiani opusculum V., quod inscribitur *actus Mediolanenses*. Contigerunt haec a. 1059. Eandem etiam in rem Melphiae, quae est Lucaniae urbs, Episcopatu, Romano Pontifici immediate subjecto, ornata a Nicolao, ut docet Ughell. Ital. S. tom. I., Synodum contra incontinentes celebravit: ut ex Gulielmo Apuliense in poemate de *gestis Normannorum in Italia* narrat Pagi ad Baron. Denique duos misit in Galliam legatos, alterum Stephanum Cardinalem in Aquitaniam, qui Turonense habuit concilium, alterum in alias Galliae partes, qui Avenione idem fecit a. 1060. Damnata sunt in priore vitia grassantia plurima, uti Simoniae, pluralitatis beneficiorum, receptionis a Laicis, incestarum nuptiarum, et Clericorum incontinentiae. Editi sunt illi canones a Dacherio in notis ad vitam Lanfranci, et inde in tomis conciliorum.

§. DLXXI. Praeter haec Pontificatum ejus nobilitavit, quod 1. Eduardum, Angliae Regem, in societatem susce-

perit

perit Apostolicam, coenobium Westmonasteriense amplissima donaverit inmunitate, privilegia Regni confirmaverit, Regibusque Angliae istius monasterii, et Ecclesiarum totius Regni, *advocationem* ac *tuitionem* concesserit, ut *vice Paparum, cum Episcoporum et Abbatum consilio, omnia constituant.* Quae omnia sancita sunt in Synodo Romana a. 1061., ut Pagi ad Baron. probavit. 2. Quod Normannos a vinculo excommunicationis absolverit, iisque praeter Beneventum dederit totam Calabriam, Apuliam, et Siciliam, Richardo nimirum Capuanum Principatum, et Roberto Guiscardo Calabriae, Apuliae, et Siciliae ducatum, ut Leo Ostiens. III. 15. tradit, sed sub hac conditione, ut Romanae Ecclesiae fidelitatem jurarent, et tributum quotannis solverent pro unoquoque jugo boum duodecim denaria. Juramenti formulam exhibet ex codice Vaticano, qui inscribitur *liber censuum* etc., Baronius. Normannos autem ideo sibi devinxit Papa, ut eorum auxilio adversarios sedis Romanae subjugaret, et statum suum pacifice tueretur. Ceterum in eo fundatum est jus, quod Papae in regnum Neapolitanum praetendunt. Vid., praeter Baronium ex actis Nicolai Aragonici, praeclarus ille historiae Neapolitanae conditor Giannone l. IX., qui hanc rem in clariore posuit luce.

§. DLXXII. Successit *Alexander* II., ab a. 1061. ad a. 1073., haud minus in historia celebris. Qui a doctrina et sanctitate laudatur apud Gulielmum Pictaviensem, in gestis Gulielmi I., regis Anglorum, a litterarum studio apud Malmesburiensem de gestis Pontificum Anglorum, lib. I. a studio denique, ne de miraculis ejus apud Leonem Ostiens. in Chron. Cassin. III. 35. dicam, in vitam Monasticam, de quo plurima privilegia in monasteria Galliae et Germaniae collata, vel confirmata, et ab Episcopis vindicata, testantur. Vid. Epistolae ejus IX. XIX. XX. et aliae. Sed famosum sese inprimis praebuit per jus Papale vindicatum, et autoritatem Papalem in altius evectam,

teste historia ejus: cujus praecipuas ducam lineas. Nicolao mortuo ingens orta est de novo Papa contentio seditiosa. Proceres Romani, exacerbati quod Normannis se commiserat Nicolaus, se oppressis, legatos ad Henricum miserunt cum corona aurea, et Patriciatus titulo, teste Herm. Contracto, ut ejus protectionem sibi acquirerent. Quod idem fecerunt Longobardorum Episcopi, Simoniaci, et incontinentes, Papam de Longobardia, sibi faventem, petentes. Ipsi Cardinales legatos direxerunt, qui libertatem electionis peterent, sed qui ne auditi quidem sunt. Quo rerum statu Hildebrandus Archidiaconus, inito cum Cardinalibus consilio, et cum Nobilibus Romanis, fretus Normannorum auxilio rem eo adduxit, ut ipsi elegerint Anselmum Lucensem, dictum dein Alexandrum II. Quod cum Inperatrix, ejusque Filius Henricus IV., aegre ferrent, cum sine autoritate Inperatoris illud actum esset, eligi fecerunt, coacta Synodo Basileense, *Cadolum*, Parmensem Episcopum, ut Herm. Contractus tradit, acta praeterea Nicolai rescindi; ut habet autor disputationis inter regium advocatum, et Romanae Ecclesiae defensorem. Erat enim Cadolus, seu Cadolaus, acerrimus incontinentiae Clericorum patronus, adeo ut, qui antea Nicolaitae dicebantur, ab eo denominari potuerint Cadoloitae, ut scribit Damiani in epist. ad Cunipertum Taurinensem. Sed Cadolus se tueri non potuit. Missus quidem est cum exercitu Romam, sed magna ejus strage, et cum dedecore sui, coactus est discedere: ut narrat Leo Ostiens. III. 20. Accessit, Arnonem, Coloniensem Archiepiscopum, Henricum matris potestate subduxisse, et Coloniam transtulisse, moxque Synodum in Germaniae loco, Osberio dicto, convocasse, cui Henricus, tunc duodecennis, interfuit, in qua Cadolus condemnatus, et Alexandri electio confirmata est; teste Damiani epist. citata. Ad hanc vero Synodum pertinet disputatio Synodalis inter advocatum Regis, et defensorem Ecclesiae Romanae, a Petro Damiani composita,

quae

quae *opusculum* ejus IV*tum* est, et a Baronio quoque recensetur. Facta haec sunt a. 1062. Retinuit tamen Cadolus insignia Papalia usque ad a. 1067., quo Mantuanum celebratum est concilium, in quo Cadolus est reprobatus tanquam Simoniacus, et Alexander, sese ab eo crimine per juramentum purgans, confirmatus est, ut Sigebertus in Chron. refert. Nec tamen post hoc tempus cessavit Cadolus facere ordinationes, et decreta cudere, ut narrat Lambertus Schafnab., cui tamen alii contradicunt, qui tradunt, eum Alexandro esse reconciliatum, et brevi mortuum.

§. DLXXIII. Alexander, hac ratione, confirmatus in sede, multis gestis, ad cultum et regimen, ac disciplinam, spectantibus, sese celeberrimum reddidit. De *cultu* cum supra egerim, reliqua ejus gesta strictim recensebo. In haeresi *Simoniaca* 1. exstirpanda valde laboravit. Cum autem ejus causa ingens esset in Ecclesia Florentina conflatum schisma, diffidentibus, seseque ab Episcopo separantibus, Monachis, qui eum Simoniacum arguebant, et, licet necdum ab Ecclesia condemnatum, vitandum clamabant: missus est a Papa, ad eos motus sedandos, Petrus Damiani a. 1062. Sed qui re infecta rediit. De quo exposuit Damiani *opusculo* 30. de *sacramentis per inprobos administratis.* Monachi vero, Romam profecti, Episcopum non tantum accusarunt apud Papam, sed et Petrus Monachus Valumbrosanus, seu Vallis umbrosae, per ignem illaesus transiens, unde Petrus *igneus* dictus est, causam obtinuit, et postea Cardinalis est factus. Habuit autem, hujus controversiae occasione, Papa Synodum Romae, a. 1063., in qua sunt duodecim conditi canones, quibus praecedentium Paparum decreta contra Simoniacos confirmata sunt, vita communis Clericorum sancita est, beneficiorum quoque pluralitas, et consanguineorum nuptiae ad usque septimam generationem prohibitae sunt. Depositus denique hic est Petrus Florentinus Episcopus, tanquam Simoniae convictus;

tus: ut habent acta S. Gualberti. Praeterea 2. in Simoniacis et incontinentibus Clericis exterminandis, ac coelibatu Clericorum urgendo, totus fuit. Cum in Ecclesia Mediolanensi illa adhuc defenderentur crimina, et Arialdus propter eorum oppugnationem esset occisus, Papa eo legatos misit a. 1067., ad Ecclesiam purgandam, qui contra ea ediderunt constitutionem, quae tom. IX. conciliorum Labbei inter epistolas Papae VI. et VIII. exstat. Quo eodem praecipue fini celebrata est Synodus Moguntina, jussu Papae, a. 1071., in qua Carolus, Constantiensis Episcopus, in ea sede ab Henrico collocatus, ejus criminis accusatus, simul causa discussa, et propria confessione, et cessione, finita est. Exstant ibid. acta. Ipse Henricus denique ab Ottone, qui Bojoariae ducatu ab ipso privatus erat, et Saxonibus, apud Papam accusatus, quod Ecclesiastica officia in Regno Teutonico fecerat venalia, Romam a Papa per litteras est vocatus, ut causam dicat: ut narrat Abbas Urspergensis a. 1073. et Otto Frisingensis l. VI: 39., sed interea mortuus est Alexander. Ceterum decrevit quoque Papa, ne per Laicos ullo modo quilibet Clericus vel Presbyter obtineret Ecclesiam, nec *gratis*, nec *mercede*, Caus. XVI. Q. 20.

§. DLXXIV. 3. *Incestuosorum* haeresis, quo nomine est eorum Jureconsultorum opinio notata, qui, Justinianum secuti, matrimonia inter cognatos censuerunt esse licita, quae caput hoc seculo erexit, oppugnata quoque a Papa est, duobus conciliis hanc in rem Romae celebratis a. 1065., quam scriptis etiam inpugnavit P. Damiani. Sed illa conamina fuerunt irrita, cum ex tot hominum millibus ne unus quidem ejusmodi conjugio cesserit: ut Damiani in *apologetico* de *contemtu seculi* conqueritur, quod est Opusculum XII:, imo alii a legitimis nuptiis eo praetextu sese liberarunt, ut ibid. adserit. 4. Guidoni, Archiepiscopo Mediolanensi, mortuo cum Henricus suffecisset Gothofredum, ejusdem Ecclesiae Clericum, sed ei resisterent Clerici, Romanae

manae Ecclesiae addicti, cum Herlembaldo, ac Athonem elegissent, Papa hunc adprobavit, et illum ut invasorem excommunicavit. 5. Controversia inter Lanfrancum Cantuariensem, et Thomam Eboracensem, Archiepiscopos, de *Primatu* orta, Papa, misso legato, Synodum convocari jussit, in qua secundum Cantuariensem est pronunciatum, a. 1072. Vid. Malmesburiensis de *gestis* Regum Anglorum, et relatio gestorum ad Papam missa, tom. IX. *conciliorum* Labbei. Scripsit etiam 6. ad Wilhelmum, Angliae Regem, pro exactione *denarii Petri*: dicitque in ea epistola, Anglorum regnum, Christianum factum, sub manu et tutela Papae fuisse, et annuam solvisse pensionem, ex qua pars Romano Pontifici, pars Ecclesiae S. Mariae, quae schola Anglorum vocatur, in usum fratrum deferebatur. 7. Henricum, qui Bertham conjugem repudiare meditabatur, a proposito deterruit, misso P. Damiani legato in Germaniam. Vid. Lambertus Schafnab. a. 1066.

§. DLXXV. 8. Vexillum nonnullis dedit, eosque defensores Ecclesiae contra Infideles et Haereticos constituit. Exempla sunt in Herlembaldo, Duce Mediolanense, ut cum Simoniacis et Nicolaitis pugnaret in ea Ecclesia, ut in vita Arialdi apud Baronium a. 1061. narratur, praeterea in Rogerio, Calabriae Comite, fratre Roberti Guiscardi, propter insignem de Saracenis reportatam victoriam, ut refert Malaterra l. II. c. 33., ubi, quod notandum, *indulgentia* etiam iis datur, qui in lucranda de Paganis Sicilia, et *retinenda*, *auxiliati fuerint*, imo indulgentia *plenissima*, ut adpellari solet, ab omnibus commissis peccatis, modo poenitentiam profiterentur, et resipiscentiam promitterent. Est vero hoc primum ejusmodi indulgentiae exemplum. Denique in Wilhelmo Conquestore: cui, ab Eduardo Angliae Rege successori designato, cum resisteret Haraldus, Major domus, regnum invadens, Papa, ad quem res delata erat, praecepit, ut contra Haraldum arma sumeret, ei transmisso vexillo S. Petri, a. 1066. Vid. Ordericus hist. Eccles. l. III. 9. *Mitrae*

quoque usum, Laicis inconcessum, concessit Uratislao, Bohemiae Duci, de Apostolica sede bene merito: ut ex Gregorii VII. epist. 38. lib. I. patet. Quod exemplum dein alii Papae secuti sunt. Dedit etiam Alexander eum usum primus Abbatibus, uti Abbati monasterii Augustini prope Cantuariam; vid. Mabillon. sec. VI. Benedictin. p. I. in *Praefatione*, qui usus sub Urbano II. factus est frequentior.

§. DLXXVI. 10. Notari denique meretur, *treugam* Dei, vel Domini, fuisse ab Alexandro confirmatam, a. 1068., ut constitutiones in adpendice *Marcae* Hispanicae Baluzii testantur: est vero is primus, qui papali autoritate eam sancivit, sicut postea fecerunt varia concilia. V. P. de Marca conc. Sac. et Inper. l. IV. c. 14. Scilicet, cum, pessimo more, liceret hoc seculo privatis grassari caedibus, praedis, et incendiis, in adversarios, Episcopi vero Gallicani comminationibus, etiam S. reliquiis, frustra ad ea mala eliminanda uterentur, concilia quoque inutilem navarent operam in privatis vindictis arcendis: inventa tandem est pax, *treuga* Dei dicta, seu confoederatio cum Episcopis et Magnatibus inita, qua certis hebdomadis diebus, Jovis, Veneris, Sabbati, et Dominicae, ab armis, caedibus, aliisque hostilitatibus, abstineretur. Quae treuga primum instituta est in Aquitaniae partibus a. 1041., teste Glabro l. IV. c. 5. et Chronico Verdunensi in Biblioth. Labbei; dein ab Alexandro, ut dixi, confirmata, et variis conciliis. Ceterum *treuga* est fides data ad certum tempus de cessatione pugnae: Gallice *treves*, etiam Latinis medii aevi *pausana*, a pausando. Vid. Janus a Costa ad Decret. Gregor. tit. 34. l. I. Treuga *Dei* vel *Domini* adpellata est, majoris autoritatis ergo, ut a Deo esse ortam, et multis judiciis divinis confirmatam esse, crederetur. Vid. Glaber l. IV.

§. DLXXVII. Excepit ipsum excelsi et superbi animi Papa *Gregorius* VII., qui autoritatem et potestatem Papalem in summo collocavit fastigio, usque ad a. 1086. Cujus vitam

vitam et gesta nimis invidiose enarravit Benno, tunc Cardinalis, qui a partibus Henrici stetit, in fasciculo rerum *expet. et fug.*; et nimis, ab altera parte, adulatorie Paulus Bernriedensis canonicus regularis, circa a. 1131., in Actis Sanct. Maji, et sec. VI. Benedictin.; quare uterque caute et cum judicio legendus est. Addendi sunt historici aequales, in progressu citandi. *Hildebrandus*, natione Hetruscus, primum Monachus Cluniacensis, a Leone IX., in cujus designatione ad Pontificatum Wormatiae adfuit, adductus Romam, creatusque est subdiaconus, et monasterio S. Pauli praelatus, teste Benriedensi, Victorem II., legatus Romanorum, petiit ab Inperatore Pontificem, et a Romanis eligi fecit, postea a Nicolao II. Archidiaconus creatus, a. 1059., denique ab Alexandro II. in principio Pontificatus dictus est Cancellarius, penes quem erat universa Ecclesiae Romanae administratio, a Bibliothecario omnino distinguendus, ut Ciampinus in *catalogo Bibliothecariorum* Ecclesiae Romanae ostendit, tandem a. 1073. Pontifex Romanus, sub nomine Gregorii VII, postulatus a populo, ipso exequiarum Alexandri die, et a Cardinalibus mox electus ac inthronizatus est, decreto electionis eodem die promulgato; ut habent acta Vaticana de rebus gestis Gregorii apud Baronium, et ipse tradit Gregorius l. I. ep. 3. Cum inthronizaretur Papali *mitra* narratur insignitus, quae coronam denotat, vel mitram turbinalem cum corona: cujus moris coronandi Pontificem mentio fit in *donatione* Constantini M. Quae ante Pippini, Francorum regis, tempora quidem fuit conficta, sed morem illum ante Nicolaum I. in usu fuisse, nullo constat indicio: de quo in ejus vita monui. Nec tamen ante consensum Inperatoris voluit consecrari, quem per legatos petiit et inpetravit. Tradunt quidem acta citata, eum per nuncios rogasse Inperatorem, ne adsensum praeberet, quod, si faciat, excessus ejus non toleraturus sit: unde colligi solet, illum ab eo munere, quod, ut credi volebat, invitus susceperat, liberari voluisse. Sed verius est,

ipsum prudentiae causa voluisse Inperatoris consensum, ut schisma evitaretur, quod in Alexandri electione diviserat Ecclesiam. Refert quoque Lambertus Schafnab., eum Henrico significasse, se invitum esse electum, nec, invito Rege, consecrari velle; misisse Henricum Romam Comitem Eberardum ad veritatem rei recognoscendam, eoque reverso, et omnia esse vera renunciante, Romam ablegasse Episcopum Vercellensem, qui eum in sede confirmaret. Quod Acta etiam confirmant. Sed questus et ipse est Gregorius in epist. ad Desiderium, Abbatem Cassinensem, se invitum esse electum, at is, teste Bennone, respondit, ipsum, nondum sepulto Domino Papa, sedem contra omnes canones usurpasse. Synodus quoque Brixiensis, ut Aventinus Annal. l. V. refert, ipsi objecit, quod sedem, *omnibus bonis invitis*, *emerit*.

§. DLXXVIII. Acta et gesta ejus referri possunt ad *fidem*, *cultum*, et *regimen* ac disciplinam. *Fidei* respectu quae egit, cum ad causam Berengarianam pertineant, de iis postea suo loco dicam. In *cultu* religioso praecipuum ejus facinus est, quod Nicolai decreta de ritus Gothici et linguae vernaculae in sacris abolitione urserit. *Prioris* rei causa Hugonem Candidum Cardinalem misit in Hispaniam, mox initio Pontificatus, qui cum monachis quibusdam Cluniacensibus in Arragoniam perrexit, et, Synodo coacta, officium Romanum ab Episcopis recipi curavit a. 1073., quod jam antea in quaedam loca erat per Sanctium Ramirum, Arragoniae Regem, introductum, ut ex l. I. ep. 63. Gregorii patet, in qua Regi super hac admissione gratulatur. Difficilius longe ab aliis Hispaniae Regibus admissum est: scripsit quidem hanc in rem litteras ad Alphonsum, Legionis et Castellae Regem, et ad Sanctium Navarrae, quibus eos ad Ecclesiam Romanam pro matre agnoscendam, ejusque ordinem et officium recipiendum, adhortatus est, sed illud non nisi sub Urbano II. effectui est datum, ut supra, ubi de *cultu*, narravi. Quod ad linguam *vernaculam*

lam adtinet, scripsit ad Ulatislaum, Bohemiae Ducem, a. 1080., quae est epistola 11. lib. VII., qua, sacra lingua Sclavonica peragi, districte vetat, et petitionem Ducis absolute repellit, ubi, inter alia, haec notabilia occurrunt verba: *et hoc nempe saepe volventibus liquet, non inmerito sacram scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, et subjaceret despectui, aut, prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret.* Jactum itaque jam est fundamentum, cui postea innixi scripturam eripuerunt Laicis. Praevaluit tamen, hoc non obstante decreto, recepta consuetudo multis in Provinciis: ut Bona quoque observavit. Praeter haec sancivit etiam Papa *inparem* numerum signi crucis super sacram oblationem, ob rationem mysticam, ut habet autor *micrologi* cap. 14., adeo ut vel unam, vel tres, vel quinque cruces voluerit faciendas.

§. DLXXIX. Longe plura praestitit in *regimine* et *disciplina*: cum in eo fuerit totus, ut coelibatum Clericorum ubique stabiliret, Simoniacos, et eo praetextu laicos, Imperatores, et Reges, ab investitura Clericorum arceret, simul Papalem potentiam supra omnes extolleret, in spiritualibus non tantum, sed et temporalibus: unde gravissimi illi motus suscitati sunt inter Ipsum et Henricum IV., ac alios, qui totum Occidentem in horribilem conjecerunt confusionem, et innumera pepererunt mala. Cum vero ipsius cum Henrico contentio praecipuam vitae et gestorum ejus partem constituat, illa historia paulo fusius et continua serie est enarranda. *Occasionem* praebuerunt nonnullae consuetudines, canonibus Ecclesiasticis adversae, commercia scilicet Clericorum cum foeminis, et nundinationes Ecclesiasticae, quibus munera Ecclesiastica emebantur et vendebantur, quae in Germania, Gallia, et Italia eo tempore grassabantur, simul a Clericis magnae autoritatis, in primis ab Henrico defendebantur, et exercebantur, ut omnes testantur Historici, vitae Gregorii non tantum scriptores et defen-

sores, sed et alii, ut Bruno in historia belli Saxonici, Lambertus Schafnab. et Marianus Scotus. Nec tamen Henricus ipse sese tam criminis Simoniae reum praestitit, quam ministri ejus, ut Albertus, Bremensis Archiepiscopus, Wernerus Comes, et alii; quod diserte tradit Lambertus. *Hi duo*, inquit, *pro rege imperitabant*, *ab his Episcopatus et Abbatiae*, *ab his quicquid Ecclesiasticarum*, *quicquid secularium dignitatum est*, *emebatur* — — — — *in Abbates vero* — — *tota libertate grassabantur*, *illud prae se ferentes*, *nihil minus regem in hos juris ac potestatis habere*, *quam in villicos suos*, *vel in alios quoslibet regalis fisci dispensatores*, etc. Ipse Henricus etiam se coram Legatis, a Proceribus Germaniae ad eum missis, ut Inperatoriam dignitatem ipsi eriperent, purgavit. Vid. Helmold. Chron. Sclavorum l. I. c. 32. Accesserunt alia crimina, Henrico inpacta, ut scortationis, adulterii, et oppressionis Saxonum, unde bellum ortum est Saxonicum.

§. DLXXX. Quo in rerum statu Papa factus cum canonum esset severissimus exactor, et summa ageretur Papalem autoritatem tuendi et exaltandi ambitione, tam bellam nactus occasionem, quam retuli, post frustraneas admonitiones, ut Henricum ad meliorem mentem adduceret, testibus epist. 9. et 11. lib. I., quas praemisit, ne pro motuum auctore haberetur, Synodum Romae indixit a. 1074., quae gravissimarum turbarum prima fuit origo, quam mox confirmavit, et graviorem fecit, Synodus secunda, ibidem habita a. 1075. Prioris decreta, quae ipse recenset in Epist. ad Ottonem Constantiensem, apud Bernriedensem in ejus vita, et exstant quoque in fronte *apologetici* super decreta Gregorii, ab anonymo compositi, nec non tom. X. concil. Labb., contra Simoniacos et fornicatores Clericos condita, habent 1. Clericos, qui officium adepti sunt per pretium, nullatenus in Ecclesia deinceps ministraturos esse 2. qui Ecclesias data pecunia obtinent, eas perdituros 3. Sacerdotibus uxoriis Missae celebrationem, et Diaconis ac subdia-

conis altaris ministerium interdici. 4. Populum non debere Clericorum officia recipere, qui Apostolicas institutiones spernunt. Ceterum, ut illud obiter observem, Gregorius Epist. 34. lib. IV. tres Simoniae species recenset, *a manu*, data per se aut alios pecunia, *ab obsequio*, praestito ad obtinendum munus servitio, et *a lingua*, per recommendationem alicujus petitam. Excommunicatus praeterea in hac Synodo est Gothofredus Mediolanensis, cujus supra memini, tanquam Ecclesiae invasor, nec non Robertus Guiscardus, Apuliae et Calabriae Dux, quod Beneventum, Pontificiae ditionis urbem, cinxisset obsidione. Vid. Leo Ostiens. III. 44., et in fine libri Epistolarum Gregorii de *rebus ab ipso gestis* a. 1074. Quae omnia non tantum in altera Synodo a. 1075. confirmata sunt, sed et plures Archiepiscopi ac Episcopi ab officiis suspensi sunt, inter quos fuit Constantiensis, qui prioris Synodi decretis, ad ipsum a Papa missis, insultaverat. Vid. Chronographus Constantiensis a Pistorio editus, et epist. Gregorii ad eum apud Bernrediensem. Quinque etiam de familia Henrici, quorum consilio Ecclesiae vendebantur, a *liminibus Ecclesiae* separati sunt, ita ut, nisi intra certum tempus Romam veniant, et satisfaciant, excommunicati habeantur. Fornicariis, vel uxoriis, Clericis interdictus est introitus Ecclesiae, et populus ab eorum officio audiendo arcetur, sive quod sacramenta, ab incontinentibus confecta, pro nullis sint habenda, ut Martinus Polonus, et Sigebertus a. 1074., tradunt, sive, ut sacerdotes hac ratione contemtui exponerentur, et ad uxores dimittendas compellerentur, ut Gregorius in epist. ad Ottonem Constantiensem dicit, et Anselmus Cantuariensis in epist. ad Wilhelmum, Abbatem Hirsaugiensem, mentem Gregorii exponit. Decretum utique in posteriore Synodo publicatum, quod recenset Simeon Dunelmensis de *gestis Regum Anglorum* ad a. 1075. et Rogerius Hovedenus in *Wilhelmo* seniore, proxime ad illud, quod Marianus Scotus et Sigebertus tradunt, accedit; sic enim in fine

 habetur;

habetur; *si qui autem in peccato perseverare maluerint, nullus vestrum officium eorum audire praesumat, quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, et oratio in peccatum* etc. Denique in hac posteriore Synodo decretum est conditum contra *Investituras*, quod refert Hugo Flaviniacensis in Chron. Virdunensi, quo declaratur, pro Episcopo vel Abbate non esse agnoscendum, qui Episcopatum vel Abbatiam de *manu alicujus laicae personae susceperit*, nec ullam ei praestandam esse obedientiam: quod ipsum de inferioribus Ecclesiasticis dignitatibus etiam statutum est, quando additur, si quis Inperatorum, Ducum, Marchionum, vel cujuslibet secularium potestatum, aut personarum, *investituram Episcopatus, vel alicujus Ecclesiasticae dignitatis, dare praesumserit, ejusdem sententiae vinculo se adstrictum sciat.* Imo ipsi Henrico nominatim est minatus excommunicationem, nisi investiturarum usum fecerit missum: ut testatur Arnulphus historicus l. IV. c. 3. Missa mox quaquaversum haec sunt decreta, legatio quoque in posteriore Synodo in Germaniam est destinata, quam obiit Curiensis Episcopus.

§. DLXXXI. Quae decreta, quorum executionem severe ursit Papa, in Germaniam perlata 1. totam mox Clericorum factionem, qui uxores nolebant dimittere, in Gregorium concitarunt; eo etiam usque, ut ipsum dixerint *haereticum*, teste Lamberto Schafnab., imo cum Sigefridus, Archiepiscopus Moguntinus, Synodo coacta Moguntiae a. 1075., decretum de coelibatu urgeret, tanti concitati fuerint motus, ut vix salvus videretur evasurus: quare ipse illud negotium Papae reliquit, eodem teste Lamberto. 2. Praeterea, quod majoris est, universum inperium fuit horribiliter concussum. In ipsa urbe Roma Cincius, ejus praefectus, ut Lambertus tradit, vel alius quis, ut Bernriedensis, latronum manu stipatus, in Ecclesiam, cum Papa celebrabat missam, irruens, multos occidit, ipsum Papam vulneravit, et violenter abstraxit. Sed, qui per populum armatum concurrentem est repressus, etiam, cum poenitentiam confiteretur, veniam a Papa

Papa inpetravit, ea conditione, ut Hierosolymam tenderet, ad gratiam Dei consequendam. Qui casus accidit a. 1075., memoratus Lamberto, sed fuse descriptus a Bernriedense. Henricus vero, bello Saxonico pressus, obedientiam initio pollicitus quidem est, sed, insigni victoria relata, animosior factus, sese Papae opponere omni vigore coepit: quare Papa eum litteris objurgavit, et ad promissa praestanda incitavit, quae est epistola 10. lib. III. Cum sic nihil proficeret, legatione missa a. 1076., eum citavit Romam, ut de criminibus responderet, *alioquin sciat, se absque omni procrastinatione anathemate esse abscindendum:* ut habet Lambertus. Quo irritatus Henricus, legatos contumeliose rejecit, et Wormatiae Episcoporum et Abbatum totius regni indixit conventum, in quo ad Hugonis Blanci, Cardinalis, a Papa depositi, accusationes, Papa, sine ulteriore examine, est depositus, tanquam Simoniacus, sedis invasor, et regiae dignitatis inminutor. Cui sententiae omnes subscripserunt, renitentibus licet initio Adelbero Wirtzburgense, et Hermanno Metensi, Episcopis, sed qui a Wilhelmo Trajectensi Episcopo refutati, et ad subscriptionem compulsi sunt, ni renunciare vellent Regi. Missae etiam sunt, eundem in finem, cum hoc decreto quaquaversum litterae, quibus inperata est et aliis subscriptio, quam in Longobardia et alibi fecerunt. Imo ad ipsum Papam acerrimae, idem nunciantes, directae sunt cum nunciis, quas recenset Bruno in bello Saxonico. Exhibuit autem eas in Synodo Romano Rolandus, Parmensis Clericus, in haec verba locutus: *Dominus meus Rex, et Episcopi omnes ultramontani, et Italici, praecipiendo mandant, ut invasam sedem B. Petri, et Romanam Ecclesiam a modo dimittas: non est dignum, sine praecepto illorum, et Inperiali dono, tantum honorem scandere.* Mox ad Clerum se vertens, in haec verba perrexit. *Vobis dicitur, fratres, ut ad futuram Pentecostes solennitatem regio conspectui vos repraesentetis, suscepturi de manibus Regis Papam et Patrem, quia hic non Papa, sed lupus dignoscitur.*

citur rapax. Quibus verbis adeo exacerbati sunt Romani, ut, ni Papa inpedivisset, ipsum e vestigio in Synodo discerpsissent. Sic omnes supra memorati scriptores referunt, ut Lambertus Bruno, Bernriedensis, Hugo Flaviniacensis, alii.

§. DLXXXII. Gregorius, nihil commotus, vices mox rependit Henrico, et ejus adseclis. Scribit quidem Lambertus, Papam tantum excommunicasse Regem, et cum eo Wilhelmum Trajectensem, Sigefridum Moguntinum, et Rupertum Babenbergensem, ceteris die dicto, quo, nisi Romae dicant causam, eodem percuterentur fulmine, sed Bernriedensis cum aliis, ut autore vitae Anselmi Lucensis, Domnizo in vita Mathildis Comitissae, tradit, Regem esse a Papa depositum, et non tantum a Regni administratione suspensum, sed exauctoratum, subditis a sacramento fidelitatis, ipsi praestito, absolutis. Quod acta Synodi Romanae VII. a. 1080. confirmant, ubi *iterum* dicitur exauctorari, et Gregorius adserit, se regem in Synodo a. 1076. deposuisse. Vid. Pagi ad Baronium. Relictus tamen est poenitentiae locus; dicit enim Papa l. IV. epist. 3. *si poenitentiam non egerit, de novi Regis electione esse deliberandum, adhibito consilio Agnetis Augustae.* Scriptis mox ad Teutonicos litteris, quas Bernried. et Bruno recensent, depositionem esse legitimam defendit, his prolatis rationibus 1. quia se a Simoniacis excommunicatis non abstinuit, 2. pro criminosis actibus vitae suae ne quidem promittere voluit poenitentiam 3. fidem, Papae de obedientia ipsi praestanda datam, fregit, 4. unitatem Ecclesiae scidit. Hac sententia publicata, et litteris encyclicis quaquaversum missis, res Henrici vergere coeperunt in deterius, maxime cum Saxonico bello adhuc esset inplicitus, et Papa per potentissimas adjuvaretur foeminas, Agnetem, matrem Inperatoris, Beatricem, Lotharingiae et Tusciae Ducissam, ejusque filiam Mathildem Comitissam, quae intima Papae familiaritate usa est, quaeque in ejus gratiam Liguriam ac Tusciam provincias,

cias, ſpreto conſobrino ſuo, et legitimo haerede, donavit Eccleſiae Romanae. Vid. Leo Oſtienſ. III: 46. Quam ob cauſam Papa in illegitimi commercii cum ea ſuſpicionem, et famam publicam, incidit, ut narrat Lambertus, qui tamen addit, *apud omnes ſanum aliquid ſapientes luce clarius conſtitiſſe, falſa eſſe, quae dicebantur*, quia ſcilicet Papae ſanctitas erat teſtatiſſima, et tale quid Romae non potuiſſet latere. *Signa etiam et prodigia*, inquit Lambertus, *quae per orationes Papae frequentius fiebant, et zelus ejus ferventiſſimus pro Deo et Eccleſiaſticis legibus, ſatis contra venenatas detrectatorum linguas eum muniebant.* Acceſſerunt nonnullorum Henrici familiarium miſerae et ſubitaneae mortes, quae ob id ipſum cenſebantur divinitus inflictae. Lambertus in ſpecie retulit Wilhelmi Ultrajectenſis mortem, et confeſſionem ab ipſo editam, ſe juſte ob flagitia in Papam pati, ſed ex aliorum relatione, dicit enim, *in hanc vocem, ut aſſerunt, ſine communione, ſine ulla ſatisfactione, exſpiravit.* Addit Bruno, eum poſt mortem adparuiſſe Abbati Cluniacenſi, eique aeternam ſuam adnunciaſſe damnationem. Aliorum etiam ſimilia fata retulit Annaliſta Saxo a. 1076. in fin.

§. DLXXXIII. Quicquid ſit, nonnulli Principes, ut Rodulfus Dux Suevorum, Welfo Dux Bajoariorum, et Bertoldus Dux Carinthiorum, multi Epiſcopi, inter quos ipſe Moguntinus, Henricum deſeruerunt, eumque, accedente populi, Papalem excommunicationem nimium verentis, averſatione, ad incitas plane redegerunt. Convenerunt quoque Principes Triburiam, inter Moguntiam et Wormatiam, una cum Apoſtolicis Legatis, ut novum crearent Regem. Quo tamen antequam veniant, Henrico propoſuerunt, velletne cauſam ſuam a Papa, qui Auguſtam veniret ſtatuto tempore, judicatam, et, donec id fieret, privatum agere Spirae, dimiſſo exercitu, addita interminatione, ſi per annum in excommunicatione maneat, ſe omnibus ſpretis conditionibus alium eſſe electuros. Henricus, in omnia con-

sentiens, Papae adventu Augustam non exspectato, in *Italiam* mox profectus est, cum uxore et filio parvulo, vix necessariis ad iter instructus, nec comitibus, praeter unum, nec gente nec opibus conspicuum, stipatus. De quo certior factus Papa, qui una cum Mathilde Comitissa jam in itinere Augustam versus erat, divertit in munitissimum castellum Tusciae *Canusium*: quo Rex sese etiam contulit, ut a Papa absolveretur. Intra secundum murum (triplici enim septum erat) admissus, sine ullo comitatu, laneis in vestibus, et nudis pedibus, frigore urente, a mane ad vesperam, jejunus per triduum perstitit, gratiam Papae inplorans. Quando tandem his conditionibus est absolutus, ut stato die et loco se Papae sisteret judicandum, praesentibus Germaniae Principibus, et, ad Pontificis sententiam, vel retineret Regnum, si crimina dilueret, vel, si vera esse pateret, eo privaretur, interea nec Inperii insignia sumeret, nec Regni suo jure administrationem, denique ut absolutus, purgatis criminibus, Romano Pontifici subditus semper obediret. In quae omnia miserrimus Rex consensum praebuit, sanctissimisque se obstrinxit vinculis. Addit Lambertus Schafnab., qui haec omnia narrat, Papam, absoluto Rege, cum missam celebraret, sumta eucharistia, se a criminibus inpactis purgasse, in haec verba: *ecce! corpus Domini, quod sumturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiae meae, ut omnipotens Deus suo me hodie judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus.* Altera mox parte Regi porrecta, ut idem faceret admonuit. Sed is recusavit, consultius esse contendens, ut coram Principibus causa legitime discutiatur. Petiit quidem Rex, ut mox coronaretur Inperator, sed repulsam tulit a Papa, qui illum antea esse a criminibus purgandum voluit: ut Bernred. testatur, qui etiam jusjurandum Regis, modo memoratum, recenset, cujus etiam meminit ipse Papa l. IV. ep. 12. ad Episcopos et Principes Germaniae.

§. DLXXXIV.

§. DLXXXIV. Quibus peractis, tantum abest, ut finis sit motibus inpositus, ut longe graviores sint facti. Cum enim Henricus, a Papa dimissus, in Longobardorum incidisset contemtum, qui ipsi ignaviam, et prostitutam coronam objecerunt, additis minis, se novum Regem, qui alium Papam constituat, creaturos, Rex, ut eorum gratiam recuperaret, denuo se Papae opponere, et jura inperii vindicare, adgressus est: ut narrat Lambertus. Interea Principes conventum habuerunt in munitissimo Episcopi Bambergensis oppido Forcheim, et Papam eo invitarunt. Rex, certior de eo a Papa factus, simul, ut se sistat, et conditiones inpleat, admonitus, se praetextu brevitatis temporis, et nimiae negotiorum copiae, excusavit, omnesque ita munivit aditus, ut nec Papa eo potuerit tendere Misit ergo Papa legatos, et Principibus omnia exposuit: ut refert Lambertus, qui in hac Papae legatione absolvit historiam. Principes vero Germaniae, Saxoniae, et Sueviae, stato die coacti, cum se ab Henrico viderent delusos, novum elegerunt Regem *Rudolphum*, Sueviae Ducem, licet invitum, hac conditione, ut Episcopatus nec pretio, nec gratia, daret, sed Ecclesiis liberam relinqueret electionem a. 1077. Rudolphus hac ratione electus, mox etiam, praesentibus Legatis Papae, unctus est a Sigefrido, Moguntino Archiepiscopo. Scribunt quidem nonnulli, ut Marianus Scotus, Albertus Stadensis, et Helmoldus, illud omne esse consilio et autoritate Papae factum, sed Otto Frisigensis dicit, *ut ferunt*, et ipse Gregorius in sententia depositionis iterata in Synodo Romana VII. adfirmat, *suo sine consilio* illud esse factum: quod Hugo Flaviniacensis in Chron. Virdunensi quoque tradit. De quo quicquid sit, Papa, uncto Rudolpho, videri voluit nullius partes sequi, sed se judicem et arbitrum interposuit, ut ei corona adjudicaretur, penes quem ipse judicaverit justam esse causam: ut habent ejus litterae apud Hugonem, et Synodi quoque Romanae V. et VI. acta. Quod

minus adrisit Saxonibus, qui Papae levitatem, inconstantiam, ac mentis mutationem inputarunt: testibus eorum litteris ad Gregorium apud Brunonem de *bello Saxonico.* Oportet itaque sine consilio Papae non egerint; maxime cum Papa silentio suo visus fuerit comprobasse, ut habet autor vitae Henrici. Utique ejus consilio omnia esse peracta, Historici passim tradunt, et Papae verba de Rudulpho in specie eligendo intelligi possunt, quod sine suo consilio dicere potuit factum esse, licet novum Regem voluerit eligendum. Vid. etiam Blondellus de formula *Christo regnante* p. 207. Denique, cum Papa Henricum, antea exauctoratum, non restituisset in regno per absolutionem, haec quoque sub conditione facta esset, ab Henrico non praestita, Principes utique, novum eligendo Regem, censeri debent convenienter voluntati Papae egisse.

§. DLXXXV. Traxit itaque Papa judicium de duobus Regibus ad se, et, Synodo Romana IV., a. 1078. habita, legatos in Germaniam misit ad lites componendas, vel inquirendum, a qua parte staret justitia, dirisque devovit eos, qui Legatos in eo inpediverint: ut habent acta Synodi, et Bertholdus in Chron. Praeterea varii Ecclesiastici in ea Synodo sunt depositi, ut ex iisdem actis, et Epistolis Papae a. 1078. datis constat, inter quos sunt Guibertus, Archiepiscopus Ravennas, Tedaldus Mediolanensis, tanquam sese contra sedem Apostolicam efferentes, Rolandus, qui Wormatiensis conventus sententiam contra Papam Romae pronunciaverat, et Hugo Candidus Cardinalis, semel, et iterum, sedis Apostolicae factus apostata. Celebrata eodem anno est Synodus Romana V., in qua utriusque Regis legati jurarunt, colloquium Legatorum Papae in Germania non esse inpediendum. Damnata porro iterum est haeresis Berengariana, et canones quidam ad disciplinam sanciendam conditi sunt, ab Hugone quoque in Chronico Verdun. recensiti, inter quos sunt, qui investituras et Simoniam damnant, est etiam, qui esum carnis diebus Sabbati prohibet,

bibet, non tamen sine aliqua exceptione. Deinde, Synodo Romana VI. a. 1079. congregata, Legati Rudolphi de violentiis Henrici conquesti sunt, quod omnia sacra profanaret, Episcopos et sacerdotes partim carceri manciparet, partim occideret: quare Henricum plures voluerunt excommunicandum, sed restitit Papa, qui ante voluit haberi colloquium in Germania. Tandem famosa illa Synodus Romana VII. a. 1080. celebrata est, in qua damnatae non solum iterum sunt Investiturae Laicae, et qui ita munera sacra acceperant, aut contulerant, a limine Ecclesiae prohibiti sunt, sed et ultima sententia depositionis in Henricum lata est, ac Rudolphi electio confirmata. Sententia in Henricum ita habet: *quapropter confidens de judicio et misericordia Dei, ejusque piissimae matris, semper virginis, fultus vestra autoritate* (non Patrum Synodi, sed Petri et Pauli, quos in tota oratione adloquitur) *saepe nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omnesque fautores ejus, excommunicationi subjicio, et anathematis vinculis alligo, et iterum regnum Teutonicorum et Italiae, ex parte omnipotentis Dei et vestra, interdicens ei omnem potestatem, et dignitatem illi regiam, tollo, et, ut nullus Christianorum ei, sicut Regi, obediat, interdico, omnesque qui ei juraverunt, vel jurabunt de regni dominatione, a juramenti promissione absolvo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullamque in vita sua victoriam, obtineat.* Sequitur mox confirmatio electionis Rudolphi in haec verba: *ut autem Rudolphus regnum Teutonicum regat et defendat, quem Teutonici sibi elegerunt in Regem, ad vestram fidelitatem* (scilicet Petri et Pauli) *ex vestra parte dono, largior, et concedo, omnibusque sibi fideliter adhaerentibus absolutionem omnium peccatorum, veram benedictionem, in hac vita et futura, vestra fretus fiducia, largior* etc. Rationes vero sententiae dantur, *quod Henricus inobediens fuit Sedi Romanae, quod est idololatriae crimen, colloquium impedierit, magnam multitudinem Christianorum morti tradiderit, Ecclesias fecit dissipa-*

ri, et totum pene Teutonicum regnum desolationi dedit. Reperitur haec sententia in actis Synodi Romanae VII. apud Bernriedens. et in Chronico Virdunensi Hugonis, et alibi in collectionibus Conciliorum. Secundum hanc sententiam misit coronam Rudolpho cum hac inscriptione, ut habet Otto Frisingens. de gestis Frederici I., et Gotfridus Viterbiensis in Chronico:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho,

vel, ut Helmoldus habet

Petra dedit Romam Petro, Tibi Papa coronam.

§. DLXXXVI. Sed ad haec extrema antequam venit Papa, operam dedit partibus suis contra Henricum firmandis, quippe facile praevidens, eum inpetum in Italiam facturum. Reconciliavit itaque sibi et Ecclesiae Robertum Guiscardum, Apuliae et Calabriae Ducem, ne eum in suas partes traheret Henricus, ab excommunicatione, cui eum antea subjecerat, absolvendo, et foedus cum eo pangendo, hisce sub legibus, ut Inperatoris dignitatem et nomen ei tribueret Pontifex, Dux vero Pontifici adesset in omnibus, quando et ubi vellet Papa. Factum hoc est a. 1077. et foedus confirmatum est a. 1080. Vid., praeter Annam Comnenam lib. I., Gulielmus Apuliensis l. IV. rerum in Apulia ac regno Neapolitan. Normannorum, et Richardus Cluniacens. in historia sui temporis, quam medio sec. XII. scripsit apud Ptolemaeum Lucensem. Accepit praeterea Robertus in eodem colloquio investituram Ducatus Apuliae a Papa.

§. DLXXXVII. Quibus peractis Rex vehementissime indignatus, cum Principibus, et Episcopis, qui ejus partes tuebantur, par pari ante omnia retulit Papae, quippe quem in Moguntino, dein Brixiensi, conventu a. 1080. deposuit, ut

ut invasorem sedis sine Regis autoritate, regni perturbatorem, conjugiorum proculcatorem, divinationum, ac somniorum, cultorem, et necromanticum, denique multorum criminum reum. Elegit quoque novum Papam *Guibertum* Ravennatem, quem mox Mutinensis et Aretinus Episcopi consecrarunt, nomine *Clementis* III. adsumto. Vid. Hugo in Chron. Virdun., Otto Frisingens. de gestis Frederici. Abbas Urspergens., et alii. Crimina vero Gregorio inpacta pluribus enarrat quidem Benno, sed Gregorio nimis infestus, quam ut per omnia fidem mereatur; maxime cum de castitate et sanctitate Papae omnes testentur historici, ut Lambertus Schafnab., Otto Frising., Wilhelm. Malmesburiens., Gulielmus Apuliensis, Bertoldus Constantiens. in adpendice ad Hermann. Contr., ne de Anselmo Lucens. in apologia contra Guibertum Anti-papam, et aliis similibus, dicam, Vid. Gretserus in *apologia* pro Gregorio VII. Quid? quod ipse autor vitae Henrici, scriptor aequalis, et panegyrista Henrici, *nihil adfirmare audeat de criminibus, et justitia depositionis, Papae.* Utique magiae crimen censeri potest ipsi inputatum, quod litteris et artibus bene fuerit excultus, teste Damiani l. II. epist. 7. Doctis autem, in primis Philosophiae et Mathesios peritis, haec macula passim fuit inusta. Henrici partes, ut filum historiae pertexam, valde per prosperum belli successum creverunt. Praelio, cum Rudolpho habito, hic occisus, et exercitus Saxonicus in fugam actus est, ut Marianus Scotus refert, sicut et in Italia Mathildis copiae fugatae sunt, eodem ann. 1080. Unde tantus omnes corripuit terror, ut plures Henrici partes fuerint amplexi, nec a Gregorii partibus in Italia quis steterit praeter Mathildem. Vid. Bertoldus.

§. DLXXXVIII. Perrexit quidem Papa in fulminibus jaciendis, Synodo *octava* habita a. 1081., qua Henrici excommunicatio firmata est, una cum Guiberto Antipapa, et omnibus fautoribus, ut ex *actis* liquet: sed venit eodem anno in Italiam Henricus, obvia quaevis vastans, adeo ut

prudentiores duxerint consultius pacem cum Henrico facere, si aequis a Papa fieri possit conditionibus. In Germania longe minore numero erant Pontificii, et in Italia animis despondebant, Robertus Normannus Papae ob bellum Dalmaticum opem ferre non poterat, ut habet Gulielm. Apuliensis, vel, ut Anna Comnena tradit, Henricum et Papam, cum uterque auxilium peteret, irrisit. Mathildes Papae adhaerescere perrexit, seseque Henrico opposuit, Henrici impetum propterea prima experta: teste autore vitae Anselmi Lucensis. Hinc Romam tetendit Henricus, quam a. 1082. obsidere coepit, partem a. 1083., et totam a. 1084., occupavit, Papa sese in castellum S. Angeli recipiente, ut, praeter Abbatem Urspergens., et Bertoldum, ipse refert Henricus, in epist. ad Theodoricum Virdunens. Episcopum, in Spicilegio Dacheriano: quando Guibertus, sub Clementis nomine, mox inthronizatus, et Henricus ab eo Imperator coronatus est. Nec tamen Urbem diu tenuit Henricus, a Roberto Normanno, qui ad Papae auxilium advolaverat, fugatus, et Roma expulsus, accedentibus Mathildis copiis, et in Germaniam reversus. Quo facto, Papa Synodo *decima* Romae celebrata, excommunicationem denuo confirmavit, et a Roberto est Salernum deductus a. 1084., ut Leo Ostiens. tradit, et Gulielm. Apuliens, ubi brevi est defunctus.

§. DLXXXIX. In Germania interea aliquae Synodi pro, ut dicitur, et contra, celebratae sunt in hac ipsa causa, verbo recensendae. Ann. 1085. in Synodo Moguntina, jussu Henrici coacta, cui et ipse cum legatis Clementis III. interfuit, Gregorii depositio, et Clementis inauguratio comprobata est, nonnulli Gregorii adseclae damnati sunt, ut ex Abbate Ursperg., Sigeberto, et aliis, constat. Quo eodem anno alius est habitus conventus in Berbac, Thuringiae loco, ubi utriusque partis patroni de *justitia* utriusque partis disputarunt, Wecilone, Archiep. Moguntino, partes Imperatoris, et Gebhardo Gregorii tuente: sed re infecta dis-

cessum

cessum est. Acta supersunt apud Abbatem Urspergensem. Sed huic conventui opposuit Otto, Apostolicae sedis Legatus, Synodum Quintilineburgensem in Saxonia, cujus acta enarrat Bertoldus; ubi decretum est, judicium sedis Apostolicae a nemine retractandum esse, sicut in conventu Berbacensi erat factum. Sed et in hac Synodo damnata est thesis Cuniberti, Clerici Bambergensis, qui primatui Papae palam contradixit, quae habebat, Pontifices sibi adrogasse primatum, quo nullius judicio subjacent, et non aliunde concessum haereditasse. Damnata denique ibi est secta Wecilonis, Archiepiscopi Moguntini, quae tenebat, seculares, suis rebus spoliatos, non subjacere Ecclesiastico judicio, sed ante esse in integrum restituendos, praeterea, excommunicatos sine reconciliatione posse recipi, et excommunicationis sententiam injustam nihili esse faciendam. Statutum vero hic est, excommunicatum esse absolvendum more Ecclesiastico, etiam injuste excommunicatum, modo a legitimo judice.

§. DXC. Ad alia Gregorii acta antequam accedam, non possum quin obiter observem, Sigebertum Gemblac. in Chron. a. 1085. tradere, qui *se hoc scriptum reperisse* testatur, Papam, rescissa sententia in Henricum, eum cum fautoribus paulo ante obitum absolvisse, imo fassum esse, *se valde peccasse in pastorali cura, et, suadente Diabolo, contra humanum genus odium et iram concitasse.* Cui alii autores, sed partium Gregorii, contradicunt, Bernriedens. etiam diserte tradit; omnes a Papa esse absolutos praeter Henricum, Guibertum, et omnes principales personas, quae consilio aut auxilio faverunt nequitiae. Vid. etiam Hugo Flaviniacensis in Chron. apud Dacherium in not. ad Epistolam V. Lanfranci, auctor aequalis. Referunt quoque, suprema ejus verba fuisse, *dilexi justitiam, et odi iniquitatem, propterea morior in* exilio: uti *legenda* Gregorii quoque habet, qua tanquam sanctus colitur; quae in Biblioth. Italia tom. VI. recensetur. Defendit nihilominus veritatem narrationis Sigeberti Blondellus de formula *Christo regnante*, p. 238.

§. DXCI. In genere de Gregorio dici potest, eum fuisse canonum Ecclesiasticorum observantissimum, ipso etiam teste l. II. ep. 50. ad Sancium, Aragoniae Regem, cui propterea petitionem de Clerico ex concubinatu nato ad Episcopatum Aragoniae promovendo negavit. Declarat etiam in ea epist., sedem Apostolicam *nunquam in suis decretis et constitutionibus solere a concordia canonicae traditionis discedere.* Vid. etiam Epist. 5. l. V. ad Aquilejenses. In eo etiam fuit Papa, ut regna fere omnia faceret sedi Romanae censualia; quod jam antea, praecipue Ecclesiarum et monasteriorum respectu, obtinuit, vel in signum libertatis ab Episcopali jurisdictione, sive in argumentum singularis protectionis sedis Romanae, sive ob nexum feudalem, in memoriam factae olim oblationis in feudum Ecclesiae Romanae. Vid. Boehmer. Jur. Eccles. l. III. tit. 39. Sed recenseamus praecipua ejus acta et gesta 1. Regnum Aragoniae est hoc tempore sedi Romanae a Sancio Rege *tributarium* factum, adeo ut se, liberos, et regnum dominationi Pontificis subjecerit, et censum 500 aureorum quotannis solvendum instituerit: ut habet Petri, filii ejus, epist. ad Urbanum II. Scripsit quoque ad regem Aragoniae epistolam Gregorius, quae est 28. lib. IV., in qua contendit, Regnum Hispaniae Petro et Ecclesiae Romanae esse traditum *in jus et proprietatem, ex antiquis constitutionibus.* 2. Comiti de Roccio Hispaniae concessit partem, eo jure, quod Hispaniae regnum ab antiquo sit juris S. Petri. Vid. praeter epist. citatam, etiam ep. 6. lib. I. 3. Jussit Petro Albanensi legato in Gallia, ut a singulis domibus *unum* exigat pro sede Romana denarium, provocans ad morem sub Carolo M. l. VIII ep. ult., cujus tamen consuetudinis nullum exstat vestigium. Dicendum itaque est, si Papae fides sit salva mansura, eam pecuniam, nec tributi, nec vectigalis, sed eleemosynarum nomine fuisse a Carolo pro arbitrio datam: ut observat Cantelius in hist. urbium Metropolit. p. II. diss. 3. In Philippum I. Franciae regem,

4. acer-

4. acerbissimis invectus est litteris, quibus ipsi Ecclesiarum destructiones, rapinas, adulteria, perjuria, depraedationes, exprobrat, et exauctorationem minatur, nisi Episcopos, a Clero populoque electos cum Regis adsensu, Ecclesiis praefici patiatur, et pecuniam mercatoribus, ad forum quoddam Franciae tendentibus, ereptam restituat. Vid. l. I. ep. 35. et 36. et l. III. ep. 18. 33. Interea falsis rumoribus deceptus haec temere adseruit, et Papale Dominium in eo ostendit. Vid. Blondellus de formula *Christo regnante* p. 136. Rex tantum Matisconensis Episcopi consecrationem inpedierat, et exteros quosdam mercatores, incertum quo nomine, grandi pecuniae summa spoliaverat. 5. Alphonsum, Castellae Regem, qui nuptias cum uxoris suae consanguinea inierat, increpuit, et, ni incestam dimittat mulierem, se gladium Petri in ipsum districturum, minatur. Vid. l. VIII. ep. 3. 6. Salomonem, Hungariae Regem, increpuit, quod regni investituram non a Romano Pontifice, ut debuerat, sed a Rege Germaniae acceperat, jussitque, ut sceptrum suum *Apostolicae*, non regiae, majestatis beneficium esse recognosceret: cum regnum Hungariae sit Ecclesiae Romanae *beneficiarium*, a Stephano rege ei addictum. Vid. l. II. ep. 22. 7. Boleslaum Poloniae regem ob necem Stanislao, Cracoviensi Episcopo, illatam excommunicavit, regnoque privavit, subditis interdicta obedientia: ut refert Longinus, rerum Polonicarum scriptor.

§. DXCII. 8. Demetrio, Regi Russorum, et uxori ejus, denunciat, se, ipsis consentientibus, tradidisse filio ipsorum gubernacula regni l. II. ep. 74. Ad Suenum, Danorum regem, 9. scripta epistola, quae est 75. lib. II., de Principibus ac regibus conqueritur, quod Papales legationes minus revereantur, seseque inobedientiae erga Papalem sedem, quam idololatriae nomine insignit, reos agant; addit, decessores suos universas nationes docere et corripere fuisse solitos, legemque Romanorum Pontificum plus terra-

rum, quam Inperatorum, obtinuisse. Quem superbum animum omnes ejus spirant epistolae: quare plura non proferam specimina, praeter formulam juramenti, quam Inperatori, post obitum Rudolphi eligendo, praescripsit epist. 3. lib. IX., quae, inter alia, habet, regem juraturum, *se, quodcunque illi praeceperit Papa, sub his verbis per veram obedientiam fideliter, sicut oportet Christianum, observaturum* etc. Denique ad genium Papae cognoscendum et illud facit, quod ad Saracenorum Regem Anzer litteras dederit, ut ejus animum sibi devinciat, non sine aliqua honoris Christianae religionis prostitutione: vid. l. III. ep. 21. Quae omnia clariora fient per *hypotheses*, quas in regimine secutus est, quaeque *sectam*, vel *haeresin Hildebrandinam* constituunt. De quo paulo adcuratius est differendum.

§. DXCIII. Referri possunt ad tria capita, *coelibatum Clericorum*, *Investituram* Laicis illicitam, et supremum, ac universale, sedis Papalis *dominium* in spiritualibus et temporalibus.: 1. Hypothesis de *coelibatu Clericorum* alio hic nomine locum reperire nequit, quam quod eum vehementius urserit Gregorius, et sub excommunicationis ac depositionis poena praescripserit, laicis quoque *missam* uxoratorum sacerdotum *audire interdixerit*, *novo*, ut Sigebertus Gemblac. in Chron. a. 1074. inquit, *exemplo*, *et*, *ut multis visum est*, *inconsiderato praejudicio contra sanctorum Patrum sententiam.* etc. legatis quoque missis, qui eam legem executioni severe mandarent, unde acerrimae oppositiones, ingentesque motus, praecipue in Germania, orti sunt, sicut ex superiore historia satis elucescit, et tradit quoque Sigebertus l. cit. Vid. etiam Usserius de success. Ecclesiae cap. V. et *Catalogus* testium veritatis, lib. 13., ubi de sacerdotum coelibatu, in Germaniam, inter multas oppositiones, introducto per Gregorium, et successores, historica exstat tractatio. Ursit autem coelibatum propterea in primis *a.* ut bona Ecclesiastica rectius conservarentur, et administrarentur, ac ditarentur Ecclesiae *β.* Clerus Papis esset devotior, quippe

qui

qui Principum gratiam non necesse habeat propter familiam captare. Ceterum de motibus in Ecclesia Mediolanensi propterea suscitatis, supra suo loco egi; hic addo, sub Stephano IX. audire ibi coepisse nomen *Patarinorum* vel *Patalinorum*, ut Lombardi; R in L mutare soliti, pronunciabant, quo non *incontinentes*, ut nonnulli putant, sed *coelibatus* defensores, contemtus ergo, adpellati sunt, uti ex Landulpho seniore apud Puricellum, Arnulpho in hist. Mediolanensi, et Hugone Flaviniacense demonstravit Pagi ad a. 1058., qui alias *Arialdistae* sunt dicti, ab Arialdo, severo coelibatus in Ecclesia Mediolanense patrono. Scribit vero Arnulphus, illud nomen fuisse casu prolatum. Quod ipsum nomen postea sec. XII. est ad haereticos diffamandos translatum. Nomen illud originem traxisse a loco Mediolani, *patario* dicto, ubi haeretici solebant conventus agere, jam est occupatum.

§. DXCIV. 2. Secunda hypothesis est de *Investituris*, omnibus Laicis, cujuscunque sint ordinis et dignitatis, ereptis: unde motus maxime sunt orti, nec non *Henricianorum et Hildebrandinorum*, seu Pontificiorum, nomina. Originem et seriem hujus controversiae, quae sub Gregorio incepit, et sub Victore et Paschali continuata est, ex pluris fontibus adcurate etiam enarravit Juretus ad Ivon. Carnot. ep. 236. *Investitura* erat consensus Imperatoris, vel Regis, Episcopo vel Abbati electo, cum jure in Ecclesiastica bona collato, signo externo et solenni ritu factus, scilicet per baculum et annulum. Originem praebuit liberalitas Regum, qua non tantum praedia, sed et regalia, seu feuda, majestati obnoxia, concesserunt Episcopis et Abbatibus. Unde legitimum nascebatur jus, cum electos adprobandi, tum hominium et juramentum fidelitatis ab iis exigendi. Episcopi enim et Abbates constituebantur quidem per has donationes *Domini* terrarum, sed et vasalli Regum, regibus subjecti. Quod honorificae servitutis genus, iis inpositum, promeruerunt Reges suis largitionibus, et

compensarunt: ut differit Helmoldus Presbyter in Chron. Sclavorum l. I. c. 69. Obtinuit vero Investiturarum usus in Germania, Gallia et Anglia, ex quo praedia et feuda in Episcopos et Abbates sunt collata, adeoque per tria vel quatuor secula ante Gregorium. Vid. Natalis Alex. diss. IV. ad hoc sec., et Meibomius Rer. German. Script. tom. II. Addatur Seldenus in not. ad Eadmerum Novor. in praefat. Ecclesia quoque sese huic consuetudini nunquam opposuit, licet investiturarum praetextu ipsos Episcopatus et Abbatias saepe dederint Reges, salvo quippe semper Clerici et populi consensu, cum libertate electionis. Eodem etiam jure gavisi sunt Inperatores in Paparum electionibus, teste eorum historia. Sed magnos progressu temporis peperit haec consuetudo abusus, quibus Ecclesia fuit omni libertate privata, et in servitutem redacta, ita ut nihil amplius juris ipsi fuerit in Clericorum electionibus relictum, investitura vicem electionis supplente, et Episcopatum conferente. Nec hoc tantum, sed Episcopi hac ratione, invitis Ecclesiis, intrusi saepe sunt, etiam indigni prorsus, et officia sacra facta fuerunt venalia, per pecuniam et ambitionem inpetrata. Qui abusus cum hoc seculo maxime grassarentur, uti Anselmus Lucensis in libris contra Guibertum Anti-papam pro defensione Gregorii in Antiq. Lection. Canisii, indeque in Bibl. M. Patrum tom. XVIII., fusius deducit: Gregorius, in alterum praecipitatus extremum, ipsum usum legitimum cum abusu e medio tollere adgressus est, vel praetextu abusus jus investiturae Regibus et Inperatoribus conatus est eripere; contendens illud Ecclesiae libertati, etiam canonibus Ecclesiae, esse contrarium, cum tamen canones partim sint conditi, quo tempore nulla erat investiturae necessitas, antequam ejusmodi praedia et feuda essent in Ecclesias collata, partim tantum damnent electiones, quae sine Cleri et populi consensu fiebant, aut per Simoniam. Gregorius itaque vere in animo habuit Ecclesiam a seculari potestate prorsus separare,

parare, sibique in solidum subjicere. Amissis utique investituris, Inperatores et Proceres Inperii jura sacra perdiderunt, illud etiam ex parte *remotum*, quod, teste Paulo 2 Thess. II., retineret *virum*, *sese super omnia efferre volentem*. De quo legi meretur Cl. Boehmer Jur. Eccles. l. I. tit. 31., qui etiam ibid. tit. 6. de investitura ejusque jure et effectis differit. Quo eodem scopo etiam tantopere ursit coelibatum Clericorum, quia per conjugia et familias nimis inplicabantur potestati seculari, eamque venerari debebant. Ceterum primus Paparum, qui investituras Laicas palam damnavit, etiam sub anathematis poena, est Gregorius, ut Wilhelmus Malmesbur. de *gestis* Regum Anglorum l. III. Gulielmus Tyrius hist. l. I. 23., aliique, testantur. Simile quid animo volvisse Gregorium VI. tradit quidem Malmesbur. l. II., sed incertum qua fide, et, si verum, nostri Gregorii instigationibus id est tribuendum; nec palam illud adgressus est. Quando vero et quibus in Synodis id fecerit Gregorius VII., quique inde motus orti sint, supra narravi: quare plura non addo, nisi illud unum, Goffredum Vindocin. Abbatem in illam Laicorum investituram vehementer detonasse, lib. III. ep. 22. Oper. Sirmondi tom. III., ubi, quod notandum, investituram dicit esse *sacramentum*, *id est sacrum signum*, *quo princeps Ecclesiae*, *Episcopus scilicet*, *a ceteris hominibus secernitur pariter* et *dinoscitur*. Contra Simoniacos et laicales investituras etiam declamavit Hildebertus Cenomanensis Serm. 92., ubi inter alia dicit, *non intrat per ostium*, *qui per laicalem manum intrat*, *non enim laicis spiritualia tradita sunt*, *sed vicariis Domini*, *Vicarii vero Domini sunt*, *qui Apostolorum vicem tenent*. etc.

§. DXCV. 3. *Tertia* denique hypothesis supremam comprehendit et universalem Paparum potestatem in Spiritualibus et Temporalibus: quam luculenter exponit sic dictus *Dictatus* Gregorii VII., ejus registris insertus inter epist. 55. et 56. lib. II. Continet viginti septem articulos, qui papalem autoritatem et potestatem vix relinquunt huma-

nam, utique supra omnes potestates, seculares et Ecclesiasticas, extollunt, et plenissimum ac universale in Ecclesia ei dominium tribuunt. Exstant etiam apud Baronium, et in tomis conciliorum, ac apud Usserium de Succes. Eccles. cap. V. merentur et hic recitari. 1. Quod Romana Ecclesia a solo Domino sit fundata. 2. Solus Romanus Pontifex jure dicatur Universalis. 3. Ille solus possit deponere Episcopos et reconciliare: definitivam esse penes Papam sententiam habet etiam Leo IX. in epist. ad Petrum et Johannem Episcopos Africanos: cujus supra memini 4. quod Legatus Papae omnibus Episcopis praesit in concilio, et adversus eos sententiam depositionis possit dare 5. Absentes Papa possit deponere. 6. Quod cum excommunicatis a Papa ne in eadem quidem domo liceat manere 7. Illi soli liceat, pro temporis necessitate, novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica facere abbatiam, et, e contra, divitem Episcopatum dividere, et inopes unire. Qui articulus convenit epist. ejus 77. lib II. 8. Quod solus possit uti Inperialibus insigniis. 9. Solius Papae pedes omnes Principes deosculentur. 10. Quod illius solius nomen in Ecclesia recitetur. 11. Unicum sit nomen in mundo. 12. Quod illi liceat Inperatores deponere. 13. etiam Episcopos de sede ad sedem, necessitate cogente, transmutare. Derivarunt hanc potestatem Papae ex eo, quod Deus solus possit conjugium carnale dissolvere; cum conjugii spiritualis conspectum ferat Episcopatus et Papa sit vicarius Christi. Ita utique ratiocinatus est Innocentius III. epist. 532. lib. I. 14. Quod de omni Ecclesia Clericum valeat ordinare. 15. Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiae praeesse possit, sed non militare quodque ab alio episcopo non debet superiorem gradum accipere. 16. Quod nulla Synodus absque praecepto ejus debeat *Generalis* adpellari. Cui concinit Leo IX. in epist modo citata. 17. Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur sine illius autoritate. 18. Sententia

ejus

ejus a nullo debeat retractari, ipse vero omnium retractare possit solus. 19. Ipse a nemine judicari debeat. 20. nullus audeat condemnare Apostolicam sedem adpellantem. 21. Majores causae cujuscunque Ecclesiae ad eam sedem referri debeant. 22. Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, testante Scriptura, errabit. 23. Romanus Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficiatur *Sanctus* etc., quod capitulum etiam expressum est in epist. Gregorii ad Herimannum Metensem. 24. Quod illius praecepto et licentia *subjectis* liceat accusare. 25. Quod absque Synodali conventu possit Episcopos deponere et reconciliare. 26. Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae Ecclesiae. 27. Quod a fidelitate iniquorum subjectos possit absolvere.

§. DXCVI. Ex quo *dictatu* facile elucescit, Gregorium sibi summam non tantum adrogasse potestatem, sed et qualem, et quantam, nemo ante ipsum sibi sumsit. Utique 1. novum est, quod nomen *Papae* ad solos restrinxerit Episcopos Romanos. Vid. Baluzius ad Lupum Ferrariens. p. 420. et Natalis Alex. diss. 4. ad sec. XI., 2. novum etiam, quod Papa dicatur *Universalis*: quod tanquam Antichristianum olim rejecerat Gregorius M., et Leo IX., in epist. ad Michaelem Patriarcham, etsi illud Papae Romano jure competere dicat, a nullo hactenus fuisse usurpatum, humilitatis ergo, adserit. 3. Quod absentes possit Papa deponere, ut in turbulenta hac rerum conditione multis ostendit exemplis, canonibus plane est adversum, excepto contumaciae casu. 4. Novum cum maxime est, quod Regum exauctorandorum potestatem sibi vindicaverit, et primus exercuerit. Ante ipsum unus aut alter excommunicare ausus fuit Reges, ut ex superiorum seculorum historia constat, sed nullus eos deponere, et subditos a fidelitate absolvere, tentavit. Vid. Natalis Alexander. diss. II. ad hoc seculum, qui, illud novum et inauditum fuisse, multis evincit. Di-

ferte etiam illud testatus est Otto Frising. lib. VI: et de gestis Frederici lib. I. c. 1., et Sigebertus Gemblacens. in Chron. a. 1088., nec non Gotfredus Viterbiensis in Chron. *parte* XVII. Gregorius vero in ep. ad Herimannum Metensem illud suum jus defendere conatus est, sed infeliciter et absurde.

§. DXCVII. Hinc etiam, praeter vehementes motus, ortae sunt disputationes variae, una cum Henricianorum et Pontificiorum nominibus, quorum *illi* autoritatem Imperatoris in electionibus Episcoporum, etiam Romani, sive investituras, defendebant, et Paparum potestatem in Regibus exauctorandis refutabant, *hi* vero, contra, prius negabant et posterius urgebant. Utriusque partis autores aliquos recensuit H. Bangertus ad Helmoldi *Chronicon* Sclavorum lib. I. c. 28. Sed habuit Papa, in posteriore praecipue capite, paucos admodum defensores, ut ipse fatetur l. VII. ep. 3. ad Germanos: *quotquot Latini sunt*, inquiens, *omnes causam Henrici, praeter admodum paucos, laudant ac defendunt*. De Germaniae Episcopis idem colligi potest ex epist. Gregorii ad Herimannum Metensem. De Gallicanis illud indicat Anonymus historiae Francicae scriptor, Monachus Floriacensis apud Duchesnium tom. IV. Ivonem etiam Carnotensem et Gallos eam non fovisse de potestate Papae in Reges et regna sententiam, demonstrat quoque Blondellus de formula *Christo regnante* p. 115., ubi multa habet ad historiam Gregorii illustrandam. Vid. Ivonis epist. LX., ad Hugonem, Lugdunensem Archiep., et Apostolicae sedis Legatum. Quod vero Ivo scripsit, ab Urbano Papa *restituendam coronam*, illud spectat ad sacra solennia, eratque communionis Ecclesiasticae indicium. Solebant scilicet saepius coronari Reges et in festivitatibus sacris, in signum communionis: ut idem ibid. observat. Ceterum in genere testatur autor apologiae pro Henrico, seu historiae vitae ejus, inter illustres Germanicarum rerum scriptores Urstitii, factum illud Papae multis displicuisse, eosque adseruisse,

se, tam inefficaciter quam illicite esse factum, quod factum est. Quid? quod ipse Rudolphus, in locum Henrici electus, proximus morti, post infelicem pugnam, cujus supra memini, agnoverit culpam suam, ad familiares dicens: *videtis hanc dextram meam, de vulnere sauciam, hac ego juravi Henrico Domino, ut non nocerem ei, nec insidiarer gloriae ejus, sed jussio Apostolica, Pontificumque petitio, me ad id adduxit, ut, juramenti transgressor, honorem mihi indebitum usurparem.* Refert id etiam Helmoldus in Chron. Sclavorum l. I. c. 29. Scripserunt praeterea aliqui pro Henrico contra Papam in hac causa: uti Venericus, Vercellensis Episcopus, in libro, sub persona Theodorici Virdunensis, ad Gregorium de *discordia regni et sacerdotii*: exstat Epistola Theodorici ad Gregorium in Thesauro Martene tom. I. Praeterea Waltramus, Episcopus Naumburgensis, apologiam pro Henrico scripsit, quam Huttenus edidit, et de *unitate Ecclesiae* inscripsit. Denique Otbertus, Leodiensis Episcopus, una cum Clero, et Sigebertus Gemblacensis, tuiti sunt Imperatorem. Tantum Gregorium contra Henricianos defenderunt Anselmus Lucensis, supra citatus, Gebhardus Salisburgensis, cujus orationem refert Bruno de bello Saxonico, inter scriptores German. Freheri, et Stephanus Halberstatensis in epist. ad Waltramum, apud Tengnagellum in collectione veterum monumentorum contra schismaticos. Investituras Laicas acerrime, tanquam haeresin, perstrinxit quoque Goffredus, Abbas Vindocinensis sec. XII. opusculo II., quo de electione Episcoporum agit, et contra Investituras.

§. DXCVIII. 5. Novum praeterea erat, quod Papa sibi supremum in spiritualibus et temporalibus adrogaverit imperium, ita ut ipse solus novas condere leges, ipsius solius nomen recitari debeat in Ecclesiis, nullus sit liber canonicus sine ipsius autoritate, omnes Papae etiam per merita Petri sint sancti etc. 6. Denique, quicquid nonnulli Papae sibi aliquando adtribuerunt, confirmavit, et ad se transtulit,

ut, quod a nemine sit judicandus, nemo ejus judicium retractare debeat, Ecclesia Romana nunquam erraverit, aut erratura sit, etc., quodque solus possit uti *Inperialibus insigniis*, scilicet *corona*, sed solus, non Caesarum et Regum, verum Episcoporum. Usi vero sunt Papae ante Bonifacium VIII. *una* corona, ipse addidit *alteram*, denique *tertiam* Urbanus V., de quo postea.

§. DXCIX. Spirat itaque hic Gregorii *dictatus* animum Antichristianum, quatenus vicem Christi in terris supplet, et libertatem Ecclesiae penitus destruit: ita ut sub specioso Ecclesiam in libertatem adserendi praetextu, quo Papa in bello cum Henrico usus est, Ecclesia fuerit Papali jugo subjecta. Verum quidem est, Launoium; cui et alii nonnulli consentiunt, contendere l. VI. ep. 13., haec decreta non esse a Gregorio profecta, sed sine solido fundamento. Quod vero multa nova hic reperiantur, illud tantum abest, ut rem conficiat, ut potius confirmet, cum talia constet a Gregorio esse introducta, eumque in eo totum fuisse, ut Ecclesiam Inperiali eriperet dominio, et Papale ei substitueret. Quicquid antea fieri solebat ab Inperatoribus, illud sibi rapuit. Quo decreta illa tendunt. Conferatur sententia contra Gregorium lata, in Synodo Wormatiense apud Goldastum in Stat. Inper. tom. I., et ex eo apud Usserium de success. Eccles. c. 7. Nihil denique in *dictatu* occurrit, quod ab ejus genio aut tempore abhorret. Receperunt quoque tanquam genuinum, praeter Binium, Onuphrius in Gregorio VII. et P. de Marca concord. sacerd. et Inper. l. VII. 26., alii ex Catholico-Romanis. Num vero Gregorius ipse *dictatum* composuerit, aut in aliqua Synodo condiderit, ut putat Baronius, ad Synodum Romanam VIII. referens, an ex ejus epistolis, gestis, et hypothesibus, quas secutus est, fuerit ab alio collectus, definire non ausim, cum Gregorius ejus, quod sciam, nusquam mentionem fecerit nec ullus ejus adversariorum hoc tempore. Forte ipse ea capitula *dictavit*, et commisit legatis suis per orbem missis, ut ea promulgarent et sequerentur.

§. DC.

§. DC. Illud adhuc observari meretur, creditum a pluribus fuisse hoc tempore, Antichristum esse ortum, et Satanam solutum, ut ex testimoniis apud Usserium l. cit. elucescit. Utique Gregorius 1. sese supra omne *augustum* in orbe erexit. 2. subditos a fidelitatis sacramento absolvit. 3. conjugia Cleri e medio sustulit, et populum in clerum ob conjugia incitavit, interdicens, ne Clericorum uxoratorum officiis interesset. Unde multa sunt orta mala. *Porro continentiam paucis tenentibus*, verba sunt Sigeberti Gemblac in Chron. a. 1074., digna quae hic legantur, *aliquibus eam modo quaestus ac jactantiae simulantibus, multis incontinentiam perjurio ac multipliciori adulterio cumulantibus, ad hoc, hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, et se ab omni Ecclesiastica subjectione excutientibus, laici sacra mysteria temerant, et de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro sacro oleo et chrysmate utentes, in extremo vitae viaticum Dominicum, et usitatum Ecclesiae obsequium sepulturae, a Presbyteris conjugatis accipere parvi pendunt, decimas presbyteris deputatas igni cremant, et, ut in uno caetera perpendas, laici corpus Domini a presbyteris conjugatis consecratum saepe pedibus conculcaverunt, et sanguinem Domini voluntarie effuderunt, et multa alia contra jus et fas gesta in Ecclesia sunt, et hac occasione multi pseudo magistri exurgentes in Ecclesia prophanis novitatibus plebem ab Ecclesiastica disciplina avertunt*. 4. Omnem sibi potestatem in Reges et clerum adrogavit. 5. Supremum quoque dominium in Ecclesia gubernanda, eo etiam usque, ut nullus sit, nisi ipsius autoritate, liber canonicus. 6. Signis et miraculis, ante et post mortem, inclaruisse censetur, ut tradit Lambertus Schafnab. a. 1077. Ordericus Vitalis l. VIII. Victor III. dialogor. l. III., et presbyter poenitentiarius in vita Anselmi. 7. Scelus idololatriae audit in Theologia Hildebrandina inobedientia sedi Apostolicae. Vid. inter alios Gregor. ep. 23. lib. IV. et Bruno de bello Saxonico. 8. Denique orbem conturbavit, bella concitavit, omniaque

ſceleribus, rapinis, et caedibus replevit, dominii ſui ſtabiliendi ergo: tótitus eſt decreta ſua per fulmina excommunicationis, et depoſitionis, ac per gladium. Vid. Otto Friſingenſ. l. VII. Lambertus Schafnaburg. et Sigebertus Gemblacenſ. a. 1074., in primis Eccleſia Leodienſis in reſponſ. ad Paſchalis II. epiſtolam. De malis a Gregorio ortis legendus quoque eſt Hugo Floriacenſ. de *regia poteſtate* et *ſacerdotali dignitate*, in Miſcellan. Baluzii lib. IV. Notabilia ſunt verba autoris de *unitate Eccleſiae*, ab Ulrico Hutteno editi, *cum aliquando os aperuit*, Gregorius ſcilicet VII., *Eccleſiam diviſit*, *et propheticam ollam in tantum accendit*, *ut per ſeptendecim et eo amplius annos ubique ſint in regno Romani inperii bella et ſeditiones*, *Eccleſiarum et monaſteriorum incendia et deſtructiones* etc. Narratur quoque de ipſo, quod, cum filius eſſet fabri lignarii, ex ſarmentis, ordine compoſitis, has litteras inſcius ordine conſeruerit: *dominabor a mari uſque ad mare*, ut tradit Annaliſta Saxo a. 1074., in *corpore hiſtorico medii aevi* Eccardi tom. I. Vid. et Onuphrius Panvinius, quod pro divino etiam oſtento venditat Baronius a. 1073. Habuit verius in nomine *Hildebrando* nomen et omen, ſi pro *helle-brand*, aut infernali titione, ſumatur, vel contrahatur. Eſſe vero Hildebrand ex *hild*, *huld*, *hold*, h. e. favor, et *brand*, Celtico *bryn*, h. e. collis altitudo, adeoque ſignificare *favore celſum* cenſet Weſterman in epiſt. ad la Croze in theſauro ejus epiſtolico, tom. I. p. 349. Denique de Antichriſti ortu in Gregorio vid. Eberardus Epiſcopus Salisburg. in oratione, quam tempore Frederici II. in Synodo Ratisbonenſe habuit, apud Aventinum Annal. Boiorum l. VII. et Mornaeum in *myſterio* Iniquitatis. Rem ipſam quoque fatetur Onuphrius Panvin. in Gregorio VII. Notatu in primis digna ſunt verba Gerochi, licet factionis Hildebrandinae, apud Aventin. l. V., *Romani ſibi divinum uſurpant honorem*, *rationem actorum reddere nolunt*, *nec ſibi dici aequo animo ferunt*, *cur ita agis?* Venericus quoque Epiſcopus Vercellenſis, ſcriptor

aequa-

aequalis, de *unitate Ecclesiae conservanda*, adplicat Gregorio vaticinium Jesaiae cap. XIV. 15. Confer etiam quae habet Wolfius Memorab. lection. centur. XI., ubi etiam demonstrat, Papis ab hoc tempore divinos esse tributos honores. *Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui*, verba sunt Aventini Annal. Bojorum l. V. *simplices, tum imperium Antichristi coepisse, quod ea, quae Christus servator noster tot annis antea nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriae litterarum prodidere.*. Henricum quoque IV., sub finem vitae, tradit ibid., litteris, ad omnes Principes datis, dixisse, *se oppresso, omnium capitibus insultaturos sacerdotes Romanos,* — — — — eosque adniti, *universos Christianos in servitutem redigere durissimam, et facturos, nisi Reges caveant, neque cessaturos, donec more Antichristi in Templo Dei sedeant, atque ab omnibus, quasi Deus colantur, et adorentur.* Quod vero Bertoldus in adpendice ad Hermann. Contractum de Gulielmo I., Anglorum rege, tradit, eum *totam terram Anglorum Romano Pontifici fecisse tributariam, nec aliquem in sua potestate aliquid emere aut vendere permisisse, quam Apostolicae sedi inobedientem deprehendit*, illud Papae contentionem, et temporis consuetudinem, rectius exprimit, quam rei veritatem, cum pecuniam eleemosynae nomine collectam pro subjectionis signo male habuerit. Vid. Usserius l. cit. cap. 7., ubi Gulielmi epistolam ad Hildebrandum exhibet, qua liberalitatem quidem promittit, sed fidelitatis juramentum, quod Papa exegerat, recusat.

§. DCI. Eadem vestigia reliqui Papae, Gregorium secuti, tenuerunt Victor III., et in primis Urbanus II., de quibus restat agendum. *Victor*, antea Desiderius, Abbas Casinensis et Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, invitus, et vi adactus, Papa factus a. 1086. propter continuas ejus reluctationes non nisi anno sequente est consecratus; ut narrat Leo Ostiensis, qui adfuit, l. III. c. 65. Accusatus quidem est ab Hugone, Lugdunense Archiepiscopo, quod ante electionem fuerit Henrico adulatus, eique invasionem pa-

trimonii Petri persuaserit, ac excommunicationis Pontificis contemtum, teste Hugonis epist. ad Mathildem Comitissam, recitata in Chronico Virdunensi Hugonis Flaviniacensis: sed, quae Leo Ostiensis l. III. 49. 71. narrat, eum ab hac accusatione plane liberum, et sedis Apostolicae, ac libertatis, ut loquuntur, Ecclesiasticae, studiosum, probant. Patet quoque ex Beneventana Synodo a. 1087., eum Gregorii decreta, quippe ibi confirmata, magni fecisse. Guibertum enim Anti-papam officio et honore in ea privavit, investituras proscripsit, vetuitque poenitentiam et communionem ab haereticis et Simoniacis suscipi, jussit insuper, ut ab Hugonis Lugdunensis, et Richardi, Abbatis Massiliensis, communione abstineant omnes, ratione reddita, quod sese Romanae Ecclesiae communione sua sponte privassent: quod tamen de se diserte negat Hugo in epist. ad eandem Mathildem in *Spicilegio* Dacheriano. Memorabilis valde est expeditio, ipsius jussu suscepta, in Africam contra *Saracenos* a totius fere Italiae populis, a Victore sub remissione omnium peccatorum excitatis, cum vexillo S. Petri. Quae felicissime cessit, ingente hostium numero occiso. Vid. Leo Ostiensis III: 67. et Bertoldus in Chron. a. 1088. Ceterum scripsit Victor, qui ad a. 1088. tantum sedit, libros *dialogorum*, de Benedicti, et Monachorum Casinensium miraculis, quorum tres prostant in Biblioth. Patrum, tom. XVIII. Testatur vero in principio se miracula referre, *quae nostra memoria facta sunt, vel a senioribus nostris relata cognovi*, addit, *si omnia, quae, vel ipse vidi, vel quae mihi relata fuere, per ordinem referre vellem, dies me, ut aestimo, ante quam sermo deficeret.*

§. DCII. Longe celebriorem se reddidit successor ejus *Urbanus* II., autor expeditionum cruciatorum, et sic dictae libertatis Ecclesiasticae vindex acerrimus; antea *Otto*, vel Odo, in Ecclesia Rhemensi educatus, sub disciplina Brunonis, qui ordinem Carthusianum instituit, dein Ostiensis Episcopus a Gregorio VII. creatus, ejusque Legatus in

in Germania. Papa electus est in Synodo ab Episcopis, Cardinalibus, et Abbatibus, absentium Cardinalium et populi consensu per litteras adlato, ut pluribus describit Petrus Diaconus Casinensis in auctario ad Leonem Ostiensem, in Chron. Casinens. l. IV: 2. Missis mox litteris encyclicis per orbem Christianum, electionem suam adnunciavit, simul, se Gregorii vestigiis inhaesurum declaravit. Receptus est ab omnibus, exceptis Henricianis in Germania, et Anglis, qui nec ipsum, nec Clementem III., adsumserunt, usque ad ann. 1095., quando se dediderunt Urbano, ut habet Simeon Dunelmensis in hist. ad a. 1091. Ansam praebuit Anselmus Cantuariensis, qui Romam tendere voluit, ut pallium a Papa inpetraret: quod cum negaret Rex, Urbanum non agnoscens, nec Anselmus a Rege sumere vellet, caussa ad Papam delata, missi ab eo sunt legati ad Regem, pallium pro Anselmo oblaturi, si Urbanum reciperet. Fecit illud Rex, nec tamen pallium consecutus est, sed Anselmus ipse ex eorum manibus, sive de altari, ubi reposuerant. Vid. Eadmerus Novor. lib. I. Sedit Papa per undecim, et quod excurrit, annos, usque ad a. 1099., seseque per acta et gesta praestitit celeberrimum, quae ad ritus religiosos, regimen, et disciplinam referri possunt. De ritibus vero cum suo loco egerim, hic reliqua gesta strictim enarrabo memorabiliora.

§. DCIII. 1. Toleto, Mauris erepta ab Alphonso VI., et Bernardo ejus Episcopo constituto, Urbanus ei primatum totius Hispaniae concessit, frustra renitentibus Tarraconensi et Narbonensi Archiepiscopis. Vid. P. de Marca de *Primatibus*, praeter Marian. hist. Hispan. l. IX. 2. Synodo a. 1089. habita, decessorum Paparum decreta confirmata sunt, simul legatio est injuncta Gebehardo Constantiensi, ad decreta excommunicationis Guiberti Anti-papae, Henrici, et fautorum ejus, promulganda in Germania; ut narrat Bertoldus in Chron., qui addit, excommunicationes hoc tempore fuisse innumeras, et quinque tantum Episcopos in

Teutonicis partibus Catholicos, Wirceburgensem, Pataviensem, Wormatiensem, Constantiensem, et Metensem. 3. In Synodo Melphiae in Apulia, ann. 1089., et non sequente, celebrata, ut contra Baronium probavit Ruinart. in vita Urbani, *a*. Rogerio, Apuliae et Calabriae Duci, tradidit vexillum cum honore Ducatus, sed praestito Papae juramento fidelitatis; ut refert Romualdus Salernitanus in Chron. inter Script. Ital. Muratorii tom. VII. *b*. Treuga Dei omnibus injuncta est observanda, teste Lupo Protospata in Chron. ibid. tom. V. *c*. sedecim conditi sunt canones de regimine et disciplina, inter quos est, qui Investituras damnat. 4. Ut se contra schismaticos muniret, effecit, ut Mathildes, Papis devotissima illa foemina, nupserit Welphoni juniori Bavariae Duci, qui terrori fuit schismaticis: ut tradit Bertoldus a. 1089. 5. Clemente Anti-papa, per Urbani absentiam, occupante Romam, Urbanus Beneventi coacta Synodo eum cum sociis anathemate rursus percussit, teste Bertoldo. Ceterum, ut id obiter observem, inter canones, qui in hac Synodo conditi circumferuntur, locum habet, qui omnibus, viris et foeminis, Clericis et Laicis, injungit, ut in capite jejunii Quadragesimae *cinerem super capita sua accipiant*. 6. Synodum habuit a. 1093. Trojae in Apulia, famosam per canonem, ibi conditum, de consanguineorum conjugiis dissolvendis, quem recenset Ivo Carnotensis, et Gratianus 35. quaest. 5.

§. DCIV. 7. Quo ipso tempore res in favorem Urbani mutatae sunt in Italia, Conrado, Henrici filio, in Patrem conspirante. Cum Henricus, Clemente sedi Romanae reddito, ut supra narravi, et Conrado, filio ac haerede regni, ibi relicto, ut Mathildae se opponeret, et Italiam sibi vindicaret, in Germaniam rediisset a. 1092. Conradus, a Mathilde allectus, in ejus partes transiit, ac in Patrem conspiravit, ut habet autor vitae Henrici, et ab Urbano mox absolutus Rex Lombardiae creatus est a. 1093., ut praeter Bertoldum refert Dodechinus in adpendice ad Mariani Scoti Chronicon, qui hanc lepidam narrat mutati ejus animi

tni rationem. Cum Henricus uxorem suam Adelaidem, alias Praxidem, quam odio habebat, omnibus stuprandam praeberet, illudque turpissimum facinus ab ipso filio Conrado postularet, isque illud recusaret, filium esse suum negavit, unde odium Conradi in Patrem esset natum. Quod, licet et Helmoldus in Chron. Sclavorum tradat, quam sit absurdum et fabulosum, facile adparet. Longe verius est, quod autor vitae Henrici refert, Conradum in spem regni fuisse a Mathilde et Papa adductum, et ita eas elegisse partes: maxime cum ejus animo scrupulus esset injectus respectu legitimae successionis in locum Patris, quippe excommunicati. Quicquid sit, causa Urbani ab eo tempore triumphavit, ipse rediit in urbem, et Clemens expulsus se Veronam contulit ad Inperatorem.

§. DCV. 8. Circa hoc tempus lites inceperant Urbani cum Philippo I. Galliarum Rege, ob Bertradam, ab ipso ductam, repudiata legitima uxore Bertha, quacum per 20 annos fuerat copulatus, et ex qua filium Ludovicum Grossum genuerat. Quam historiam luculenter illustravit Blondellus de formula *Christo regnante.* Bertrada, filia Simonis de Montforte, nupserat Fulconi, Comiti Andegavensi, ob morum asperitatem vulgo dicto Richino, sed, verita, ne maritus secum, ut cum duabus aliis uxoribus, ageret, ipsaque vile scortum fieret, confugit, nobilitatis ac pulchritudinis suae conscia, ad Philippum, quem in sui amorem traxit, ut narrat Odericus lib. VIII. Sed vanus fuit hic Bertradae metus, cum duas praecedentes uxores non male habuerit Fulco: Hildegardem enim nunquam deseruit, Ermengeldin vero non sponte, sed excommunicatione coactus, ut docuit Blondellus. Rex, ejus amore captus, eam mox uxorem duxit a. 1092., ut ex Chronico Petri Vivi Senonensis in Spicilegio Dacheriano, aliisque, patet, repudiata Bertha; sed quam dimisisse narratur propter consanguinitatem, canonibus contrariam, quippe qui usque ad septimum gradum vetabant. Vid. Blondellus, qui divorti-

episcopi confluxerunt, exceptis Lotharingis, Alemannis, et Hungaris, qui ob Henricianum schisma desiderabantur. In quo, praeter alia, ut Philippi excommunicationem, modo memoratam, et Primatum Lugdunensem, renitente Archiepiscopo Senonense, confirmatum, Cruciatae decretae sunt expeditiones, de quibus postea, et nonnulli canones conditi sunt, inter quos est, qui Episcopis et Clericis vetat Regi, vel laico, in *manibus ligiam fidelitatem facere*, quale quid ne Gregorius VII. prohibuerat. Ceterum Eadmerus Novor. l. II. circa finem, tradit, in Synodo quadam Romana, cui praesens adfuit, Papam *anathematis vinculo colligasse* eos, qui *pro Ecclesiasticis honoribus laicorum hominum Homines* (vasalli) *fiunt*, et addidisse haec singularia, et adrogantiae plena, verba, *nimis execrabile videri, manus, quae in tantam eminentiam excreverunt, ut, quod nulli Angelorum concessum est, Deum, cuncta creantem, suo ministerio creent, et eundem ipsum pro redemtione et salute totius mundi summi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignominiam detrudi, ut ancillae fiant earum manuum, quae die ac nocte obscoenis contagiis inquiinantur rapinis, ac injustae sanguinum effusioni addictae commaculantur.* Praeterea cusus est canon, qui Presbyterorum liberos promoveri vetat ad sacros ordines, addita exceptione, si dispensatio Ecclesiastica illud permittat, vel liberi nomen darent coenobiis; occasionem praebente quaestione in Anglia agitata, inter Roscelinum, Compendiensem Canonicum, Nominalium autorem, de quo ad sec. seq., qui admittendos esse negavit, et Theobaldum Stampensem, qui Oxoniensi scholae praeerat, et contrarium tenebat: cujus ea de re Epistola ad Roscelinum exstat in Spicilegio Dacheriano.

§. DCVII. Hisce duo adhuc subjungenda sunt notabilia de hoc Papa, *unum*, eum, publicata bulla, in Duces Siciliae contulisse omnia privilegia et officia Legatorum a latere Paparum, Legatis illis ibi abolitis. Unde est, quod Duces illi summam habeant, et exerceant, in rebus Ecclesiasticis sententiam, sicut Reges in Anglia. Cum autem regimen ibi etiam

ad sexum foemineum devolvatur, contingere potest, ut foemina sit Ecclesiae Gubernatrix. Vid. Giannone in Historia Siciliae et Apuliae. *Alterum*, longe pejus, est, Papam statuisse, excommunicatum occidi posse a Catholico, modo id ex zelo religionis fiat, alias, si ex alio principio contigisset, poenitentia aliqua injungeretur, ut tradit Ivo part. XX. c. 54.

§. DCVIII. Ex hac Paparum, in primis Gregorii VII., historia, cum qualem quantamque potestatem sibi adrogarint Papae, ipsisque concesserint eorum patroni, facile elucescat, unum alterumve contentus ero addidisse testimonium. Anselmus in libro de *fide Trinitatis, et incarnatione Verbi*, Papae inscripto, dicit: *Divinam Providentiam ipsi vitam et fidem Christianorum custodiendam tradidisse, ipsiusque autoritate esse corrigendum, si quid fidei contrarium oriatur.* Ivo Carnotensis epist. 8. inquit, *sedis Apostolicae judiciis et constitutionibus obviare, plane esse haereticae pravitatis notam incurrere, et Romanae Ecclesiae judicium a nemine retractari posse.* Addit, *ad sedem Romanam principaliter et generalissime pertinere tam Metropolitanorum, quam ceterorum Episcoporum consecrationem confirmare, vel infirmare, constitutiones* eorum *et judicia retractare, suas vero inconcussas retinere, et nullius inferioris judicio retractandas, vel corrigendas concedere.* Alibi epist. 260. dicit, *novi consuetudinem Romanae Ecclesiae, quia non solet, nec vult decretis suis patenter obviare, solet autem dispensatorie multa infirma tolerare, postquam patrata sunt* etc. Imo Goffredus Vindocin. Abbas l. II. ep. 30. adserit, *eodem Spiritu, quo Moses et Christus leges dederunt, dare et exponere sanctam et Apostolicam sedem leges, quas canones adpellamus.* Qui etiam l. I. ep. 7. tradit, *Petro et Paulo fuisse primatum Ecclesiae a Domino datum, Petrum fidei, et Paulum doctrinae, esse principem, illum fide plantasse, hunc exornasse doctrina.* Imo, quod supra jam observavi, Gerochus Monachus Bavarus apud Wolphium, *rer. memorab.* centur. XI. ad a. 1077. *Romani*, inquit, *sibi divinum usurpant honorem, rationem actorum reddere nolunt, nec sibi dici aequo animo ferunt,*

cur ita agis? Suprema itaque sedis *Papalis autoritas*, postquam per octo fere secula esset in ea evehenda desudatum, hoc seculo per Gregorium VII. est fundata: sicut brevi tabella exhibet Mastricht. hist. jur. Eccles. §. 255., ubi etiam observat, *canones* in jus aliquod Ecclesiasticum transiisse, et forum Ecclesiasticum esse erectum, ac corpus Juris Canonici. Denique, ut illud addam, Normannis subjectis etc. Domini Romae non tantum, sed et *status Ecclesiae*, sic dicti, unde titulus *Inperii Romani* ad Reges primum Francorum, dein Germanorum, transiit, facti sunt Papae sub Leone IX., et inprimis Gregorio VII., Vid. Lessaschierus in opusculis p. 11.

§. DCIX. Attamen adstrinxerunt adhuc Paparum potestatem Canonibus iidem autores, contra quos eos nihil posse tenuerunt, nisi salutari dispensatione, si res fidei et morum non agatur, ut habet Ivo Carnot. in prologo *Decreti*, et ep. 214, ad Brunonem, ac epist. 260. Qui etiam ep. 235. Papis negat obediendum, *si ea praecipiant, quae sint contra doctrinam Euangelicam vel Apostolicam*: idque confirmat exemplo Pauli, *Petro non recte incedenti ad veritatem Euangelii in faciem resistentis*. Quod et ipsi Papae, ut Nicolaus II., et Synodus Romana a. 1059., Gregorius VII., ut supra vidimus, et Urbanus II. in Synodo Romana a. 1096., fassi sunt. Imo Anselmus Lucensis contra Guibertum Antipapam cap. 2. declarat, *Papam esse hominem, eique ut contra fas agat surripi posse*, adeoque posse ejus decreta rescindi a sequente Papa, si, ea esse canonibus adversa, constet. Ademarus in epist. apud Baluzium in Analectis, in causa Martialis Apostoli, cujus supra memini, haec notabilia protulit verba: *si Papa subripiente consilio invidorum hoc prohibet, tamen obediri oportet Deo magis, quam Papae Romano, nulli enim Papae data est potestas vel absolvendi vel excommunicandi sanctos Apostolos Dei, vel prohibendi Ecclesiam Dei a benefaciendo et recte loquendo*. Sed nec defuerunt, qui Paparum universali potestati contradixerunt, ut Imperatores, Reges, eorumque adse-

 clae,

[illegible]. qui se iis opposuerunt, quemadmodum ex superiore [illegible] constat. Repetam hic tantum notabile responsum Gu-[illegible] I., Angliae Regis, a. 1079., cum Humbertus, Grego-[illegible] VII. legatus, fidelitatem postularet, una cum pecunia, quo [illegible], se *pecuniam* concedere, sed *fidelitatem* facere nolle, *quia nec promisi*, inquit Rex, ep. VII. inter Lanfranci epis-tolas, *nec antecessores meos antecessoribus tuis id fecisse com-perio*, quod exhibet Usserius de success. Eccles. etc. cap. 7., ubi etiam demonstrat, Reges Angliae secularia et Ecclesiasti-ca ad lubitum disposuisse, nullum pro Apostolico in terra sua admisisse, nisi animo suo blandiretur, concilium in regno suo nullum cogi sinere, nisi se consulto, nihil ibi definiri, nisi Ipse dictasset. Qualem etiam eum Regem describit Ranul-phus, Cestriensis Monachus. Gulielmus quoque Rufus, ejus filius et successor, professus est, quod nullus Archiepiscopus, vel Episcopus, de regno suo ad curiam Romanam, vel ad Papam, haberet respectum, prohibuit etiam adpellationes, frustra renitente Anselmo. Vid. Usserius l. cit. Denique Mi-crologus cap. 25. de *Ecclesiasticis observationibus* urget qui-dem omnimodam obedientiam sedi Romanae praestandam, ita ut nequidem de ejus sententia judicare liceat, attamen ad [illegible] restringit, *quas canonicis scripturis contrarias non videmus*. [illegible], in Synodo Lemovicens. II. a. 1032. decretum fuis-[illegible]. Papam non posse absolvere excommunicatum *non acta poe-nitentia*.

§. DCX. Post Papas cum hoc seculo primum in Ecclesia Romana locum habere coeperint Episcopi suburbicarii, et [illegible] ac Diaconi Cardinales: origo *Cardinalium* huic se-[illegible] solet adsignari, non respectu nominis, quod antiquius [illegible]. [illegible] Cardinalitiae dignitatis, cujus hoc seculo jacta sunt [illegible]. Cardinales adpellati sunt antiquitus, ut rem in [illegible] collocem luce, presbyteri et diaconi parochiarum, [illegible] habebant, in Ecclesiis majoribus seu Episcopali-[illegible] quod essent Ecclesiae titulatae proprius et fixus [illegible] dicas, Clericos incardinatos, adfixos cardini, sive

five quod reliquis Clericis, ut in minoribus parochiis, non titulatis ruralibus, in quibus sacra non fiebant officia, essent superiores, sicut venti cardinalis dicuntur, quibus reliqui sunt subordinati. De quo quicquid sit, majorum Ecclesiarum parochias, seu aedes titulatas, qui regebant, et administrabant, Clerici, Presbyteri, et Diaconi, nomen et titulum Cardinalis, ut constat, gesserunt, Vid. Antonius de Dominis de Rep. Eccles. l. IV. In majoribus oppidis quoque erant variae parochiae, in quarum nonnullis tantum officia sacra fiebant, quae *tituli dicebantur*, quarum Presbyteri et Diaconi audiebant *Cardinales*, Episcopis quidem subjecti, sed reliquis minorum Ecclesiarum presbyteris excellentiores. Quarum prima occurrit mentio apud Anastasium, in vita Stephani IV., quando decretum est, ut nemo Pontifex fieri queat, nisi Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit. De canonicis vero Cardinalibus vid. Fronto ad calcem Philastrii edit. Fabricii p. 111.

§. DCXI. Clerus autem Romanus cum prae reliquis emineret, Cardinalium quoque dignitas ibi cum tempore maxime crevit. Stephanus IV., ut modo notavi, Pontificem ex illis eligi voluit. Johannes autem VIII., sec. IX., constituit, ut Episcopi Cardinales, quo titulo septem Episcopi Suburbicarii Romae, Ostiensis, Portuensis, Sylvae candidae, Albanensis, Sabinensis, Tusculanus, et Praenestinus, ornati fuerunt, bis per mensem ad aliquem titulum Romae convenirent, causas Cleri et plebis audituri, et jus dicturi: uti in Johannae VIII., suo loco observavi. Definivit autem hoc seculo Nicolaus II. in Synodo Romana a. 1059. ut Episcopi Cardinales in electione Papae haberent primas partes, reliquis tamen nondum exclusis: ut in ejus vita supra vidimus. Denique sub Alexandro II. et Gregorio VII. Episcoporum Cardinalium insignis jam fuit dignitas, et autoritas, ut ex Petri Damiani epist. 1. lib. II. ad Cardinales Episcopos Lateranensis Ecclesiae patescit. Adpellantur enim ibi universalis Ecclesiae senatores, qui cum Petro claves regni coelorum tenent, imo, cum *septem oculis super lapide, et*

septem candelabris, Zach. IV. et Apoc. I., comparantur. Ad quam eminentiam nondum hoc tempore quidem evecti sunt Cardinales Presbyteri et Diaconi, adhibiti tamen jam sunt ad Legationes Pontificis, ut exemplum est in Gregorio, adhuc Cardinali sub-diacono sub Victore II. Denique, cum antea, et hoc etiam seculo, nomen Cardinalis locum adhuc in aliis Ecclesiis majoribus teneret, illud ad Romanae Ecclesiae Clericos, et Episcopos Suburbicarios, est a Gregorio VII. restrictum. Unde est, quod deinceps titulus Cardinalium aliunde fuerit derivatus, sive quod Papae, tanquam cardini Ecclesiae, quo cetera moventur, vicinius adhaerescant, ut ipse Leo IX. in Epist. ad Michaelem CPolit. Patriarcham jam lusit, sive, quod sint cardines mundi, terrae, Ecclesiae, ut est in oratione Johannis Gofredi Cardinalis, sec. XV. in Spicileg. Dacheriano. Seculo autem sequente summum fastigium Cardinalitia conscendit dignitas, ut suo loco videbimus. Ceterum Pontifices sine Cardinalium consilio nihil poterant, et tempore inaugurationis jurare solebant, se sine ipsis nihil facturos. Quae formula juramenti exstat in *libro diurno*, diuque obtinuit. Sed recentioribus temporibus in consilium quidem adhibentur Cardinales a Papis, sed eorum consensu non indigent. Vid. Petrus de Marca, Concord. Sacerd. et Imper. l. I. c. 9. Quae vero a Papis, aut conciliis, decreta sunt, quoad vitam et mores Cardinalium Romanae Ecclesiae, exhibet Hofman. in *nova collect. monumentorum* tom. I. p. 516.

§. DCXII. Novi *Primatus*, ut ad reliquos Clericos Majores veniam, quinam erecti sint, in historia Paparum memoravi. *Lugduno* ex. gr. concessit Gregorius VII. Primatum in Provincias Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, et Senonensem, quem Urbanus II. confirmavit, frustra obnitente Senonense. Rothomagensis tamen ante nunquam, aut ad breve tempus, paruit Lugdunensi, Romano quippe Pontifici inmediate subjectus, et Primatus titulo in sua provincia ornatus. *Toletano* per totam Hispaniam dedit Primatum

Ur-

Urbanus II., Tarraconense et Narbonense frustra reclamantibus. Controversia inter Cantuariensem et Eboracensem hac de re mota, pronunciatum est secundum Cantuariensem, cujus tunc Episcopus erat Lanfrancus, sicut Eboracensis Tomas. De *Metropolitanis* cum seculum nihil aut parum suppeditat, de *Episcopis* pauca proferam. Electio Episcoporum erat penes Clerum et populum, sed regio accedente consensu in Gallia. Clerici eligunt, Episcopi consecrant, populus tantum petit, non eligit, inquit Goffredus Vindocinensis Abbas, l. III. ep. 11. Oper. Sirmondi tom. III. Confirmatio fiebat per Metropolitanos, qui, ut et Episcopi, fidem juramento obstringere debebant Romano Pontifici, cujus formulam praescripsit Gregorius VII., in Synodo Romana a. 1079., occasione schismatis Henriciani. Quo juramento, quod exstat lib. II. Decretalium tit. de *juramento*, etiam promittebant, quod singulare est, *se quotannis limina Apostolorum esse visitaturos*. Sed et praeterea pollicebantur canonicam obedientiam Metropolitanis. Reges denique ab ipsis juramentum fidelitatis et *hominium* exigebant, quod prohibuere Papae Gregorius VII., et Urbanus II. in Synodo Romana a. 1099., et Rothomagense a. 1096., licet aliquando pacis causa concesserint, ut fecit Paschalis II., in causa Ranulphi Rhemensis, quem Rex Ludovicus VI. ad hominium adigebat, nec non in controversia, diu inter Henricum I., Angliae Regem, et Anselmum agitata; licet investitura per annulum et baculum fuerit prohibita. Episcopos Provinciae Burdegalensis ab *hominio* inmunes pronunciavit Ludovicus VI., ut ejus diploma fert apud Bollandum Act. Sanct. Febr. ad vitam Gulielmi. Denique muneri non poterant Episcopi cedere, nisi gravibus de causis, et permissu Metropolitanorum, vel Synodi, in primis Paparum; quod in Episcoporum translationibus a sede ad sedem etiam obtinuit; ut *dictatus* Gregorii VII. habet, *quod licet Romano Pontifici de sede ad sedem, cogente necessitate, Episcopos transmutare*. Caeterum amplissima fuit

Episcoporum jurisdictio, quae sese ad omnes Clericorum causas, qua civiles, qua criminales, extendit, ita ut Clerici ab Episcopis unice dependerint, Episcopales causae ad Metropolitanos, et Synodos provinciales, pertinebant, adpellatione tamen ad sedem Papalem relicta, penes quam definitiva etiam erat sententia. Imo vel primam causae cognitionem saepe ad se traxerunt Papae, et per Legatos etiam judicium fieri curarunt, quo tamen casu adpellatio supererat ad Papam. De quibus omnibus ex superiore historia satis constat, et res est notissima.

DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

§. DCXIII. De reliquis Clericis, beneficiorum collatione, et jure patronatus, cum ad seculum sequens quaedam moniturus sim, ad Disciplinam et Synodos pergendum foret, sed parum habeo, quod hic observem. De Synodis enim supra in historia Paparum dicta, et infra in historia Haeresium dicenda, sufficiunt. De Indulgentiis, et dispensationibus in futurum, pauca tantum proferam, postquam verbo notavero, *annos gratiae*, ut adpellantur, hoc seculo jam obtinuisse, eum in finem introductos, ut decedentis canonici creditoribus inde satisfieret. Reditus enim post mortem cedebant, ex *gratiae* et humanitatis consideratione, haeredibus, vel omnibus, vel viduae et liberis tantum. Vid. Boehmer. Jur. Eccles. l. III. tit. V. *Indulgentiae*, antea indefinite dari solitae, coeperunt ad certum tempus restringi, vel in perpetuum dari, idque passim occasione dedicationis Ecclesiarum, ita ut vel omnium peccatorum, vel partis tantum, absolutione gauderent, qui eas Ecclesias visitaverunt. Sic plenariam concessit Alexander II. in dedicatione Ecclesiae Casinensis, ut est in Chron. Casinens. III: 31. Urbanus vero II. in dedicatione Ecclesiae Andegavensis a. 1098. visitatoribus ejus *septimam partem poenitentiarum* indulsit, ut tradit Fulco Comes in Spicileg. Dacheriano. Quales indulgen-

tias Episcopi quoque adhuc dabant; cujus exemplum prostat in Pontio Arelatense, cum Montis-Majoris Ecclesiam consecrasset, teste Epistola ejus in eodem Spicilegio. Sed pro visitationibus Ecclesiarum non tantum dabantur indulgentiae, verum etiam pro *donationibus*, *peregrinationibus*, in primis pro bello sacro contra infideles. De qua ex historia Paparum, et Cruciatorum, satis constat. Exemplum etiam est in Rogerio, Comite Siciliae, omnibusque Comitibus, qui in Sicilia Paganis eripienda, et tuenda, collocarunt operam; quibus absolutionem de offensis mandavit Alexander II., *si resipiscentes in futurum caveant*, ut refert Malaterra II. 33. Denique fiebat etiam *canonicae* poenitentiae redemtio per *pecuniam* sub Victore II., ut Baronius fatetur a. 1055. Imo vero jus *dispensandi* in futurum, quo leges violandi licentia datur, ab hoc tempore invaluit, cum antea tantum respectu transgressionum factarum, quae connivendo tolerabantur, obtinuerit. Ceterum de *Dispensationibus* luculenter exposuit Boehmer. Jur. Eccles. tom. IV. in dissert. praevia *de Romana Ecclesia matre indulgentissima*.

VITA ET MORES.

§. DCXIV. Praeterquam quod *exemptiones*, ut adpellantur, monasteriorum a potestate Episcoporum factae fuerint hoc seculo frequentiores et pleniores, et a solis Papis, repugnantibus Episcopis, ac sine Regum et Principum consensu, quo Papae suum extenderunt dominium, ac firmarunt autoritatem, tot monasteriis sedi Papali inmediate subjectis, eique obstrictis ac fidelibus: ingens cepit vita monastica incrementum hoc et sequente seculo, seseque in multos novos ordines effudit, ita ut haec secula *Monachalia* adpellari possint, licet non defuerint inter Episcopos et Clericos, haud parvo numero, *qui non solum apud Reges et Principes pro sanctorum locorum utilitate intercedere negligunt, sed etiam ipsi loca sancta sibi commissa omnino destru-*

unt, quique dicere solebant, *tam Clerici quam Laici: quid prosunt tot coenobia, vel tanta Monachorum agmina? multo enim melius esset, ut praedia, quibus iidem Monachi inutiliter saginantur, servitio nostro praestentur.* Verba sunt Othlonis *in vita Bonifacii, Episcopi Mogunt.* §. 35., ubi illos vituperatores perstringit, ex comparatione cum temporibus praecedentibus, sec. VIII. et IX. Ceterum prolixus catalogus monasteriorum sec. X. — XII. conditorum exstat apud Hospinianum *orig. monach.* lib. V. Praecipuos ordines, ex Benedictino ortos, strictim recensebo. In Italia fundati sunt ordines Vallumbrosani, et Camaldulenses, in vicinia sedem habentes. *Vallumbrosanorum* ordinis, inter Camaldulum et Florentiam, in loco solitario vallis umbrosae, fundator fuit Johannes Gaulbertus, Florentinus, qui maxime floruit a. 1052., cujus vita exstat apud Surium Mens. Jul. In cujus gratiam Conradus Inperator condidit Ecclesiam *in honorem Mariae, et Michaelis Archangeli, Bartholomaei et Tomae Apostolorum, et Stephani Pontificis, et Benedicti Abbatis, et Nicolai confessoris*, a. 1039. apud Mabillon. Itin. Ital. p. I. *Camaldulensium* in campo bello et amabili, in vertice montis Apennini, origo repetenda est a Romualdo, Ravennae ex illustrissima familia nato. Monachum reatus expungendi ergo induit, dein, cum remissiorem monasterii vitam consideraret, elegit vitam eremiticam, quam revocavit, et propagavit per Italiam; unde hic ordo est natus, quem Leo IX., Nicolaus II., et Alexander II. Papae confirmarunt. Vitam ejus conscripserunt Petrus Damiani, et deinceps Hieronymus Pragensis, ejusdem ordinis eremita, et Apostolus Lituanorum, qui etiam ordinis instituta exhibet: in act. Sanct. mens. Febr. Ceterum coelesti viso scalae, a coelo ad terram porrectae, per quam albati monachi adscendebant et descendebant, ut fertur, admonitus, vitam instituit anachoreticam, secundum regulam Benedicti, sed nonnullis additis institutis. Eremus autem erat in monte, et in ejus parte inferiore domus ad hospites recipiendos, ne silentium

eremi-

eremiticum turbaretur. Quae ipsa domus postea in monasterium est conversa, ad novitios ibi probandos, et parandos, donec in eremum admittantur; in quod etiam demittebantur aegroti, et quotquot austerae vitae eremiticae erant impares.

§. DCXV. In Gallia plures sunt instituti ordines. *Grandimontensis*, a loco Grandimonte, haud procul ab urbe Limovica in Aquitania, in quem sese, ut monachorum Ambaracensium vexationes evitarent, a. 1124. contulerunt. Antea in monte Murato resederant, loco sterili et aspero, tribus leucis ab urbe Limovica, ubi ordo est institutus a. 1076. a Stephano de Tierno, alias de Murato: cujus vitam descripsit Geraldus, septimus Prior Generalis istius ordinis, in Actis Sanct. Febr. Secessit autem ipse, facultate ordinis instituendi a Gregorio VII. inpetrata, in montem Muretum, et, sumto annulo, quem de omnibus opibus tantum retinuerat, Deo sese in haec verba consecravit: *Ego, Stephanus, abrenuncio Diabolo et omnibus pompis ejus, et offero me ac reddo Deo Patri, et Filio ejus, et Spiritui S., Trino et uni Deo vivo, et vero*, Praescripsit autem Fratribus, qui ad ipsum confluxerunt, regulam propriam, sed rigidam, qua *omnem usum carnium, curam ac consortium mulierum, substantiam pecorum, et animalium, proprietatem quoque terrarum, exceptis eremis, in quibus degerent*, suis discipulis interdixit. Quam regulam Pontifices Romani licet confirmarint, alii tamen postea temperarunt, ut Innocentius IV., Clemens V., et Johannes XXII. Vid. Bernardus Guido apud Labbeum in nova Biblioth. MSS. librorum tom. II. Commendarunt quoque ordinem Stephanus, Abbas S. Genovevae, postea Tornacensis Episcopus, epist. 72. et Johannes Saresberiensis de nugis Curialium VII. 23. Mortuus est Stephanus a. 1124., ut probat Pagi ad a. 1126.

§. DCXVI. Praecipuus, et praeclarus, ordo, hoc seculo ortus, est *Carthusianorum*, sic dictus a sylva Carthusia in jugis Alpium, horrida eremo prope Gratianopolin, ob asperitatem inaccessa, et solis feris pervia. Cujus autor

fuit Bruno, Rhemensis Ecclesiae magister, et Cancellarius, et coadjutor Hugo, Episcopus Gratianopolitanus; consilio autem, ut fertur, fuit satis singularis. Cum Parisiensis aliquis doctor, magnae existimationis, et autoritatis, fato functus, in ipsis exsequiis haec verba emisisset, primo die, *justo Dei judicio accusatus sum*, secundo, *justo Dei judicio judicatus sum*, tertio, *justo Dei judicio condemnatus sum*, Bruno dixisset, *hic tantae pietatis vir si damnatus sit, quid de nobis fiet, si in mundo maneamus?* Hinc itaque occasionem in eremum secedendi sumsisset, ut aeternitatem meditaretur. Sed hanc narrationem esse fabulosam, multis demonstravit Launoius in Dissertat. *de vera causa secessus Brunonis in eremum*, cum ex silentio autorum antiquorum, nam non nisi 200 annis post Brunonem eam memorarunt, et primus quidem Gerson, ut fuse etiam demonstratur in libro *Melanges d' histoire et Litterature*, autore Vigneul Marville tom. II., tum ex eo, quod ipse Bruno in epist. ad Radulphum Viridem, Rhemensis Ecclesiae Praepositum, ansam repetat a colloquio, Rhemis habito, de opum terrenarum vanitate, et gaudiorum coelestium aeternitate. Ordine vero a. 1084. instituto, Bruno, sex annis post, Romam evocatus est, a. 1090., et quinque annos mansit, indeque, quia tumultus et mores curiae ferre non posset, in Calabriam secessit, ac institutum propagavit, structo monasterio liberalitate Rogerii Ducis: attamen Carthusiae solitudo mansit caput religionis. Erant autem statuta satis severa et arcta, quae avaritiae, ambitioni, et cupiditati nullum reliquerunt locum. Habitabant singuli seorsim, licet intra coenobium, a carne abstinebant perpetuo, et pane ac legumine vescebantur, exceptis dominicis et valde festis diebus, quibus caseo et piscibus uti licebat, piscibus autem, non quos *sibi ipsi emebant*, *sed bonorum virorum largitione suscipiebant*, ut inquit Guibertus. Vinum, si quando sumerent, adeo erat insipidum, ut vix ab aqua differret. Vestitus erat toga candida, cum cucullo, et cilicio subtus. Abstine-

bant

bant a sexu muliebri usque ad ipsum adspectum. In omni paupertate degebant, tantum ditissima instructi bibliotheca. Vasa argentea, a Comite Nivernense oblata, respuerunt, dicentes, *nos neque in expensis nostris, neque in Ecclesiae ornamentis, exterarum quippiam pecuniarum retinere diligimus.* Silentium denique observabant perpetuum, ita ut *nusquam fere loquantur, nam si quid peti necesse est*, ait Guibertus, *signo exigitur*, Vid. Guibertus Abbas Mariae de Novigento, l. I. *de vita sua* cap. 11., et Petrus Cluniacensis de *Miraculis* lib. II. c. 28. Seculo autem sequente vixit Guigo, Prior Carthusiae Veteris, cujus exstat egregia epist. ad fratres *de monte Dei*, Oper. Bernardi tom. II. p. 203., in qua piae vitae eremiticae luculentam dedit descriptionem, lectu propterea dignam. Concitavit denique hic ordo ingentem sui existimationem, et longe lateque propagatus est, per Italiam, Galliam, et Germaniam.

§. DCXVII. Celeberrimus etiam est *Cisterciensis* ordo, in Burgundia fundatus, sic adpellatus a loco aspero Cistercio, dioecesios Cabillonensis, autore Roberto, Abbate Molismensi in agro Lingonensi. Qui, cum Monachos suos, a regula Benedicti nimium degenerantes, ad rigidiorem observantiam frustra compellere annisus esset, sese cum paucis sociis seperavit, et in loco memorato, ipsi ab Odone, Henrici filio, Burgundiae Duce, concesso, coenobium majoris districtionis, et religionis, construxit, a. 1098., cui et ipse primus praefuit. Vid., praeter Ordericum Vitalem, ad a. 1094., et Sigebertum Gemblac. in Chron. a. 1098., Origines Cisterciensium, ab incertis autoribus scriptae, in Bibliot. Labbei tom. I. Sed, cum jussu Urbani II. vetus coenobium Molismense repetere coactus esset, ei suffectus est Albericus, quem a. 1107. defunctum excepit Stephanus, qui Bernardum, celeberrimum illum virum, de quo ad sec. sequens., cum sociis Cistercium ingredientibus, suscepit, et plurima condidit monasteria, inter quae eminent Firmitas, Pontiniacum, Claravallis, et Morimundus, quatuor

tuor filiae primogenitae Cistercii dictae. Devincti sunt Cistercienses regulae Benedicti, et propriis constitutionibus. Vestitus primum fuit *albus*, licet vilis, cum Benedictinorum sit *niger*, unde illi albi, hi nigri, adpellati sunt, sed postea *griseum* colorem sumserunt, indeque dicti sunt Grisei, unde contentiones inter ipsos et Franciscanos postea ortae sunt. Regnavit inter Cistercienses paupertas, labor manuum, summa frugalitas, et devotio. Vid. Stephanus Abbas S. Genovefae epist. 71. et Sigebertus l. cit. a. 1107. Ceterum fuit ordinis, quem Paschalis II. confirmavit, ingens propagatio, ita ut circa a. 1150. jam fuerint quingenae abbatiae, teste Matthaeo Parisiense, in hist.

§. DCXVIII. Conditum etiam est *Sylvae Majoris* coenobium in Aquitania, prope Burdigalem, sub Benedicti regula, autore Giraldo, qui ex monasterio Corbeiae venit in Aquitaniam, a. 1079., et hanc Sylvensem introduxit congregationem, per Gallias et Hispaniam dein propagatam, Vid. autor vitae ejus in Act. Sanctor. Aprilis. Inter sanctos autem est relatus a Papa Coelestino III. a. 1197. Celeberrima quoque est eremus S. Crucis *Fontis Avellani*, ordinis Benedictini propago, quae Rodulphum, Petrum Damiani, Dominicum loricatum, aliosque celebres viros produxit: cujus instituta exposuit Petrus Damiani opusc. XIV. et XV. nec non Johannes Laudensis in ejus vita. Habuit autem quaedam valde singularia 1. Severa viguit ibi abstinentia. Quatuor hebdomadis diebus pane et aqua utebantur, tertia et quinta feria pauxillo leguminis, vini nullus erat usus, nisi pro sacrificio missae et aegris: postea tamen et aliis est concessus, sed exceptis quadragesimis, quando nec vinum nec piscis permittebatur. 2. Summa erat vestium vilitas, et cubilium austeritas. 3. Pro defunctis fratribus unusquisque septem dies jejunabat, septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipiebat, septingintas moetaneas, seu prostrationes, faciebat, triginta Psalteria decantabat, et triginta continuis diebus missarum solennia celebrabantur.

Deniqu

Denique, 4. quod novum quid erat, disciplinae partem faciebant *verbera*, quibus se ipsi castigabant sponte, flagellis ad hoc paratis idoneis: sic tria Scoparum millena faciebant unius anni poenitentiam. Qui usus satis singularis Dominicum Loricatum habuit autorem, et Regibus quoque ac Principibus est adplicitus, ut in Henrico II. exemplum est: Vid. Baronius a. 1056. Ceterum flagellatio, invitis in poenam inflicta, usitata quidem a longo fuerat inter Monachos, sed spontaneae ad carnem subigendam, aut a Deo aliquid promerendum, nullum vestigium, aut exemplum, occurrit ante hoc seculum. Vid. Anonymus in *historia flagellantium*, qui est Boileau, qui etiam, eam disciplinam a multis fuisse damnatam, demonstrat. Defendit eam disciplinam Petrus Damiani ep. 8. lib. V. ad Clerum Florentinum, inter alia ex eo, quod, sicut mortificationem crucis, aliaque austera, ita et reliquas Christi passiones, imitari liceat. Commendavit quoque eam, *gravis disciplinae* nomine, Hildebertus Cenomanensis l. I. ep. 23., ad refraenandam libidinem, cui etiam inservire dicit, membra genitalia *crucis inpressione et salis benedicti adpersione munire*, scilicet in fugam daemonii: consilium enim illud dat viro, qui, vigilans precibus devotissime intentus, proprie loquendo, mastupratus erat a spiritu nequam. Quod valde singulare est.

§. DCXIX. Hisce addatur S. *Antonii* Magni confraternitas Viennensis, quae societas, seu domus eleemosynaria, *ordinis* religiosi conspectum denuo accepit sec. XIII. Vid. Aymari Falconis historia Antoniani Ordinis. Fuit hoc tempore tantum fraternitas secularis, S. Antonio nuncupata, ad charitatis actiones exercendas instituta, cujus originem dederunt Gasto, nobilis Viennensis, ejusque filius Gerinus, in signum grati animi, ob liberationem e gravissimo morbo, ope Antonii inpetratam. Cum autem voto serviendi Antonio sese obstrinxissent, is illis adparuisse fertur, et jussisse, ut aegris, qui, sacro igne consumti et mutilati, in miseria vivebant, ministrarent. Accessit miraculum baculi, ad

formam *tau* efformati, florescentis, statim ac terrae esset defixus. Quibus signis erecti Gastus et Gironus Antonianam instituerunt congregationem ad oppidum S. Antonii, olim Mota dictum, a. 1095. Pro signo habuerunt ejus socii *crucem coeruleam*, seu signum *tau* vestibus adtextum. Denique incepit hoc seculo *Prioratus* canonicorum regularium Ordinis Augustini in Hyree valle, h. e. aspera valle, Gallice Herival, intra Vosagi montium fauces, ab Eugibaldo, patria Romarico montensi; qui horridam hanc solitudinem intravit a. 1074. Cujus historiam dedit, et asperas constitutiones evulgavit, Hugo, Abbas Stivagii, in *antiquitatis sacrae monumentis*.

§. DCXX. Quod vero ad vitam et *mores* Christianorum adtinet, tristissima admodum fuit Ecclesiae facies. Invasit enim Clerum et populum incredibilis fere corruptio: vitia ambitionis, Simoniae, superbiae, avaritiae, luxus, perversi zeli orthodoxiae, cujuscunque generis injustitiae, aliaque grassata sunt, praeter summam et intolerandam superstitionem in sanctorum et reliquiarum cultu, visionibus, somniis, adparitionibus, miraculisque iis adscriptis; ut vel ex solo Baronio, earum studiosissimo collectore, elucescit. Ad superstitiosum seculi hujus, et sequentium, pertinet genium, quod portento, sortibus, aliisque superstitionis signis, maxime fuerint dediti Graeci: ut ex Cedreno, Niceta, Johanne Curopalata, aliisque, constat. Fuit quoque inter vitia seculi frequens divortium Principibus viris usitatum, quo uxores rejiciebant, ductis aliis. Vid. exempla in libello Blondelli, de formula *Christo regnante* p. 14. Ceterum de corrupto Ecclesiae statu legendi sunt Glaber Radulphus, uti lib. II. c. 4. IV. c. 5. V. in fin. Petrus Damiani, qui etiam *opusculo* XII. vitia Monachorum sui temporis vivis depingit coloribus, ut et Cardinalium et Episcoporum Italiae luxum et pompam, opusc. XXXI. Legi etiam meretur Serm. 135. Hildeberti Cenomanensis contra *Simoniacos*; ubi lucri cupidinem Clericorum multiplicem depingit, et perstringit. Addantur,

qui

qui de Ecclesiae depravato statu testantur, Otto Frisingensis, Abbas Urspergensis, Malmesburiensis, Gulielmus Tyrius, alii. Sic in moribus sui temporis carpendis totus est Adelbero, Episcopus Laudunensis in carmine ad Robertum, Francorum Regem, vulgato et illustrato ab H. Valesio. Addenda est epistola Gozechini Scholastici ad Valcherium Scholasticum, circa a. 1060. in Analectis Mabillonii, nec non epistola 49. lib. II. Gregorii Papae ad Hugonem Abbatem Cluniacensem, in qua utriusque orbis, et omnium ordinum, ac plebis summam deplorat corruptionem. Autor *fasciculi temporum* in haec verba, inter alia, erupit: *tempus effoeminatum incipit circa annum* 1000., *in quo fides Christiana valde coepit deficere, Christianitatis nec sacramenta, nec Ecclesiastici ritus, servabantur, erat sacerdos sicut populus* etc. Gulielmus etiam Tyrius de *bello sacro* l. 1. c. 8. *In Occidente, et in omni pene orbe terrarum, maxime inter eos, qui fideles dicebantur, fides defecerat, et Domini timor erat de medio sublatus, perierat de rebus justitia* etc. Bruno quoque Signiensis Episcopus, hujus et sequentis seculi autor, in *vita Leonis IX. Papae*, in Bibl. M. Patrum vol. XX., mox in principio, corruptum mundi statum, quo tempore Leo electus est, his verbis depingit. *Mundus totus in maligno positus erat, defecerat sanctitas, justitia perierat, veritas sepulta erat, regnabat iniquitas, avaritia dominabatur, Simon Magus Ecclesiam possidebat, Episcopi et sacerdotes voluptatibus, et fornicationi, dediti erant, non erubescebant sacerdotes uxores ducere, palam nuptias faciebant, nefanda matrimonia contrahebant, et legibus eas dotabant, cum quibus secundum leges nec in una domo simul habitare debebant — — — — sed quod his omnibus deterius est, vix aliquis inveniebatur, qui vel Simoniacus non esset, vel a Simoniacis ordinatus non fuisset.* Addit, nonnullos, *qui male argumentantes, et Ecclesiae dispensationem non bene intelligentes*, propterea contendisse, *ab illo tempore sacerdotium in Ecclesia defecisse*: subjungit denique, *talis erat Ecclesia, tales erant Episcopi, et sacerdotes, tales et ipsi Romani*

mani Pontifices — — — *omne sal erat infatuatum, nec erat aliquid, in quo condiretur* etc. Adamus quoque Bremensis hist. Eccles. l. I. fin. Episcopos perstringit, quod *domi sedentes, gloriae, lucri, ventris, somni breves delicias, in primo episcopalis officii loco ponant*. Ivo Carnot. ep. 216. ad Richardum, Albanensium Archiepiscopum, *infinita*, inquit, *Monachorum cupiditas infinitam facit manere discordiam*. Vid. etiam Lambertus Schafnab. *de rebus Germaniae*, ad a. 1071. circa fin. de Monachis Germaniae, et ad a. 1075. De aula in specie Romana depravata legi etiam meretur Giannone Hist. Neapol. et l. IX. c. 2.

PARTES ACCIDENTALES.

HAERESES ET SCHISMATA.

§. DCXXI. *Manichaeismus* in Gallia, et Germania, sese hoc seculo, si autoribus sit fides habenda, ostentare *coepit*, simul morte et vivicomburio punitus est, novo exemplo, in Occidente. Qui, et quorum similes, in Italia fuerunt *Paterini* adpellati, de quo nomine supra dixi; in Gallia *Albigenses*, a Waldensibus distincti, de quo ad seculum sequens, ab urbe Languedociae Albigia, etiam *Bulgari*, seu Bougres, quia ex Bulgaria venerant, ubi sedes habuerant, ut et *Cathari*, seu *Gazari*, unde Germanicorum Ketzers, a regione Gazaria, ut nonnullis visum, quo nomine hoc tempore venit *parva Tartaria*, licet alii aliunde repetant. Denique *Publicani* a Paulicianis, et *boni homines*, ut se ipsi adpellarunt. In Gallia autem, praeter Leutardum aliquem circa finem sec. X. in pago Catalonico, qui *crucem et salvatoris imaginem contrivit* in Ecclesia, et *decimas dari* dixit *inane* esse, ut refert Glaber. Radulphus lib. II. 11., qui eum depingit tanquam insanum, dicitque ab Episcopo Lebuinio convictum semet puteo inmersisse, exorti sunt in Ecclesia Aurelianensi, et apud Tolosanos, qui cremati sunt, ut tradit Helgaldus in Aquitaniae hist. fragmento inter hist. Franciae scriptores XI. Pith-

Pithoei; qui addit, per *diversas Occidentis partes Manichaeos se occultare coepisse, et quoscunque poterant decepisse.* Quocum alia sunt conferenda monumenta, ex quibus horum hominum notitia est petenda: uti sunt acta Synodi Aurelianensis apud Dacherium in Spicilegio, Chronicon Petri Vivi apud Senonas, ibid. Ademarus in Chron. apud Labbeum in Biblioth. tom. II. et Glaber Radulphus hist. l. III. c. 8. Secundum haec monumenta, 1. haeresis fuit per foeminam aliquam ex Italia translata, 2. multos ex Clericis Aurelianensibus infecit, etiam eruditos, et pietatis fama insignes; quorum praecipui memorantur Stephanus, Ecclesiae S. Petri puellaris Scholasticus, et confessionarius Constantiae Reginae, Aloysius S. crucis Canonicus. 3. Capita haereseos fuerunt, doctrinam Script. S. de Trinitate esse deliramenta hominum carnalium, Christum nec esse de virgine natum, nec passum, sepultum, aut resuscitatum, Coelum et terram carere initio, et autore, in baptismo nullam esse peccatorum remissionem, panem et vinum non converti in corpus et sanguinem Christi, Sanctorum invocationem esse frustraneam, ut et signum crucis, et similia superstitiosa. Praeterea esum carnis, et conjugia damnarunt, et promiscuos admiserunt concubitus, quos in nocturnis conventibus, exstinctis lucernis, exercuerunt: imo ex foedo concubitu natum infantem die octava cremarunt, cineribus collectis et religiose adservatis, ex quibus qui vel tantillum sumebant in haeresi confirmabantur: denique bona opera esse superflua et inania. etc. 4. Hanc haeresin in lucem protraxit Aresastus, ex stirpe Ducum Normanniae, qui a Richardo ejus Duce, cui rem revelaverat, ad Robertum, Galliae Regem, cum litteris missus, et Regis autoritate munitus, sese ad eos errores detegendos adduxit, sese discipulum eorum fingendo, et sacris initiari passo. Quo 5. feliciter, simul fraudulenter, peracto, indicta est Aurelianensis Synodus a. 1022., haeretici, suggerente Aresasto, comprehensi a satellitibus Regiis, coram Synodo, Rege praesente, adducti, cum errores negassent, convicti

Berengarius, patria Turonensis, studiis confectis in scholis Carnotensi sub Fulberto, docto et pio viro, Turonas eo mortuo redux, scholae S Martini praefectus est, et dein Ecclesiae S. Martini Turonensis Camerarius ac thesaurarius, denique, Andes profectus, ab Eusebio ejus Ecclesiae Episcopo, Archidiaconus et thesaurarius Ecclesiae Andegavensis factus est, seseque et eruditione, et vita praestitit laudabilem, ut omnes fere testantur scriptores, etiam ex veteribus, in primis Gulielm. Malmesbur. in hist. Angl. l. III., qui etiam, eum carmine ab Hildeberto Cenomanensi fuisse inpense laudatum, memorat. Quod carmen exstat ad calcem carminis Hildeberti de *Officio Missae*, in Bibl. M. Patrum vol. XXI. Haeresin autem suam publicavit, silente et connivente Eusebio Brunone episcopo, absque tamen ut ejus opinionem adoptaverit, licet in eam inciderit suspicionem, etiam a Deoduino, vel Theoduino, Leodiensi Episcopo in epist. ad Henricum I. Galliae Regem, ejus fuerit reus actus, ut ex epist. *Brunonis* ad Berengarium patet. Statim vero ac opinio ejus per Ecclesias innotuit, a Doctoribus refutata, et a conciliis proscripta est, licet non defuerint, qui ei faverint. De quibus ordine est agendum.

§. DCXXIV. Qui sese ei opposuerunt, et opinionem oppugnarunt, sunt praecipue sequentes. Adelmannus, ejus condiscipulus, dein Scolasticus Leodiensis, denique Brixiensis Episcopus, scripta ad eum epistola, in Analectis Mabillonii, et inde in Bibl. M. Patrum tom. XVIII. Hugo Lingonensis Episcopus, in brevi tractatu contra eum *de corpore et sanguine Domini*, nec non Durandus, Troarnensis Abbas, in libro ejusdem tituli: qui duo exstant ad calcem operum Lanfranci, qui et ipse contra Berengarium scripsit, post Synodum Romanam sub Nicolao II. a. 1059. Praeterea Guitmundus, Aversanus Archiepiscopus, tribus ea de materia scriptis libris sub Urbano II., Ascelinus, monachus Benedictinus in Neustria, cum Berengario, scriptis utrinque litteris, congressus: denique Anselmus in variis tractatibus,

et

tis, cruci, imaginibus etc. nullum esse deferendum cultum, solam pietatem et justitiam sufficere ad salutem, nec sacramentis ullam inesse virtutem, adeoque baptismum non esse necessarium, et, si ejus aliqua sit utilitas, eam nunc penitus intercidisse, quod ab indignis ministris conferatur, peccata, in baptismo, ut putabatur, remissa continuo renoventur, infantibus, quibus fides deest, et desiderium baptismi, administretur. Denique, praeter scripturam Vet. et Novi Test. nullam esse admittendam aliam fidei et vitae normam. Addunt acta, quae haec continent, eos fuisse conversos, et ad Ecclesiam reductos. Dubitatur quidem, num acta sint genuina, quia Baldericus, Noviomensis ac Tornacensis Episcopus, qui a secretis fuit Gerardo, Cameracensi Episcopo, Synodi Praesidi, de iis silet in Chronico Cameracensi, edito a Georgio Colvenerio, Doctore Duacensi: sed nescio an satis solidum illud sit. Ejusdem forte farinae sunt, quae de Manichaeis Goslariensibus in Germania narrat Hermannus Contractus ad a. 1052., qui refert, Henricum III. cum natalem Domini Goslare ageret, quosdam haereticos, *inter alia pravi erroris dogmata, cum Manichaea secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne haeretica scabies latius serpens, plures inficeret, jussisse in patibulis suspendi.* Ex quibus liquet, haereticos esse occidendos, jam invalescere coepisse opinionem, adeoque Antichristianismi jam jacta esse fundamenta.

§. DCXXIII. De *Roscelino* Clerico Compendiensi, insigni disputatore et dialectico, cui Tritheismus fuit imputatus, quia tres personas Trinitatis docuit esse res differentes et separatas, sicut sunt tres Angeli, salva tamen una voluntate et potestate, cum alias secuturum sit, ut Pater et Spiritus S. etiam incarnati sint, qui ejus error est a Synodo Suessionensi a. 1092. damnatus, Roscelino ad palinodiam, metu mortis, adacto, et ab Anselmo refutatus, cum supra aliquid monuerim: ad haeresin *Berengarianam* pergo, quae plures dedit motus, et de fide Occidentalium testatur, dignam itaque, quae accuratius tractetur, et historiae et opinionis respectu.

inus, Leodiensis Episcopus, missa ad Regem epistola, quae etiam reperitur in Bibl. M. Patrum tom. XVIII. tum quod Berengario, jam damnato, non esset nova concedenda audientia, sed de poena ejus tantum deliberandum, *est enim justum*, inquit satis inepte, *ut*, *quorum manus sunt contra omnes*, *omnium manus etiam contra ipsos excitentur* tum quod Bruno, ejus fautor, ut putabatur, sine Apostolica autoritate damnari non possit a Synodo nationali: sed perstitit Rex, et Synodum Parisiensem coegit a. 1050. Berengario vero, licet citato, non comparente, lecta est ejus epistola, ad familiarem data, et intercepta, eaque, cum autore et Scoti libro, damnata non tantum est, sed etiam additum, *ut autor ejusque sequaces ab omni exercitu Francorum*, *praeeuntibus Clericis cum Ecclesiastico adparatu*, *quaererentur*, *et inventi obsiderentur*, *donec aut consentirent Catholicae fidei*, *aut mortis poenas luituri caperentur*: teste Durando, Abbate Troarn. in fin., qui unus hujus concilii meminit. Quo facto, Berengarius per litteras a Richardo Abbate intercessionem pro se apud Regem petiit: quae in Spicilegio Dacheriano tom. III. exstant. Synodum quidem negant fuisse habitam nonnulli, sed sine solido fundamento: silent quidem de ea Lanfrancus, et Anonymus Chiffletianus ac alii, sed eam memorat Durandus, et ipse Theoduinus Regem concilium convocasse indicat, ejusque Zelum laudat.

§. DCXXVI. 5. In eodem opere perrexit Leonis successor Victor II. qui in nullo non concilio hoc egit, teste Lanfranco; speciatim per legatum Hildebrandum in Turonensi a. 1055. in quo Berengarius praesens ejurare coactus est opinionem suam, fidemque Catholicam, ut tunc adpellabatur, sub juramento, et cum subscriptione, profiteri; ut omnes, supra laudati, autores Lanfrancus, Guitmundus, Anonymus Chifflet. alii tradunt. Interea Berengarius in epist., supra citata, negat Victorem aut per se, aut per Legatos, secum aliquid egisse de *mensa Dominica*. Hildebrandum porro tradit sub Leone IX., ab Ecclesia Ro-

mana ad alia negotia missum, Turoni adfuisse, secum benignius egisse, sibique suasisse, ut Romam ad Leonem tenderet. Porro quosdam ad Synodi petitionem secum tradit privatim locutos et rogasse, num, quod ipsi inputabatur, dixerit, panem consecratum a vulgari nihil differre, seque respondisse, sibi certum esse, panem *atque vinum altaris post consecrationem esse revera corpus et sanguinem*: sed quo sensu sit? non additur, forte eo, quo Veteres, qui, panem et vinum, vi unionis cum Divina natura, cum corpore Christi censuerunt arcte unita. Utique Guimundus contra Berengarium lib. I., haud procul ab initio, ipsi adtribui tradit sententiam *subtiliorem de inpanatione*, his verbis; *Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis et vinum essentialiter non mutantur, sed, ut extorquere a quibusdam potui, multum differunt in hoc, quod alii nihil omnino de corpore et sanguine Domini sacramentis inesse, sed tantummodo umbras haec et figuras esse dicunt: alii vero, rectis Ecclesiae rationibus cedentes, nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi corpus et sanguinem Domini revera, sed latenter, contineri, et, ut sumi possint, quodammodo (ut ita dixerim) inpanari: et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam ajunt.* Quid? quod ipse Berengarius mentem in hunc sensum haud obscure declaraverit in epist. ad Almannum in Thesauro Martene l. cit. ubi inter alia dicit: *mea, vel potius scripturarum causa ita erat, panem et vinum mensae Dominicae non sensualiter, sed intellectualiter, non per absumtionem, sed per assumtionem, non in portiunculam carnis contra scripturas, sed secundum scripturas in totum converti Christi corpus et sanguinem.* Quo sensu praeterea inter *sacramentum et vim* sacramenti distinguit, sacramentum adpellans *signum, figuram, similitudinem* et pignus, *rem* vero ipsum Christi corpus et sanguinem, intellectualiter et latenter. Recantationem 6. repetere et confirmare debuit in Synodo Romana sub Nicolao II. a. 1059. postquam a Lanfranco, et Alberico autore libri

citati, erroris, ut dicitur, convictus esset. Praeterea libros, sive suos, sive J. Scoti, concremavit, et formulae fidei, ab Humberto Cardinali compositae subscripsit, et juramento confirmavit. Berengarius vero in epist. cit refert, *se in corde errori non adsensisse, manu quidem* — — — (lacuna haec est in MSS.) *subscripsisse, verum, ut de consensu, inquit, pronunciarem meo nullus exegit: tantum timore jam mortis praesentis scriptum illud, absque ulla conscientia mea jam factum, manibus accepi* etc. Juramentum porro a se exactum, aut factum, negat; *solus Humbertus*, Legatus Papae, dicit, *inconsulto* et *inaudito me sine mora, et lima diligentioris secundum scripturas considerationis, quod voluit scripsit, nimiaque levitate Nicolaus ille, de cujus ineruditione et morum indignitate facile mihi erat non insufficienter scribere* — — *quod diceret Humbertus adprobavit.* Quam ipsam confessionem Nicolaus Papa per Italiam, Galliam, Germaniam, aliasque regiones, transmisit. Vid. praeter Lanfrancum, Algerus I: 29. qui ipsam formulam, satis crudam, etiam exhibet, in qua adfirmatur, *panem et vinum, post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Christi esse, et sensualiter, non solum sacramento, sed in veritate, manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus adteri.* Traditur quidem Berengarius ei sponte subscripsisse, attamen non sincere et ex animo id fecit, sed Lanfrancus ipsi inputavit, quod metu mortis, ipsi intentatae, fecerit in libro contra Berengarium cap. 2. Statim quoque ac per Henrici obitum a metu esset liberatus, eandem haeresin docere coepit, et librum contra Humbertum, et hanc fidei professionem, edidit, quem refutavit Lanfrancus. Imo Leonem non Pontificem, sed Pompificem et pulpificem, Romanam Ecclesiam vanitatis concilium, et Ecclesiam malignantium, Romanam sedem non Apostolicam, sed sedem Satanae, et dictis et scriptis adpellavit, ut in libello de *multiplice damnatione* Berengarii quoque traditur. Ob quod cum

eum

eum frustra reprehendisset Alexander II., ut anonymus Chiffllet. refert, Synodi in haeresi configenda perrexerunt; uti fecit Rothomagensis a. 1063. sub Wilhelmo Normannorum duce, ut patet ex veteri formula celebrandi concilii Provincialis in ea Ecclesia apud Mabillon. in Analectis, injuncta quoque est Episcopis ordinandis formula fidei Catholicae huc pertinens: ut ritus ordinandi Episcopi in ea Ecclesia ibid. in Analectis testatur.

§. DCXXVII. Denique in eo praecipue laboravit Gregorius VII. non tantum per legatum suum Girardum, qui Synodo Pictaviensi a. 2075. habita haeresin condemnavit, cujus meminit Chronicon. Malleacense, sed et ipse duabus in Synodis Romae, a. 1078. et 1079. In quibus haeresin iterum ejuravit Berengarius, duplice edita confessione. Prior in Synodo priore cum subdole esset concepta, apud Mabillon. in Analectis, in qua simpliciter confitebatur, panem et vinum esse verum Christi corpus et sanguinem, adeoque non satisfaceret, dedit alteram in Synodo posteriore, ut acta Synodi in Registro Gregoriano post epist. 17. lib. VI. docent, et Hugo Flaviniacensis tradit, in qua dixit, se confiteri, *panem et vinum substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Christi*, et post consecrationem panem esse verum corpus Christi, quod crucifixum est etc. et vinum esse verum ejus sanguinem, non tantum per signum, et veritatem sacramenti, sed in *proprietate naturae*, et *veritate substantiae*. Vid. Bertoldus Constantiensis in Chron. et Lanfrancus l. cit. Quo facto absolutus, et litteris commendatitiis Papae dimissus est Berengarius, apud Dacherium in Spicileg. tom. III. De quibus omnibus vid. anonymus Chiffletianus. Ceterum exstat memorabilis tractatus Berengarii in thesauro novo *Anecdotorum* Martene tom. IV. p. 103. ex quo patet, Gregorium favisse Berengario, nec ab ejus opinione adeo fuisse alienum, passum quoque tantum fuisse, alteram illam confessionem conscribi, compul-

sum ab hostibus Berengarii, nec aegre deinceps talisse eam fuisse a Berengario repudiatam. De quo quicquid sit perstitit, non obstante triplice hac confessione, in haeresi ut ex Bertoldo Constantiens. ad a. 1083. non tantum, se ex ipso Berengarii scripto, quo tertiam confessionem resci dit, ut ex MS. eruit Mabillon. l. cit., constat. Confirm etiam Synodus Burdegalensis a. 1080. per Hugonem Lug dunensem, et Papae legatum, in qua fidei suae rationei reddidit Berengarius, teste Chronico Malleacense.

§. DCXXVIII. Num denique ad mortem usque in hae resi perseveraverit, an Catholicus sit mortuus? disputatu Prius passim tuentur Reformati, ut Claudius contra auto res *perpetuitatis fidei* de Eucharistia, posterius Catholico Romani, ut Fr. Roccus antecessor Andegavensis de *haere et poenitentia* Berengarii, et Mabillon in Analectis. Bertol dus, modo laudatus, eum in haeresi fuisse mortuum innue re videtur; quo etiam facit, quod ultimam confessionem re sciderit, teste MS. a Mabillon. viso. Sed ab altera part Clarius, Floriacensis Monachus, in Chron. S. Vivi, apu Senonas ad a. 1083., adserit, eum *fidelem, et vere Cathol cum vitam finivisse*. Quod etiam indicat Gulielmus Malme bur. de *gestis* Anglorum lib. III. et epitaphium, ipsi a Hildeberto, Episcopo Cenomanensi, positum. Ultima eju verba, secundum Malmesburiensem, fuerunt: *hodie in die a paritionis suae* (mortuus enim est *die Epiphaniorum* eode teste,) *adparebit mihi Dominus meus Jesus Christus, propt poenitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios* (scilic ab ipso infectos errore) *ut timeo, ad poenam.* Quo etiam te dit, quod sancta ejus et austera vita, quam in insula S. Co mae ad mortem usque degit, laudata sit, et piae mort justa ipsi sint persoluta: ut habent membranae Laureacense aliaque monumenta. Sed haec disquisitio tanti non est f cienda, nec res est satis liquida.

§. DCXXIX. Longe majoris est, haeresin ejus longe la que fuisse disseminatam, et multos habuisse fautores. I

quo vid. Ufferius de *succeff. Ecclefiae in Occidente* c. 7. Sigebertus Gemblacenfis alibi, et de Scriptor. Ecclef. c. 154., teftatur, Franciam fuiffe hac fuper quaeftione turbatam, et contra Berengarium, ac pro eo, multum a multis, et verbis et fcriptis, fuiffe difputatum. Quod etiam tradit Albericus *trium fontium* religiofus Benedictinus in *chronico* a Leibnizio edito. Malmesbur. de geftis *Anglorum* l. III. habet, doctrinam ejus per omnem Galliam fuiffe diffeminatam: fic et Matthaeus Weftmonafterienfis, et Roffenfis hiftoriae collector apud Ufferium, difertis verbis, eum omnes Gallos, Italos et Anglos, corrupiffe, adfirmat. In Synodo Romana fub Gregorio VII. a. 1078. diverfa fenfiffe Antiftites, docent acta, ipfum Gregorium initio dubitaffe nonnulli tradunt apud Ufferium, alienum non fuiffe ab illa opinione modo ex tractatu Berengarii obfervavi. Exftat etiam epiftola, forte Paulini Metenfis primicerii in Thefauro Anecdotorum Martene tom. I. ad Berengarium, qua ipfum cohortatur, ut in Scoti fententia defendenda pergat. Quid? quod Zacharias Chryfopolitanus fec. XII. in Biblioth. Patrum tom. XIX. dicat: *funt nonnulli, imo forfan multi, fed vix notari poffunt, qui cum damnato Berengario idem fentiunt, et tamen eundem cum Ecclefia damnant.* Quales hypocritae per omnia fuerunt fecula, nec hodie defunt, aut deficient, quoufque formularum fidei, quas fallibiles, nec alia quam humana praediti autoritate, condiderunt, arctioribus, quam libertas et charitas patitur, cancellis fuerint conclufi Chriftiani Accedit, multos poft Berengarium, in ea manfiffe haerefi, ad quos reprimendos Urbanus II. in Synodo Placentina a. 1094. haerefin rurfus neceffe habuit damnare. Bruno etiam Trevirorum Epifcopus fectatores ejus expuliffe traditur dioecefi fua. Quare etiam poenis et formulis juramenti uti debuerunt ad haerefin exftirpandam: qualis fuit fancita in *ritu ordinationis Epifcopi* in Synodo Rotomagenf. a. 1063. apud Mabillon. in Analectis. Addatur, Berengarium eruditionis et pietatis laude fuiffe

praeclarum, et magnae autoritatis; ut aequales testantur a
tores: quicquid contra clament ejus adversarii. Vid. Dach
rius in Spicilegio, et Mabillon. in Analectis. Ipse Dura
dus testatur circa fin. Berengario *plures Francorum, nonnull
quoque Normannorum, quos aut ipse docuerat, aut in discen
studio aliquantisper juverat, plurimum favoris dependisse.* N
cromantiae ipsum accusarunt hostes, sed recentiores, silent
bus autoribus aequalibus. Inperitiam, superbiam, et l
vitatem ejus exagitant nonnulli ex ejus adversariis,
Adelm., et Guitmundus, qui etiam ipsi inputat, quod l
gitima conjugia et paedobaptismum destruxerit. Imo a
dunt, Fulbertum, ejus praeceptorem, eum nomine daem
nis notasse, et e schola ejecisse. Sed omnia alia habet ep
taphium, ipsi ab Hildeberto positum, ut modo memorav
nec non elogium, quo eum post mortem ornavit Bald
cus, Dolensis Episcopus.

§. DCXXX. Sed tempus est, ut ad ejus, et adversari
rum opiniones in lucem proferendas accedam. Berenga
sententia, ex ejus epistola ad Lanfrancum, et dein ex adve
sariis ejus, supra recensitis, petita, eadem censetur fuisse
ac Johannis Scoti, supra sec. IX. exposita, adeoque tulisse
panem non tantum non converti in proprium Christi co
pus, sed esse solum ejus typum, et figuram. Quo se
contra Berengarium disputarunt, eumque condemnaru
Sed supra observavi, ipsum Christi corpus secundum ipsi
fuisse realiter pane et vino contentum, adeoque *inpanat
nem* ab ipso admissam. Fuerunt quoque inter Berengar
nos, qui, sic dictam, *inpanationem* statuerunt, quae Ratra
ni et Veterum fuit per omnia secula opinio, naturam s
licet divinam ita cum pane et vino uniri, ut fuerat, et
cum natura humana. Quod ex Guitmundo lib. I, et II
ac Algero, in prologo librorum de *corpore et sanguine D
mini*, manifestum est. Sed, quod notari meretur, prin
non est hoc seculo, qui illam opinionem tenuit, sed a
ipsum fuerunt alii, ut Gundulfiani, de quibus supra e

con

contra quos habita est Synodus Atrebatensis a. 1025. apud Dacherium l. cit. Quae Synodus veritatem corporis Christi in eucharistia probat ex miraculis sanguinis defluentis super altare, et portione sanctificati panis in infantem transformata. Imo ante hanc Synodum, in seculi initio, Leutericus, Archiepiscopus Senonensis, eandem fovit sententiam. Testatur enim autor vitae Johannis XVII. vel XIX., eum haeresis Berengarianae primordia et semina sparsisse. Ceterum alii quoque errores Berengario quidem inputati sunt, ut quod promiscuos concubitus, destructo matrimonio, statuisset, paedobaptismum negasset, et Christi corpus adfirmasset incorporeum, sed sine ullo fundamento, et ex invidia, ut Albertinus de eucharistia p. 954. jam recte observavit: quare iis non inmoror.

§. DCXXXI. Utilius est notasse, non defuisse hoc seculo, qui Bertrami tenuerunt opinionem, inter quos eminet Fulbertus Carnotensis, de quo supra egi: inter quem et Bertramum hac parte est perfecta convenientia, ut recte vidit et demonstravit Albertinus de Eucharistia l. III. Inter alia, ut illud tantum proferam, dicit, epist. I. ad *Deodatum*, Christum, *ne sublati corporis fraudaremur munimine, corporis nihilominus et sanguinis sui pignus salutare nobis reliquisse, non inanis mysterii symbolum, sed compaginante spiritu corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione sub visibili creaturae forma invisibiliter virtus secreta in sacris solemnibus operatur*, etc. addit, *substantiam panis et vini adparere exterius, sed corpus Christi et sanguinem fieri interius*, etc. Quod mox illustrat comparatione cum homine regenito in exterioribus eodem, sed in interioribus longe alio. Vid. etiam epist. II. ad Finardum, ubi haec inter alia occurrunt verba. *Sed nec in hoc mens fidelium scandalum dubietatis debet incurrere, quod Christum semel gustata morte jam non ultra moriturum audit, cum carnem adsumti hominis, in Paterna gloria sedentem, et hic sanctificatum panem verum Christi corpus audit nominari, dum et illud de virgine adsumtum, et istud de*

materiali et virginali creatura consecratum, unus idem tifex spiritus invisibili operatione in substantiam verae transfundit, carnis videlicet non cujuslibet, sed vere Chr qua ipse ait, nisi manducaveritis carnem meam, non h vitam in vobis etc. Petrus quoque Damiani de *Ecc stitutione* cap. 9. dicit, *corpus Domini, quod in sacris bus per sancti sacerdotis dedicatur officium, concepta S. virtute, vivificari, et sanctificari, ut nos vivificare et sanctificare*, etc. Concinit plane Anastasius in e Gerardum Abbatem, quam recitat Dacherius in not tam Lanfranci p. 21. ubi inter alia dicitur, panem num esse sacramentum et figuram, quia *sub eorum visibili, quae videntur, secretius virtute Divina caro ce tur, quatenus hoc sit interius in veritate, quod credit virtute; figura autem, dum aliud intelligitur, quam qu corporali et gustu sentitur.* Statuit quoque unionem tus S. cum aqua in baptismo, ibid. Sed communis siae Latinae sententia, per Paparum et Synodorum tatem hoc seculo stabilita, et sub anathemate sancit dem est, ac quam profitentur Catholico-Romani: ut fessionibus Berengario praescriptis, et ex formula Synodo Rothomagensi cusa a. 1063., et ordinandis Ep injuncta, liquet. Formula, apud Mabillon. in Anal 514. habet, *in consecratione ineffabili potentia Divinita verti naturam et substantiam panis in naturam et subs et quidem illius, quae nata est de Maria, passa et res est.* etc. Prima vero confessio, quam Berengarius ed buit a. 1059. coram Nicolao Papa, ferebat, *panem e post consecrationem esse verum corpus et sanguinem D et sensualiter, non solum in sacramento, sed in veritate bus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus* Quae confessio cum haud una laboraret absurditate, ipsam transsubstantiationem, dein correcta est, adeo tenta transsubstantiatione, non ipsum Christi corpus *liter* statuatur frangi et consumi, sed in sacrament

a

accidentibus panis et vini salvis; ut tertia habet confessio a. 1079. hanc in formam: *panem per mysterium sacrae orationis, et verba Redemtoris, substantialiter converti in veram ac propriam et vivificatricem carnem, et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est.* etc. Gregorius autem VII. realem quidem conversionem substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi tenuit, sed *modum* conversionis se ignorare fatetur, in opere MSS. *super Matth.* apud P. Alixium in praefatione ad libellum Fr. Johannis Paris, *de modo existendi corporis Christi in coena.* etc. Elucescit vero ejus sententia ex sermone 38*vo* et tractatu Hildeberti Cenomanensis *de sacramento altaris*, unde patet, eum ab opinione Berengarii fuisse alienum. Usus etiam est voce Transsubstantiationis serm. 94. Interea serm. 99. *corpus Christi, quale crucifixum est*, dicit, *non edi*, nisi *sacramentaliter*, et *in tractatu de sacramento altaris* inquit, corpus illud *uno tantum esse in loco modo naturali, pluribus autem in locis modo virtuali. In uno per naturam, in pluribus per gratiam et virtutem Divinam: in uno corporali modo, in pluribus modo Spirituali*, etc. Quod mox illustrat ex unione humanae Christi naturae cum Divina. Quae omnia in mentem Ratramni conveniunt. Cui congruenter etiam exponi posset, quod deinceps tradit, *substantiam panis et vini in substantiam corporis et sanguinis converti, salvis panis et vini accidentibus.* Hisce addantur illorum scripta, qui Berengarium refutarunt, supra recensita. Ceterum hinc orta est haeresis, dicta *Berengariana* post obitum Berengarii, *sacramentaria*, quae deinde aliis etiam nominibus est insignita.

§. DCXXXII. Sed, quod non erat praetereundum, disputationes cum Berengario novam aliquam, ut putatur, produxerunt opinionem, ab illis inventam, qui Transsubstantiationem quidem non admittebant, nec tamen ei audebant contradicere, quae habet, *verum panem et vinum, post consecrationem, simul cum vero corpore et sanguine Domini in eu-*

 charistia

charistia consistere: quae etiam *inpanatio* est adpellata: refert Guitmundus l. I. et II. nec non Lanfrancus con Berengarium. Adpellat quidem Algerus l. I. cap. 6. h resin illam *novam*, sed minus vere, nisi eo forte se quo ipse eam intellexit, quo statuitur, *personaliter in p inpanatum Christum, sicut in carne humana personaliter in natum Deum.* Quod denique ad Graecos adtinet, eo fides nihil mutata est, sed eadem mansit, ac antea, ut Theophylacto ad Matt. XXVI. et Marc. XIV. manifes est: negat quidem panem esse ἀντίτυπον *antitypum*, dicit esse ipsum Christi corpus, et μεταστοιχειοῦσθαι *transformari* corpus, sed ita, ut non in substantiam carnis transeat, rum, per unionem divinae naturae, omnem ejus *vim* p sideat; uti diserte significat, cum dicit, μεταστοιχειοῦσθαι δύναμιν *transmutari in vim carnis et sanguinis*. Plura de so suppeditat Albertinus p. 955. Eandem in mentem se ut illud subjungam, Samonas, Archiepiscopus Gazae huj ut putatur, seculi, in *disceptatione* cum Achmed. Sarac in Bibl. M. Patrum tom. XVII. explicat, ubi inter alia cit, *pani et vino ac aquae, quibus nos adsueti sumus, conj gens Dominus divinitatem suam, virtute ipsius verbi — in proprium corpus suum et sanguinem ea convertit: panis men et vinum sumitur et adparet* etc. Illustrat mox ex la cro baptismatis, *ubi*, inquit, *qui sunt infideles solam aquam piscina vident, fideles autem aquam, ignem, et spiritum templantur. Cum vero illi quoque participes baptismi evadu tunc et ipsi a sensibilibus rebus confirmantur, ut et invis lem credant regenerationem. Itaque si aliqua est in aqua g tia, non est ex natura aquae, sed ex spiritu.*

NESTORIANI.

§. DCXXXIII. Cum eorum historia, praeter Patriarc rum successiones, et ordinationes Antistitum ab iis insti tas, parum, nostra adtentione dignum, suppeditet, uno

ter

terove defungar observato. 1. Turcae interiores inter Orientem et Septentrionem, seu Tatari, narrantur ad Christianam professionem conversi, sub Patriarcha *Johanne*, qui sedit ab a. 1002. ad a. 1012., occasionem praebente Regis eorum a via inter venandum aberratione, et sancti alicujus adparitione, qui viam se monstraturum promisit, si fidem Christi suscipiat. Amplexi autem eam sunt opera Ebedjesu, Metropolitae Baru, cujus hac de re exstat epistola apud Barhebraeum, et ex eo apud Asseman. Bibl. Orient. tom. II. p. 445. Hic autem Rex primus est, qui nomine Presbyteri Johannis innotuit Europaeis; quem titulum postea et alii tenuerunt. De quo agam ad sec. sequens 2. *Elias* I., qui sedem ab a. 1049. tenuit, Synodo coacta collegit canones Ecclesiasticos, et quaestiones Ecclesiasticas de fundamentis fidei conscripsit, instituit quoque *genuflexionem* in die Pentecostis. Vid. Asseman. tom. III. p. 262. Denique 3. acris, sed inepta, fuit sub finem sec. inter eos contentio inter Machicham Patriarcham et nonnullos Bagadenses de usu *orationis Dominicae*. Cum Jesujabus Adiabenus officium divinum ordinaret, ea oratio nec in principio nec in fine officii divini recitari solebat, Timotheus vero Patriarcha constituit, ut canonicae preces ea oratione inciperent, et terminarentur; Ebedjesus, decessor Machichae, voluit, ut ea binis quibusque precibus intermisceretur, quod Machicha rursus abrogavit, antiquam introducens consuetudinem. Unde vehemens et longa orta est contentio, quae Ecclesiam Bagdadensem divisit, nec nisi ipsius Proregis Muhammedani opera sopita est.

EUTYCHIANI.

§. DCXXXIV. *Syro-Jacobitae* parum quoque memorabile habent. 1. Sub Patriarcha *Johanne Abdone*, qui electus a. 1004. et 1033. defunctus est, persecutionem aliquam sunt a Graecis passi, ipso Patriarcha, cum nonnullis Episcopis

et Monachis CPolin. abducto, et, cum fidei suae ren
nollet, in exilium misso, ubi mortuus est. Ex
autem duo ad Graecorum fidem transierunt, unus
cere obiit, alius a populo coram palatio obrutus la
periit, alii evaserunt. Contigit ea vexatio sub Imp
Romano Argyro, eamque praecipue suscitavit Nice
Melitinae Patriarcha Graecorum. Erat autem M
urbs Armeniae, eo tempore Graecis subjecta, in
cobitarum Ecclesiae quinquaginta sex reperiebantur,
gens sacerdotum ac Laicorum numerus. Vid. Asse
cit. tom. II. ex Michaele, Taneos episcopo, autore
li. Qua persecutione permoti Patriarchae Jacobitae
resederunt *Amidae*, vel *Edessae*, Graecorum ditionibu
tis. 3. Sedente *Johanne Barsusan*, ab a. 1073. q
non sine motibus, satis inanis, agitata est inter S
cobitas et Coptos de *sale et oleo* admiscendis pani
mistico, nec ne? Prius tenebant Syri, et libello edi
fendit Barsusan. Ceterum Graeci jam antea hac
controversiam moverant Jacobitis. Refert enim Bar
us in vita Johannis Abdon, Graecos, cum eos ad
fidem adtrahere non possint, illud denique ad pace
endam ab illis postulasse, ne oleum admisceant eucha
nec crucem uno digito, sed duobus forment. Vid
man. l. cit. tom. II.

§. DCXXXV. Quod ad *Alexandrinos* Jacobitas a
fedente *Zacharia*, qui initio seculi sedem tenuit, p
tio est contra Christianos mota ab Hachemo Chalip
qua plurimi, sive Jacobitae, sive Nestoriani, sive M
tae, pro fide occisi narrantur. Prohibuit autem Ch
non tantum publicos coetus, sed et Ecclesias quam
mas in AEgypto et Syria destruxit. Quales Ma
scriptor Muhammedanus, enumerat ad 30000. et a
Vid. et Elmacinus, ac Chronicon Orientale. Se
ejusdem Principis jussu, postea esse restitutas, tradit
Vitae Zachariae. Unus adhuc obiter attingendus e

rillus II. Patriarcha ab a. 1078. ad 1092, qui decrevit, ut Patriarcha Coptorum Alexandrinus *phallio* uteretur, quod a multis seculis in desuetudinem venerat.

SCHISMA ORIENTALE.

§. DCXXXVI. Schisma Graecorum, ut adpellatur, cujus fundamenta sec. IX. jecerat Photius, quodque post ejus mortem fere obliteratum erat, adeo in nervos hoc seculo erupit, ut postea nunquam sopitum fuerit. Cujus caussam vel occasionem praebuit *Michael Cerularius*, Patriarcha CPolitanus, sub Imperatore Constantino Monomacho, cum Leo IX. esset Papa Romanus. Initio seculi Pontificum Romanorum nomina fuisse, in signum communionis mutuae, diptychis Ecclesiasticis CPolitan. inscripta, tempore Johannis XVIII. et Sergii CPol. Patriarchae, testatum Petrus Antiochenus in epist. ad Michaelem Cerularium a. 1054. scripta, sicut ex ea, et epitaphio Johannis XVIII. eruit Baronius: addit vero Petrus, Paparum relationem et commemorationem deinceps fuisse e medio sublatam, qua de caussa se ignorare fassus. Illud autem sub eodem Sergio contigisse, et schisma coepisse renovari, refert Niceta Nicaenus, qui etiam addit, se caussam ignorare, sed propter sedes factum videri. Existimant quidem plerique Sergium damnasse Latinos ob dogma *processionis Spiritus S.*, sed praecipuam fuisse dissensionis caussam, quod *Universalis* Patriarchae titulum, quem sibi vindicabant CPolitani, iis negaverint Latini, docet Eustathii, Patriarchae CPol., qui Sergio successit, exemplum. Is enim, legatione ad Johannem XIX. missa a. 1024. ab eo postulavit, multis additis muneribus, ut liceret, Ecclesiam CPolitanam *in suo orbe, sicut Roma in universo, universalem* dici et haberi, ut narrat Glaber Radulphus: sed Hugo Flaviniacensis in Chron. Virdunensi petitum tantum fuisse narrat, ut *Ecclesia CPolitana, sicut et Romana, diceretur Universalis*. Nihil vero impetrarunt

Graeci, Italis et Gallis vehementer obnitentibus: sicut ter alia ex epist. Wilhelmi Abbatis Divionensis S. Be ni, apud Baronium, constat. Vid. quoque Hugo Flavi censis l. cit. Videntur tamen reliqui Patriarchae Ori retinuisse communionem cum Ecclesia Romana, ut p ex epist. Petri Antiocheni ad Papam Leonem, huju responsoria apud Baronium, ex ipsa quoque Michaelis rularii ad Petrum, in qua de Patriarchis Orientis prop ea queritur.

§. DCXXXVII. Perfecit autem Michael Cerularius bus epistolis illud schisma, *una*, suo et Leonis Acrid Bulgariae Archiepiscopi, nomine scripta ad Johannem nensem, Apuliae Episcopum, et per eum ad unive *altera* ad Petrum Antiochenum, in quibus, in primis pri quam totam recenset Baronius, multorum errorum rea agitur Romana Ecclesia: quos vel ideo operae pretium erit protulisse, ut vanitas hominum, et studium *scind* Ecclesias, elucescat. Sunt vero sequentes. 1. Quod I ni *azymis* utantur in eucharistia, et ita Judaizent, ve que ejus materiam tollant. Quod inter praecipua dis capita mansit, et haereses *azymitarum* et *fermentace* peperit: Latini autem *azymitae* sunt dicti, et eo no a Graecis damnati, Graeci vero *fermentacei*, qui a L IX. in Synodo Romana a. 2053. proscripti sunt: vid. bertus in vita Leonis. 2. De processione Spiritus S Patre Filioque male sentiant, 3. suffocata come 4. Sacerdotes radant barbas 5. Sabbatis jejunent 6. car vescantur inmundorum animalium prima quadragesi et quadragesimae hebdomade carne utantur; Monachi que a carne non abstineant. 7. Unicam in baptismo beant mersionem 8. Salem in os baptizandorum inmit 9. Alleluia non canant in quadragesima. 10. In missa alterum osculetur. 11. In Liturgia haec verba clara ferant voce, *unus sanctus*, *unus Dominus Jesus Christu gloria Dei Patris per Spiritum S.* 12. Duo fratres dua

rores ducant. 13. Episcopi annulis ornentur, tanquam Ecclesiarum sponsi 14, Ad bellum quoque eant, et sanguinem effundant. 15. Quod nec Sanctorum reliquias, nec imagines venerentur.

§. DCXXXVIII. Ad has litteras, per Humbertum, Sylvae Candidae Episcopum et Cardinalem, Latinitate donatas, et ad Papam missas, Papa respondit vehementi epistola ad Michaelem et Leonem Acridanum, qua sedem Romanam insolenter extollit, eoque fini dicto Christi, *tu es Petrus* etc. nec non ficta Constantini donatione Sylvestro facta, abutitur: praeterea Graecis 90. inputat haereses, quippe inter illos ortas, quas Romana protrivisset Ecclesia: denique, quod melius est, pacem propter leves ejusmodi dissensiones non esse turbandam, urget, Graecosque redarguit, quod Latinorum Templa clauserint CPoli, eorumque fautores excommunicaverint etc. Misit quoque mox eodem anno 1045. ad causam Ecclesiae suae tuendam tres Legatos CPolin. ad Inperatorem, et Michaelem Patriarcham; illum enim, Latinorum auxilii indigum contra hostes, deprehenderat faciliorem, et cum Legatis, qui fuerunt Humbertus et Fredericus Cardinales, ac Petrus Amalphitanus Episcopus, novas misit litteras ad eosdem, quae apud Baronium exstant, in quibus cum Michaele praecipue ob titulum *Universalis* Patriarchae expostulat, simul fatetur, eum nec Petrum habuisse, *nec ullum successorum ejus tam prodigioso praenomine consensisse adpellari*. Legati honorifice sunt suscepti, et obtinuerunt, quod intenderunt. Humbertus singula capita, Latinis objecta, defendit, et ab invidia liberavit, Nicetam Stethatum, seu Pectoratum, Presbyterum in monasterio *Studii*, qui contra Latinos scripserat de *processione* Spiritus S. *azymis*, *jejunio Sabbati*, *nuptiis sacerdotum* etc. quod scriptum Latine exstat in Antiq. Lection. Canisii, eo adegerunt, ut illud coram Legatis combusserit, et anathemate confixerit omnes, qui Romanae Ecclesiae Primatum negarent, vel ejus fidem reprehenderent: ut re-

Graeci, Italis et l. II. c
ter alia ex epist.
ni, apud Baronium a Legat
censis l. cit. Vi
retinuisse commu que A
ex epist. Petri
responsoria apud mallet
rularii ad Petrum Vid.
ea queritur. titulo
§. DCXXXVI. eger
bus epistolis M. Pat
Bulgariae Archi XVIII. A
nensem, Apud chenum.
altera ad Petro a. 1054. et
quam totam sunt multae
agitur Roma *Dei vendebant*
erit protulisse, *Episcopatum*
Ecclesias, *baptizatos* in
ni *azymis* *Graecia orthodox*
que ejus *nuptias concedeb*
capita manife *legem Mosis*
peperit: *a Symbolo abscin*
a Graecis *parvulos mori*
IX. in Syno *mulieres in*
bertus in *si paganae*
Patre Filio *azymitas*, *et*
4. Sacerdo *de fer*
vescantur *Ecclesiam ana*
et quadrage *bant*
que a carne cum Legat
beant mersio didit, anat
9. Alleluia excommuni
alterum oscu fit, nihilq
ferant voce, dos, scriptis
gloria Dei P Patriarcha

Cotelerium Monum. Graec. p. II. exstant, ubi etiam Dominici Gradensis Patriarchae ad Petrum, et hujus ad illum, epistolae mutuae reperiuntur, praecipue de *azymo*. Michaele mortuo, eadem quidem continuarunt discidia et odia, sed nihil memorabile hoc seculo actum est, nisi quod disputationes de processione Spiritus S. renovatae fuerint sub Alexio Comneno: quando a Paschali II. CPolin. missus est Grosolanus, seu Proculanus, Mediolanensis Archiepiscopus, ut nervos incideret schismati. De quo ad sec. sequens. Singulare est, ut illud dictis subjungam, quod Gregorius VII. epist 31. lib. II. ad Henricum a. 1074. adserat, *CPolitanam Ecclesiam, de Spiritu S. a Romana dissidentem, concordiam Apostolicae sedis expetere, Armenos fere omnes a Catholica fide aberrare, et poene universos Orientales praestolari, quod fides Apostoli Petri inter diversas opiniones eorum decernat* Quae jactantia quid habeat veri, ex supra dictis facile colligitur.

PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. DCXL. Hac parte seculum nostrum est valde sterile, si vere sic dictae propagationis ratio habeatur: tantum in Hungaria professio Christianismi magis est confirmata per Andream, Belam, et Ladislaum Reges, qui sibi successerunt. Andreas, quo facilius ad regnum perveniret, promiserat Hungaris, se paganismum esse instauraturum, claro indicio, Christianismum inter eos nondum fuisse stabilitum, et disseminatum, sed, voti compos factus, contrarium fecit: uti narrat Bonfinius. Cum vero inter media Christianismi promovendi censeri soleant, utique hoc tempore et deinceps, expeditiones bellicae, ad terram sanctam, ut superstitiosa habet opinio, hostibus infidelibus eripiendam, quae *cruciatae* adpellantur in terram sanctam, seu Palaestinam: earum generalis, sed brevis, quia ad scopum nostrum directe non pertinet, pertexenda hoc loco est historia. Quae in

in primis petenda est ex Abbate Urspergensi, Ottone
singensi, Paulo Aemilio, Matthaeo Parisiensi, autoribu
libro, cui titulus *gesta Dei per Francos*, obviis, Anonym
historia Belli sacri apud Mabillon. in museo Ital. tom. I
II. cujus epitomator habetur primus auctor in illis *g*
Dei etc. sed qui multa omisit, ne alios memorem:
recentioribus cum voluptate legi potest Maimburgius,
judicio adhibito critico. Quae hujus sunt seculi or
strictim exhibebo.

§. DCXLI. Expeditiones Cruciatorum sunt, quas Pri
pes Occidentis contra Turcas, Asiae Dominos, susceper
Palaestinae iis eripiendae, et in libertatem vindicandae, e
Sunt itaque bellicae expeditiones Occidentalium Christi
rum contra Turcas, propter Palaestinam, in primis Hi
solymam, et sepulchrum Domini Jesu Christi. Expediti
Cruciatorum adpellantur propter tesseram militarem, seu
num crucis rubei coloris super scapulam dextram in
sum vestibus, ut habet Paulus Diaconus in Chron. Cassi
si l. IV. c. 11. Denique *belli sacri* epitheton acceper
quod sanctum principium et scopum pro praetextu ha
rint, sacra scilicet loca vindicandi, et Ecclesiam a
Turcarum liberandi; quodque praeterea milites pro st
dio acceperint indulgentiam peccatorum, omnibus a
promissam, qui huic militiae nomina sua dare velint
Urbanus II. in oratione Synodali in Synodo Claromont
quae belli incentatrix fuit, apud Wilhelmum Tyrium c
in haec verba declaravit: *nos autem de misericordia De*
B. Petri et Pauli autoritate confisi, fidelibus Christianis,
contra eos (Turcas) *arma susceperint, et onus sibi hujus*
grinationis adsumserint, injunctas sibi pro suis delictis poe
tias relaxamus.

§. DCXLII. Occasionem et causam praebuit domi
Turcarum in Palaestina, sub quo gravia patiebantur C
tiani, et per quos iter peregrinantium ad loca sacra
tanda claudebatur. Turcae nimirum, qui Palaestinam

tamque fere Asiam minorem et Syriam, Saracenis et Graecis ereptam, tenebant hoc seculo occupatam, aliter sese erga Christianos ac Saraceni gerebant, dum eos varie vexaverint, ab aditu locorum sacrorum arcuerint, et peregrinantibus insidiati sint. Quo de rerum statu questus non tantum est Graecorum Inperator, Alexius Comnenus, Latinorum ope inplorata, sed in primis Patriarcha Hierosolymitanus Symeon per Petrum Eremitam querelas suas et Christianorum ejus loci ad Papam Urbanum detulit: unde expeditionum proxima est repetenda causa. *Sacerdos, Petrus nomine*, inquit Tyrius L. 9., *de regno Francorum, de Episcopatu Ambianensi, qui et re et nomine cognominabatur Eremita*, devotionis ergo cum Hierosolymam venisset, et a Patriarcha Symeone, quod et ipse praesens vidit, intellexisset, quot quantisque malis premerentur Christiani, quamque desperata esset eorum conditio, cum a Graecis, *qui intra paucos annos plus quam dimidium amiserant inperii*, nihil esset auxilii sperandum, valde ea re permotus promisit Patriarchae, si Papae, Regibus et Principibus Occidentis, tantas significare vellet calamitates, se per omnia loca et terras cursurum ad omnes in eorum salutem excitandos. Corroboratus in hoc proposito mox visione est, ut fertur, in Ecclesia Dominicae resurrectionis, qua Christus ipse eum monuit, promisso auxilio divino, ut rem strenue exsequeretur. Petrus, ita animatus et litteris Patriarchae instructus, Romam ad Papam Urbanum tetendit, eique totum hoc negotium exposuit, et facile persuasit, eo etiam facilius, quod Gregorius VII. idem jam in animo habuerit: teste epistola ejus 31. lib. II. ad Henricum.

§. DCXLIII. Proximi itaque autores fuerunt Petrus Eremita, et Urbanus II. Papa, ille quaquaversum currendo, et Principes ac populos suis concionibus concitando, hic per Synodos decernendo, suaque autoritate ac promissis omni ope promovendo: utrumque movit et superstitio et ambitio. Decreta itaque est expeditio duabus in Synodis, a. 1095. habi-

habitis, altera Placentiae in Longobardia, altera Claron tana ad Clarum montem in Gallia; utraque stupendum modum numerosissima. Priori quatuor fere millia Cler rum, et plusquam triginta millia Laicorum interfuer quare in campo aperto celebrari debuit. In poster adfuerunt duodecim Archiepiscopi, octoginta Episcopi, bates nonaginta, et amplius; ut ex decreto Urbani i Synodo, quod P. de Marca in differt. *de Primatu Lu nensi* in lucem produxit, patet. In priore Synodo, Legati Imperatoris Graecorum, auxilium contra Infideles tentes, fuerunt praesentes, animi magis tentati fuit, q res confecta. Sed in posteriore decreta est expeditio, orationem a Papa habitam, et acclamationem, commun votis factam, *Deus vult* etc. Unde Episcopi et reliqui mandato, et promisso, rem in Ecclesiis commendandi, cesserunt. Ut autem animi magis inflammarentur, I omnibus illis militibus sacris pollicitus est indulgentiam, mul pax, seu *treuga*, supra exposita, est stabilita, ita ut, rante hac militia, omnium militum bona, domus et fa liae liberae forent ab omni hostilitate. Quod vero superstitione, et ambitione, tanquam principiis, qu Papa et Eremita fuerant moti, modo dixi, illud ex re haud obscure elucescit. De superstitione satis testat quod loca sacra recuperare, sacrasque peregrinationes eri ac tutas reddere, praetenderint: intra locorum sac rum limites utique se non continuissent, si Christianis oriente succurrere, et Turcarum dominium in Asia des ere in animo habuissent. Ambitio vero, sicut Monacht qui tam illustris expeditionis autor habebatur, facile ag potuit, ita Papam omnino incitavit, cum ejus autoritas imperium per illas expeditiones immensum augere Erat enim sacra expeditio, in qua Papa primas teneret, cut per Legatos tenuit, cruciatos in tutelam suscipiens se omnibus negotiis, quae ad ipsos pertinebant, immisce indulgentiarum copia et pretium valde crescere debi

Pr

Principes denique vires et opes dilapidarent, et potentia Papalis ea ratione pomoeria sua extenderet. Sed avaritia quoque partes suas hic habuit, cum harum expeditionum obtentu immensos corraserint Papae thesauros, ut et Clerus bona, et possessiones eorum, qui ad hoc bellum tendentes bona sua vendebant, acquisiverit, Papa, decimas Clero, hanc ob rem inponendo, pecuniam inde corrosam pro arbitrio inpendere potuerit. Vid. Matthaeus Parisiensis ad a. 1202. in Johanne Angliae Rege. Ceterum de rationibus earum moventibus, nec non justitia vel injustitia, legi meretur Buddeus in *exercitat. histor. jur. natur. et Gentium.*

§. DCXLIV. Statim ac haec decreta emanarunt, incredibilis fuit Principum, Nobilium, et plebis confluxus, et numerosissimi mox ex Gallia, Germania et Italia collecti sunt exercitus ad hanc expeditionem suscipiendam: alios criminum conscientia et indulgentiarum promissum inpulit, alios gloriae studium excitavit, alii per eandem superstitionem, per quam Eremita et Papa, ducti sunt, alios pigritia, alios avaritia, alios rerum et opum suarum dilapidatio, et egestas, exstimulavit. Principes vero et Duces expeditionis sese mox obtulerunt plures, et inter eos viri probatae virtutis, quales fuerunt Godefridus Bullioneus, Dux Lotharingiae inferioris, seu Brabantiae, cum fratribus Balduino et Eustachio, Raymundus Comes Tolosanus, duo Roberti, alter Nordmannus, alter Comes Flandriae, duo Hugones, unus Magnus, frater Philippi I., alter Comes a sancto Paulo, Boamundus Tarenti Princeps, Tancredus ejus ex sorore nepos, Stephanus Carnotensium et Blaesensium Comes, alii. Fuerunt autem Cruciati ad primam expeditionem ad 300 millia, sed mox ad 600 millia creverant. Coepit expeditio a. 1096., qui annus fuit infelicissimus, et nihil peractum est, dein a. 1097. Nicaea est expugnata, et a. 1098. Antiochia, denique a. 1099. Hierosolyma, regnum quoque Hierosolymitanum est conditum, rege creato Bullioneo. Quae paulo distinctius sunt enarranda, per quosdam articulos.

§. DCXLV. *Primus* est Cruciatorum, ex variis populis et terris per diversa itinera, et variis sub Ducibus, adunatorum in Bithynia, usque ad obsessionem Nicaeae, a. 1096 et 1097. Dividi possunt Cruciati, pro nationum et itinerum diversitate, in tres partes: alii enim fuerunt Franci Orientales sub Ducibus Petro Eremita, et Godefrido Bullioneo, qui per Hungariam et Bulgariam tetenderunt, alii Franci Occidentales et Hispani Duce Raymundo per Alpes, Lombardiam et Dalmatiam, vel Sclavoniam, alii denique Itali et Normanni, partem Italiae et Siciliae tenentes, sub Ducibus Hugone Magno, Robertis et Boamundo, per mare, et sic per Graeciam et Macedoniam. Omnes denique per Thraciam Hellespontum seu Bosporum Thraciam trajecerunt in Bithyniam. Cuncti hi exercitus multa sunt in itinere passi ab hostibus et Barbaris non tantum, sed et ipsis Graecis. Alexius enim Comnenus hos exercitus qua arte qua marte infestavit, ipsisque multum adtulit detrimenti, quod partim indoli ejus perfidae, partim, et praecipue, politicis rationibus est acceptum ferendum: metuebat enim, nec sine ratione, ne tot, tantoque numero, exercitus regno suo graves essent non tantum, sed et praetextu belli sacri illud occuparent. Meruerant praeterea Graecorum iram, quod primi cruciatorum exercitus hostiliter fuerint in itinere grassati, ut mox patebit. Factum autem per haec mala est, ut ne dimidia quidem Cruciatorum pars in Asiam adpulerit.

§. DCXLVI. Franci Orientales cum, Duce Bullioneo, ad expeditionem ingente numero essent parati, sese iis cum inmensa hominum, sed promiscuae turbae, copia adjunxit quidem Petrus Eremita, sed, suasu Bullionei, qui eam multitudinem sibi noxiam magis quam utilem fore prudenter praevidit, sese cum suis mox separavit, et praeivit, numerosissimo suo exercitu in duas quoque turmas diviso, quarum unam ipse duxit, alteram tradidit Gualterio, nobili Gallo, viro strenuo, sed opibus cassò, quare Gualterius

sine

sine habere, vel *sine argento*, cognominatus est. Praecessit *Gualterius* cum exercitu suo, Germaniam sine incommodo peragravit usque ad Hungariam, cujus Rex Calomannus liberum ipsis transitum et mercatum concessit, modo nemini faciant injuriam. Quod cum non praestarent, homines maximam partem pessimi, aliqua ab Hungaris passi sunt, sed longe graviora mox a Bulgaris. Cum enim in Bulgaria tanquam latrones grassarentur, in eos inpetum fecerunt Bulgari, maximamque partem deleverunt, vel dissiparunt; adeo etiam ut totus iste exercitus partim gladio, partim fame fuisset absumtus, nisi Princeps Bulgariae, eorum misertus, alimenta et duces itineris dedisset: qua ratione usque CPolin. venerunt. Pejorem adhuc sortem nactus est *Petrus Eremita*, cum sua turma insecutus, quia ejus exercitus, ex 40. virorum millibus constans, atrociora commisit in Hungaria et Bulgaria scelera, partim Eremitae, partim turmae ejus culpa. Etsi enim Rex Hungariae liberum permiserit transitum, modo tranquille agerent, Petrus, contra fidem datam, suis concessit, in vindictam scilicet malorum, quae milites Gualterii passi erant, urbem quandam, in confiniis Hungariae et Bulgariae, hostiliter capere, spoliare et incendere, quatuor millibus Hungarorum occisis. Qua licentia insuper abusi milites spoliationes, incendia et caedes, quaquaversum circumtulerunt. Quibus facinoribus exacerbati Hungari et Bulgari, ingente collecto exercitu, in eos irruerunt, decem millia trucidarunt, reliquos spoliarunt, dissiparunt, ut vix cum superstitibus evaserit Petrus, seseque cum Gualterio conjunxerit haud procul. CPoli.

§. DCXLVII. Sed omnium pessime mulctati sunt duo alii exercitus, priorum exempla et vestigia secuti, Ducibus *Godeschalko*, Presbytero Germano, qui, Eremitam imitatus, quindecim millia Alemannorum et Lotharingorum suis concionibus excitaverat, et Comite *Emicone*, cui ingens hominum copia ex iisdem terris se adsociaverat. Priores, qui nihil non criminis in Hungaria patraverant, ad inter-

aecionem funt omnes fere deleti. **Pofteriores**, praetei ne genus libidines, fceleratiffimos fefe mortalium pi terunt. Primum effuderunt furorem in Judaeos, quotquot Coloniae et Moguntiae inveniebant, partim, lo fexus aut aetatis habito difcrimine, trucidarunt, tim eo redegerunt defperationis, ut fibi invicem intu manus. Dein, urbe aliqua Hungariae obfeffa, omnes perierunt. Panico enim terrore correpti, alii a mil praefidiariis, alii a paganis occifi funt, alii in aquas cipitati, alii alio modo fatum invenerunt.

§. DCXLVIII. Cruciati fub Gualterio et Eremita, pe CPolin conjuncti, initio bene funt ab Alexio exc qui iis etiam recte fuafit, ut ibi, donec reliqui adveni manerent, ne a Turcis opprimerentur. Sed cum nequ agerent, civitatis palatia incenderent, ne ab ipfis Te manus abftinerent, Rex iratus, ut quantocyus trar Bofporum, juffit. Venerunt itaque Nicomediam, a nequitia nihil remittentes, nec amplius concordes. bardi, et Longobardi et Alemanni, Francigenarum f biam ferre non valentes, fe ab illis fepararunt, Duce to Raynaldo, viro nequam, et, occupato caftro aliquo procul Nicaea, omnium rerum abundantia refertiffimo otio et luxui dederunt. Quo in ftatu Solimannus, Su Nicaenus, eos invafit, et delevit omnes. Raynaldo nonnullis ad Sultanum deficiente, et fidem Chriftiana negante, reliqui partim necati, partim in fervitutem i ti funt. Nec meliorem habuerunt fortem Francigenae Gualterio et Eremita, quippe ab eodem Solimanno c lati, occifi et disjecti, ita ut ex infinita fere hominum, iter in initio eft fufceptum, multitudine ne tria qu millia fuperfuerint: quos nudos, omnibufque rebus de tos, Alexius, non fine laetitia fuper malis eorum, re CPoli: Petrus vero Eremita, fuis defertis, aufugerat lin. Qua ratione tota haec expeditio in vanum ceci

§. DCXLIX. Succedat *Godefredus Bullioneus*, longe

or Dux, et meliore instructus exercitu, disciplinae militaris observante, 10. mille equitum, et 70. mille peditum. Per Hungariam, pacto cum Rege inito, et Bulgariam tranquille perrexit, nihil passus, nihil inique agens. Per Thraciam usque CPolin. cum venisset, amice in speciem est ab Alexio exceptus, sed qui, animo mutato, mox incepit infestare exercitum; a quo tamen brevi desistere coactus fuit per Bullioneum, qui hostiliter quoque agere, seseque ab injuriis strenue vindicare instituit. Quando pactum est, quo Graeci omne auxilium Cruciatis promiserunt, hi rursus declararunt, se nihil contra Inperatorem acturos, terras, a Turcis ereptas, ipsi reddituros, et reliquas, quas occuparint, feudi nomine retenturos, juramento fidelitatis praestito Inperatori. Quo pacto sancito, petiit et inpetravit Alexius a Bullioneo, ut in Bithyniam trajiceret, ibique castra poneret, sub praetextu, quod ibi melius sustentari possit, sed vere, quia, cum novi cruciati in itinere essent, tantam hominum multitudinem nolebat unitam prope CPolin. Quo in statu Bullioneus reliquos Duces cum exercitibus exspectavit, qui per varia fata et incommoda tandem advenerunt, omnes Alexii infidelitatem in itinere experti, in primis Hugo Magnus.

§. DCL. *Hugo*, cum in portu Bari, a reliquis Principibus, ipsum comitantibus, qui ibi aliquas moras trahere propter tempestatem, quae mare minus tutum faciebat, volebant, sese cum suis separasset, et Dyrrachium adpulisset, a Duce Graecorum, nihil mali suspicatus, circumventus, captus, et CPolin. abductus, et in captivitate detentus est, sed brevi per Bullioneum liberatus, aut ab Inperatore dimissus. *Boamundus* quoque Graecorum aliquos insultus passus est, sed, se strenue ultus, Inperatorem ad pacem coegit petendam: quando, eodem foedere pacto, cum Bullioneo conjunctus est. Varia in itinere passus *Raymundus*, modo a Sclavis et Turcis, modo ab ipsis Graecis infestatus, cum, omnibus malis feliciter superatis, prope CPolin. venisset,

juramentum fidelitatis, modo memoratum, recusasset
stare Inperatori, inproviso a Graecis oppugnatus est,
se strenue, licet non sine damno, defendit, et statum
clare tuitus est. Qua perfidia exacerbatus reliquos
cipes ad Alexium throno deturbandum incitare coepit
qui eum ab hoc proposito, ne scopo expeditionis cru
exciderent, abstraxerunt, et ad juramentum Inperatori
standum adegerunt, sed promisit tantum, se nihil c
Alexium, ejusque honorem, acturum, si ipse fidem
falleret, fidelitatis juramentum constanter recusavit.
contentus esse debuit Alexius. Hac ratione omnes I
cum suis exercitibus in Asia conjuncti sunt a. 1097. e
ercitum effecerunt 600 millium peditum, et 100 mi
equitum, sub Principe Duce Godefrido Bullioneo; qu
men non fuit supremus Dux vel Inperator, plures
ejusdem fuerunt autoritatis, sed supra reliquos tantum
nuit, tanquam primus inter pares.

§. DCLI. Prima expeditio, qui *secundus* est artic
sese ad Hierosolymam captam extendens, fuit contra
caeam, sedem Solimanni celeberrimam illam et munitiss
urbem: quam post septem mensium obsidionem et c
tissimum cum Solimanno praelium, occuparunt, et A
cesserunt. Dein in duos divisi exercitus, sed qui hau
cul erant dissiti, per septentrionalem, et non, ut olim
ander M., meridionalem, Asiae partem inprudenter a
dum iter fecerunt, quippe periculosum et difficillin
propter montes, locorum asperitatem, et aquae ac ali
torum penuriam: unde fames et pestis ortae sunt,
multos abstulerunt. Quo in itinere ipsis occurrit cur
mensa hominum copia Solimannus, sed, praelio in c
Gorgoriensi cum cruciatis habito, inferior cum ingen
orum clade discessit. Qua victoria reportata Cruciat
Lycaoniam, Cappadociam et Armeniam, multa inte
commoda et pericula, Solimanno eos continuo infest
tetenderunt in Syriam, loca et urbes obvias sine

negotio occupantes. Quando Tancredus Principatum in Cilicia, et Boamundus Edessenum sibi vindicavit, et Cruciati Antiochiam coeperunt oppugnare. Quo tempore exercitus ad 300. millia usque erat inminutus, per urbium expugnationes, praelia, morbos, desertiones, locorum difficultates, et praesidia hic illic collocata. Antiochiam vero non nisi post octo mensium obsidionem, per insidias Boamundi, cui propterea urbs est concessa, expugnarunt, a. 1098. Quando mox ab inmensa hostium multitudine Turcarum, Arabum et Persarum, Duce Corbagath, quos Solimannus in partes suas traxerat, obsessi sunt, et ad extremas redacti angustias, fame quoque terribili inter eos grassante. Quo in statu miraculose narrantur erecti per *lanceam*, qua Christi latus erat perfossum, inventam in Ecclesia S. Petri, revelatione duobus sacrificulis Gallis divinitus facta, nec non per Andream Apostolum ipsis manifestatum. Veritatem lanceae demonstrasse etiam narratur vir, cui revelatum erat de lancea, illaesus cum ea per ignem transiens; ut Bernardus Thesaurarius, cujus supra memini, *de acquisitione terrae sanctae* cap. 45. quoque refert. Qua fabula, nam fraus postea est detecta, animati Cruciati hostes glorioso admodum praelio fuderunt. Ceterum, quae in castris ante Antiochiam gesta sunt, adcurate narrata exstant in epistola Stephani Comitis Carnotensis et Blaesensis ad uxorem Adelam, in Spicilegio Dacheriano. Vid. quoque litterae Boamundi et aliorum ad Urbanum II. in Miscellan. Baluzii tom. I.

§. DCLII. Venerunt tandem, obviis urbibus occupatis, multa inter incommoda et pericula per hostes non tantum, sed et mutuas dissensiones, ex ambitione ortas, Hierosolymam a. 1099. quam eo tempore tenuerunt Saraceni, Turcis, occasione progressus Cruciatorum, ereptam a Sultano Aegyptio. Cruciatorum licet numerus esset exiguus, cum vix 20. mille pedites et 1500. equites essent, Hierosolymam nihilominus, ingente hostium numero defensam,

brevi tempore incredibili virtute in potestatem redeg
omnibus hostibus trucidatis, a. 1099. Quando, vo
facti compotes, Regnum fundarunt Hierosolymitanum,
que communibus votis, cum corona aurea et titulo
obtulerunt Bullioneo, qui tamen nec titulum nec co
admisit, quia Christus spineam eo in loco gestaverat
nam. Firmatum denique est Regnum per insignem
victoriam, de Sultano Aegyptio, qui cum 400. hoi
millibus advenerat, ut Hierosolymam liberaret, repo
apud Ascalonem. Est enim numerosissimus iste ex
ab exigua cruciatorum manu cum ingente clade profl
hostibus panico correptis pavore, quod cruciatorum
citum prae errore majorem putaverint, quam era
ut pugna fere in hostium trepida fuga constiterit, e
cidatione per Cruciatos. Quibus peractis, patrias
repetierunt usque ad 20. millia, relicto ubi Godo
Rege cum Tancredo et duobus peditum millibus ac
equitibus: sed ad quos brevi accesserunt novi milite
Italia missi a Pisano Archiepiscopo, et Legato Pas
II. Papae. Nec tamen regnum diu tenuit Bullio
quippe a. 1100., qui primus erat regni, defunctus,
tantum natus quadraginta, cui successit frater *Bald*
De quo ad seculum sequens.

§ DCLIII. Ceterum complexum est hoc regnum,
annos fere 88. duravit usque ad captam a Saladino
rosolymam a. 1187. 1 Principatum Edessae in Mesopo
ad Seleuciam usque versus ortum, et Taurum montem
sus septentrionem: quem tenuit Balduinus, a. 1097. 2.
cipatum Antiochenum usque ad Ciliciam ab una part
Maracleam maritimam ab altera: quem obtinuit Boam
Tarenti Princeps a. 1098. 3. Comitatum Tripolit
Phoeniciae maritimae usque ad fluvium Adonem, qui
cessit Raymundo, Tolosano Comiti, 4. denique ipsum
num Hierosolymitanum, reliqua Phoeniciae maritimae
lilaeae, Samariae, Judaeae ad fines usque Idumaea

Ae

Aegypti comprehendens, Arabum vero vicinis regulis tributariis.

§. DCLIV. Historia Ecclesiae hucusque perducta, cum *periodus* characteristica status *Ecclesiae* externi et interni, ut et *civitatis*, ab initio seculi IV. finiatur, ex mea opinione, circa finem seculi XI., quae *tertia* est periodus, ejus notitiam ex *Methodo* nostra Prophetica subjungere, non abs re fuit visum, instar adpendicis.

PERIODUS TERTIA.

A CONSTANTINO M. AD FINEM. FERE SECULI XI.

§. DCLV. Quod ad Tractationem *Historicam* adtinet, Character Periodi est cognoscendus. Ad Historiam *Ecclesiae* per omnia haec Secula animum advertenti, et varios casus revolventi, nihil magis, nihil prius, nihil illustrius, se offert praeter continuas lites seu Doctrinae, seu Cultus, seu Regiminis causa, per totam Ecclesiam habitas, indeque ortas multiplices definitiones publicas in Synodis, donec quaestiones sint sopitae, et Ecclesiae in varias scissae partes, quae totidem diversas constituunt Societates. Percurramus omnia ista secula, et nullo negotio videbimus, Historiam Ecclesiae in ea re praecipue versari.

Seculo IV excitatae sunt acerrimae lites cum Arianis, Semi-Arianis et Photinianis, de vera Christi Divinitate; cum Apollinaristis de modo Unionis duarum naturarum in Christo, cum Priscillianistis Manichaeismi renovati accusatis, Messalianitis, antiquis illis Pietistis, seu Mysticis; denique cum Donatistis de verae Ecclesiae notis, de Jurisdictionis limitibus inter Patriarchas, Metropolitas et Episcopos: ne alias specialiores lites memorem. Sed quot non Synodi? quot Fidei formulae? quot definitiones hinc non sunt ortae?

Seculo V. praeterquam quod eaedem lites continuarunt, nonnullae non minore vehementia reſuſcitatae ſunt, ut cum Vandalis, Gothis, Arianis, et Donatiſtis; novae quoque ortae ſunt adhuc graviores, et cum effectis magis noxus, ut cum Neſtorianis et Eutychianis de modo Unionis naturarum in Chriſto; cum Pelagianis, et Semipelagianis de Gratia ſanctificante et Capitibus annexis; denique inter Orientales et Occidentales cauſa Henotici Zenonis: unde Schiſma natum duravit 35 annos.

§. DCLVI. Seculo VI ſicut lites cum Neſtorianis et Eutychianis continuarunt; ita novae ſunt ortae de III Capitulis, et cum Aphtardocetis, Agnoëtis, Jacobitis; denique de una ex Trinitate paſſa; et quae ſunt ſimiles.

Seculo VII. acerbiſſimae contentiones ortae cum Monothelitis, tanquam Eutychianis, et perſeverarunt cum Neſtorianis et Monophyſitis.

Seculum VIII. famoſum maxime per lites de *Cultu Imaginum*, et cum Adoptianis, qui Neſtorianiſmum cenſeban tur renovare; ne alios memorem.

Seculo IX eaedem contentiones perſeverarunt; coeperunt quoque novae de Sp. S. proceſſione ex Patre ſolo, an Patre filioque? inter Graecos et Latinos; de Praedeſtinatione cum Godſchalco; de Tranſubſtantiatione a Paſchaſio Ratberto ſuſcitatae; de limitibus Juriſdictionis, ut inter Papam et Patriarchas Conſtantinopolitanos, et inter Papas ac Reges vel Inperatores.

Seculum X ob corruptionem et deſidiam nihil ſuppeditat peculiare.

Sed Seculo XI renovatae lites de proceſſione Sp. S. et cum Manichaeis, ſaltem ut habebantur; ac cum Berengarianis de Tranſubſtantiatione.

Poſt hoc tempus ceſſarunt lites, et, omnibus Capitibus definitis, jam in eo eſſe coeperunt, ut definitiones illas violenta manu defenderent contra qualeſcunque: quando Tyrannis in ſolio collocata eſt, et nova incepit Periodus.

§. DCLVII.

§. DCLVII. In hoc casu, cujus generales duxi lineas, accuratiorem dedi notitiam in Hist. Eccles. per omnia Secula, Characterem dominantem per omnia ista Secula fuisse situm, facile demonstratur. (1) Quod Casus fuit continuus toto hoc tempore conspicuus; licet Sec. X. et XI minore gradu, Periodo quippe ad finem vergente. (2) Quod Casus fuit maxime illustris, in omnium mox oculos incurrens, qui maximos dedit motus. (3) Quia casus fuit universalis per totam Ecclesiam, licet nunc per hanc, nunc per illam Ecclesiae partem magis conspicuus, (4) casus est, qui eo majorem meretur attentionem, quod Ecclesiam in varias partes, varias Societates, quae dein substiterunt, diviserit: ortae hinc sunt Ecclesiae Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Orientalium, Occidentalium, et quae sunt aliae. (5) Accedit, quod hic casus stabilem in Ecclesia confessionem Veritatis, formulis in Synodis Universalibus cusis adstrictam, pepererit; ut Nicena, Constantinopolitana I., Ephesina, Chalcedonensi, Constantinopolitana II., Illtia contra Monothelitas, Nicena II. pro Cultu Imaginum. (6) Si cum aliis comparetur hic casus, supra omnes alios longe eminere deprehendetur per omnia illa Secula: quod nunc in clariore luce collocandum est.

§. DCLVIII. Pergo ergo ad alios casus illustres hujus Periodi: praeter hunc enim characteristicum alii quoque in hanc Periodum incidunt notabiles, maxime respectu Partium accidentalium Ecclesiae. Licet enim Cultus Ecclesiae publicus varia superstitione hac Periodo sit commaculatus, ejus tamen non tam hic, quam in Morali Ecclesiae conditione ratio habenda est; de quo mox agam: Regimen vero Ecclesiae, quod quoque partem essentialem constituit, non tam eo nomine locum inter casus hujus Periodi notabiles meretur, quod Metropolitani et Patriarchae hoc praecipue tempore vel orti sint, vel invaluerint, quam quod majorem sibi vindicaverint autoritatem, in Fidei Capitibus definiendis, Ritibus praescribendis, et Discipina

plina exercenda, quam Libertati Christianae et indoli Religionis Evangelicae convenit: in specie, quod Papae dominium aliquod universale, cujus fundamenta hac Periodo sunt jacta, in totam Ecclesiam sibi arrogaverint: quae in Hist. Eccl. narravi, hic non repetenda. Multa vero obstant, quo minus hoc in casu constituatur Periodi Character.

A. Episcopatus semper in Ecclesia fuit, et similem aliquam potestatem sibi arrogarunt Episcopi; hoc tantum tempore major coepit introduci Episcoporum subordinatio per Metropolitanos et Patriarchas, et potestate magis abusi sunt. Sed post haec tempora haec autoritas semper viguit et magis eluxit. Si vero Episcopatus Ecclesiam nequeat characterizare, ergo nec ejus subordinatio, nisi in manifestam vertat Tyrannidem, ut post hanc Periodum.

B. Autoritas Episcopalis se toto hoc tempore praecipue exeruit in Canonibus de Fide et Ritibus Ecclesiae condendis, et litibus circa ea vel finiendis vel fovendis, et Ecclesia in partes varias dilaceranda, adeoque non in Regimine ejusque abusu, sed in Litibus, circa quas Regimen fuit versatum, ponendus est Periodi Character.

C. Papae hoc tempore non exercuerunt supremum, multo minus Tyrannicum, dominatum, sed eum tantum consequi conati sunt, et omni ope annisi: quod ipsis non nisi a Sec. XI. successit, adeoque Tyrannis non abhinc, sed ab illo tempore coepit Ecclesiae characterem constituere. Verum quidem est, Protestantes passim initia Antichristianismi repetere a Sec. VII. cum in Bonifacium VI titulus Universalis Episcopi esset collatus a Phoca Imperatore: sed erronee, ut demonstravi in Vita Bonifacii: nec hic titulus aliquem Antichristianum facit, nec soli Romani gesserunt: de quo in oratione citatae methodo subnexa plura dixi.

§. DCLIX. Pergo ad Partes accidentales Ecclesiae: nihil magis memorabile hic occurrit, quam incrementum et decrementum Ecclesiae. Licet Persecutiones aliquae Sec. IV

et

et V adhuc obtinuerint, ut Romana sub Licinio et Juliano Sec. IV. Gothica et Vandalica Sec. V. et Persica; illae tamen hic in censum non veniunt, tum quod vel parvi momenti fuerint et breves, vel in aliqua tantum parte grassatae, ut Vandalica in Africa, Persica in Persia: tum quod nec per totum hoc tempus continuarint, nec prae omnibus aliis casibus eminuerint. Sed incrementum et decrementum Ecclesiae non ultimum locum habet inter illustres Casus hujus Periodi. Ad incrementum pertinet (1), quod Christiana Religio facta sit in Imperio Romano a temporibus Constantini M. dominans, eaque ratione creverit, ut post Sec. unum sola fere obtinuerit. (2) Eodem Seculo fundamenta sunt jacta Christianismi inter Habessynos, Iberos, Armenios et Gothos: Sec. V. inter Scotos, Burgundiones et Francos; Sec. VI. inter Anglo-Saxones; Sec. VII et VIII. per totam fere Germaniam, ut inter Frisios, Francones, Bojoarios, Saxones etc. Sec. IX inter Danos et Suecos, et Gentes Schlavonicas, Bohemos et Bulgaros: Sec. X inter Normannos, Polonos, Moschos et Hungaros. Haec licet demonstrent, Propagationem Ecclesiae praecipuis casibus Periodi annumerandam esse; duae tamen rationes impediunt, quo minus, characteristicum casum in ea situm esse, statuatur.

A. Quod politica magis fuit earum Gentium conversio quam Euangelica, sive conjugiis, sive metu, aliisque politicis rationibus effecta: imo violenta saepe magis quam libera, Regum magis voluntate, quam persuasionibus Populi; ut singularum Conversionum Historia facile evincit. Praeterea Superstitio aeque ac Religio Christiana ad illas Gentes transiit. Fuerunt ergo hae conversiones ab illis primorum Seculorum longe diversae.

B. Quod si cum hoc Ecclesiae incremento comparetur ejus decrementum hac Periodo, per Barbarorum invasiones in Romanum Imperium Christianum, per Saracenos, Africam, AEgyptum, Syriam, aliasque Asiae partes occupantes

et Christianismum ibi fere exstinguentes; incrementum non tantum minus notabile reddetur, sed ne magni quidem momenti videbitur. E quibus satis elucescit, in hoc casu Characterem Periodi collocari non posse. Ne dicam, casum nostrum esse longe illustriorem.

§. DCLX. Nunc de Charactere Ecclesiae *internae*, seu Status Ecclesiae Moralis, respectu Cultus et Morum, dicendum erit. Character Ecclesiae hujus Periodi respectu Religionis et Virtutis aliquam subiit mutationem. Unde duplex oritur Character. Alter est verum et ardens Religionis studium, sed vergens ad Superstitionem et Corruptionem: Alter est externae Religionis et devotionis solum Species, quae totalem corruptionem involvit. *Prior* duravit ad Sec. IX. quando posterior coepit esse conspicuus. In *priore* Statu Ecclesiae verum Pietatis studium dominabatur supra superstitionem et luxum; sed ferebat tamen eam, donec tota Ecclesiae facies intus fuerit corrupta; quando *superstitio et* corruptio dominari coeperunt sub larva devotionis externae, paucis piis superstitibus: quod non est factum, nisi post aliquem conatum Sec. VIII. Ecclesiam in melius mutandi et reformandi. Illustremus haec paucis ex Hist. Eccl. Sec. IV et V. viguit in Ecclesia ardens Religionis studium ac Pietatis: fuere multi, qui in ea promovenda, defendenda et exercenda, magnam posuerunt operam, una cum tolerantia et constantia. Exempli sunt, partim in illustribus Doctoribus, Athanasio, Eusebio, Basilio M., duobus Gregoriis, Nazianz. et Nysseno, Epiphanio, Chrysostomo, Macariis duobus, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Theodoreto, Cyrillo, aliisque magno numero; partim in *Monachis*, qui bona in usum pauperum erogarunt, aut se severiori pietati sincere dederunt. Ostenderunt hoc fervens Religionis studium, *1mo* in Doctrina illustranda, Erroribus refutandis, et Haereticis expellendis; *2do* in externis Religionis officiis dextre obeundis; *3tio* in quibusvis malis fidei causa subeundis; *4to* in duriore abstinentia et abnegatione

tione exercenda; ut Ascetae et Monachi fecerunt. Dein Sec. VI et VII. licet hujus quoque studii dederint indicia, fuerunt tamen hac parte remissiores; donec Sec. VIII et IX. novum aliquem vigorem censeantur resumsisse, sive in studiis collapsis restituendis, ut fecerunt Beda, Alcuinus, aliique multi in Occidente, Carolo M. rem promovente; et in Oriente Johannes Damascenus Sec. VIII. Bardes sub Michaele, et Photius Sec. IX., in Anglia Alfredus Rex; sive Euangelio per Anglo Saxones, Germanos ac Populos Septentrionales, propagando incubuerint: sive in superstitioso imaginum Cultu eliminando in Oriente et Occidente toti fuerint: sive tandem Ecclesiae reformandae sub Carolo operam dederint. Quae omnia suppono nota ex Hist Eccl. Sed, licet hoc studium Religionis viguerit in Ecclesia, illud tamen a puritate et simplicitate Christiana multum afuit, et fundamenta sunt jacta multiplicis superstitionis, et corruptionis vitae ac morum. (1) Cultus Sanctorum, Reliquiarum, Crucis ac Imaginum, sensim magis crevit; nota quoque Haereseos iis est inusta, qui Ecclesiam ab ea superstitione purgare voluerunt, ut in Joviniano Sec. IV. et Vigilantio Sec. V. (2) Ambitio, odium, luxus et libidines, per lites, opum abundantiam, externum splendorem, aliaque media, acquisiverunt vires. (3) Doctrinae quaedam ad dominum supremum in Ecclesia, et corruptionem morum, tendentes introductae sunt: ad quas refero, 1*mo* Throni Papalis fundationem super verbis Christi *tu es petra*, quod primus fecit Leo M. Sec. V. ejusque elevationem per possessiones terrenas, aliaque privilegia concessa a Pipino et Carolo M.; quae prima fuerunt fundamenta supremi principatus Sedis Romanae. 2*do* Conjugiorum Clericis ineundorum interdictiones: quae cum tempore multiplicem libidinem inter eos pepererunt. Cujus initia sunt repetenda a Siricio Papa Sec IV. 3*tio* Purgatorii opinionem invectam a Gregorio M. Sec. VI. Unde multiplex securitas carnalis nata est, et variorum vitiorum lerna. 4*to* Rituum

Ecclefiae externorum nimiam virtutem ad falutem cre
quae verae pietati et virtuti incidit nervos. Exper
eft Eccl.fia Sec. IX triftiffima harum doctrinarum
quum tota corrupta fuerit, et praeter externam de
speciem parum fani, et folidae pietatis, fuerit in Ecc
perftes. Cultus Religiofus erat totus fere fuperftitio
Reliquiarum, Sanctorum et Imaginum cultu fitus; ig
tia et tenebrae Ecclefiam obfcurarunt; vitia luxus
dinis, initio facto ab Aula Pontificia, graffata funt p
clefiam; Papae praecipue fuerunt fceleftiffimi, duabu
tis, Theodora et Marozia, pro libitu dominantib
ut, fi a Coenobiis difcedas, vix aliquid bonae frugi
bi inveniretur: pii latitabant et gemebant, done
XII publice infurrexerint in Ecclefiam corruptam.
omnia nota funt ex Hift. Eccl., adeoque hic tetigi
ficit. Regnare incepit ergo hoc tempore homo
2 Theff. II. et Ecclefiae facies tota corrupta: quar
odum novam characterizare recte ftatuitur.

§. DCLXI. Supereft, ut de cafibus *Politicis* illuftri
in haec Secula incidentibus, agam. Inter illos,
Civitatem et Societatem Politicam Imperii Rom. per
nullus eft, qui tota hac Periodo magis in oculos in
quam invafiones Gentium Barbararum, et vaftationes
ubique terrarum factae. Unde orta eft Orbis diftra
varia Regna, quae aliquamdiu durarunt, alia longi
brevius. Dabo hujus rei generalem aliquam notiti
Barbaros illos ordine recenfebo.

Fuere I. Vandali et Alani, qui Regnum funda
Hifpania, et praecipue Africa; occuparunt Afri
420. et per amplius 100 annos tenuerunt, donec
us fub Juftiniano, iis fubactis, Africam recepit. In
et Hifpania jam ab initio Sec. V. aliquod tenuerun
nium.

II. Suevi, qui Regnum aliquod in Hifpania obtin
primo cum Vandalis; dein, his in Africam trans

soli in Gallaecia et Lusitania, quod duravit ab a. 409. ad a. 585. per ann. 177. quando destructum est a Leovigildo Rege Visigothorum, ejusque Regno accessit.

III. Visigothi, qui duce Alarico, ab a. 395. per Macedoniam et Thessaliam progressi venerunt in Italiam a. 400. ubi ingentes fecerunt vastationes; ipsam Romam ceperunt et varie vastarunt a. 409. Sub Athaulfo venerunt in Galliam, et Regnum fundarunt in Aquitania, Tholosae sede fixa, ab a. 412. Postea Hispaniam invasit Theodoricus, et partem Gallaeciae eripuit Suevis a. 456. Sed sub Alarico ingenti clade affecti sunt a Clodoveo Francorum Rege, et Aquitania ac Gallia pulsi a. 506. Quando tandem sub Leovigildo, Suevorum Regno in Hispania destructo, subjecerunt Hispaniam a. 585. donec sub Roderico Rege illud Regnum ibi destructum est a Saracenis a. 711. ita tamen ut species Regni manserit in ulteriore Hispania, scil. Legione, Asturia, et Castella; ubi Pelagius Regnum condidit a. 712. Ex cujus ruderibus solidum aliquod Regnum fundatum est, et longe dilatatum sub 3tio Rege post Pelagium, Aldefonso M., Saracenis ex tota Gallaecia expulsis a. 753. Quo Seculo quoque conditum est Regnum Navarrae, ex Principatu, quem Garcias condiderat a. 734. in Regnum mutato sub Inigo ejus filio a. 758.

§. DCLXII. IV. Alani, Gothica Gens, Ducibus Respendiale et Goare fratribus, cum ad Rhenum pervenissent, partim se Vandalis junxere sub Respendiale, partim Romanis sub Goare. Hi sedes prope Rhenum acceperunt ab Honorio a. 412. et rura Valentia dein sub Sambida, qui Goari successit, ab Aëtio a. 440. Sub Sangibano, Sambidae successore, invasit eos Attila; sed qui in Campis Catalaunicis a. 451. ab Aëtio atque Theodorico fusus est. Sangibanus autem Aurelianensem Civitatem quoque tenuit nomine Romanorum. Tandem Alanorum principatus, inter Rhodanum et Ligerin situs, finem accepit a. 464. cum Rex eorum

esset Beongor. Duravit ergo ab a. 412. ad a. 464. per ann. 52.

V. Burgundiones, Gens Vandalica, qui a. 407. cum reliquis Barbaris excitati irruperunt sub Gundicaro in Galliam, et sedes acceperunt prope Rhenum in Gallia Belgica ao. 412. Dein ingentibus cladibus affecti sunt, imo ab Aëtio, dein ab Hunnis, circa a. 435. Quinque annos post, accepta Sabaudia, surrexerunt de novo, et Regnum dilatarunt, donec victi sint a Clotario et Childeberto Regibus Francorum a. 526. cum Regnum eorum est destructum.

§. DCLXIII. VI. Franci, ex aliquot Germaniae populis, inter quos eminebant Salii et Ripuarii, constantes; qui, Romanum jugum excutientes, Regiones cis et trans Rhenum tenuerunt sub Pharamundo primo Rege, qui in Annalibus memoratur, ab a. 418. Pomoeria extenderunt sub Clodio 2do Rege, et Childerico 4to Rege; maxime autem sub Clodoveo, sede Regni Parisiis stabilita. Quod ipsum Regnum Francorum fuit per omnia Secula huc usque satis celebre.

VII. Transeo ad Brittannos. Cum illi in initio Seculi V. a Romanis descivissent, et aliquamdiu sub Regibus propriis fuissent, quorum primi fuerunt tres Tyranni, Marcus, Gratianus et Constantinus, sub Vortigerno a Pictis et Scotis infestati auxilium petierunt ab Anglis, qui incolebant Ducatum Slesvicensem, et a Saxonibus, qui Regiones vicinas Oceano prope Albim inhabitabant. Quando Anglo-Saxones a. 449. venerunt in Brittanniam Ducibus Hengisto et Horso, et ipsam Brittanniam ab a. 453. aggressi sunt sibi subjicere: a quo tempore varia ibi condita sunt Regna, et bellum inter duas illas Gentes duravit ad a. usque 688.

§. DCLXIV. VIII. Italiam Romanis eripuit Odoacer Herulorum Rex, cum ultimus Romanorum Rex esset Augustulus, ab a. 476. Tenuit ille ad a. 493. per ann. 17. quando victus, et Regno Italiae exutus est a Theodorico Ostrogothorum Rege; et sic hoc Regnum Ostrogothorum fundatum est in Italia, quod stetit fere ann. 69. cum a Justini-

ani Ducibus, *1mum* Belisario, dein Narsete, sunt victi bello 18 annorum, quod incepit sub Theodado *3tio* Rege, continuatum sub Vitige et Totila, finitum sub Theja, a. 552. quo in bello Roma saepe capta est, et multum fame et peste passa. Sed brevi venit Italia in potestatem Longobardorum, qui sunt Gothi e Scandinavia, tum residentes in Pannonia: hi sub rege Alboino evocati a Narsete a. 568. Italiam sibi coeperunt subjicere, Romanis solo Exarchatu Ravennatensi relicto: tenuere per ann. 206. quando sub ultimo Rege Desiderio victi et subjugati sunt a Carolo M. a. 774.

IX. Hunni ex Pannonia, qui, quo tempore Gothi sub Alarico invaserunt Graeciam, Orientem vastarunt a. 395, dein Gallias saepe afflixerunt ab a. 383. usque ad a. 451. maxime sub Attila, qui se flagellum Dei dixit, et vastationes multivarias per Thraciam, Galliam, Graeciam et Italiam, Roma quoque capta, circumtulerunt; mortuus est a. 453. cum brevi concidit Hunnorum Regnum, Gepidis et Gothis eorum terras occupantibus, donec a. 526. quo tempore Longobardi invadebant Pannoniam, Avares, Hunnorum pars, qui Longobardis auxilio fuerant, acceperunt sedes in Pannonia, in praemium auxilii: ubi brevi facti sunt potentissimi sub Regibus, quos Chaganos vocabant, qui Romanos sub Mauritio, Phoca et Heraclio, multum afflixerunt. Unde tandem natum Regnum Hungarorum, qui nomen censentur accepisse ab *Avaribus* aliisque Hunnis, q. d. Hun-Avari, unde Hungari.

§. DCLXV. X. Saraceni, cum a Sec. VI. in initio varias fecissent irruptiones in totum Orientem, ita ut Procopius dicat, Romanos nunquam molestiorem hostem habuisse, tandem Sec. VII. exorto Muhammede, et in Muhammedanos conversi, longe lateque imperium extenderunt; ita ut Sec. VII. jam Syriam, AEgyptum, Africam, Cretam, partem Siciliae et totum Regnum Persicum subjecerint; Constantinopoli quoque aliquandiu obsessa: dein Sec. VIII.

Hispaniam fere totam occuparunt, in ipsam Galliam penetrarunt; sed profligati sunt ab Eudone, Carolo Martello, et Carolo M. Tandem in Thraciam et alias Regiones Orientis fecerunt irruptiones, et intulerunt vastationes. Sec. IX. praeter varia bella in Gallia, Hispania, et cum Orientalibus, penetrarunt in ipsam Italiam, et per Insulas Graeciae vagati sunt.

XI. Seculo IX. dein alii adhuc orti sunt Populi, qui per Angliam, Galliam, aliasque Regiones ingentes dederunt strages, qui nomine Normannorum noti sunt, et ab utraque Codani, seu Baltici sinus, ora surrexerunt jam Sec. VII, et per totum fere Seculum IX. Angliam, Galliam et Italiam varie vastarunt: donec a. 912. Rollo eorum Dux baptizatus est, et Normannia ipsis concessa; quando progressu temporis rapinas et vastationes omiserunt.

Eodem vero Sec. X. Hungari varias susceperunt Expeditiones, in Italiam, Bojoariam, Alemanniam, Thraciam Orientalem, et Regnum Orientale, immensas inducentes vastationes; donec a. 958. ferociam deponere et Religionem Christianam assumere coeperint.

XII. Denique Sec. XI. Turcae vel Turcomanni, ortu Schytae vel Sarmatae, Caucasum transgressi, irruperunt in Syriam, Persiam, Arabiam et Phoeniciam; Saracenis victis terras eorum subjecerunt: dein universam fere Asiam inferiorem occuparunt, sede fixa Iconii et Niceae.

§. DCLXVI. Praeter has invasiones plura alia tremenda Dei Judicia fuerunt conspicua hac Periodo: de terribilibus omne genus judiciis plane singularibus sub Arcadio et Honorio per totum orbem vid. Philostorgius H. E. l. XI. c. 7. ut Famis, Pestis, et terribilium Terrae motuum Constantinopoli sub Theodosio II. a. 447. Sic et ingens terrae motus fuit Antiochiae et alibi, a. 457. sub Leone I., et Constantinopoli, iterum sub Zenone, a. 477. Seculo VI. Antiochiae sub Justino Thrace: quando et alia orbis fata fuerunt misera. Vid. Evagr. L. IV. C. 8. Sub Justiniano

tiniano a. 528. ut id. habet Cap, 35. Pestis quoque eodem Sec. VI. grassata est terribiliter per Orbem Romanum; quae per ann. LII. duravit: ut id. tradit ib. Hist. Cap. 29. Ne jam memorem, quod antea memoravi; eodem Seculo, durante bello inter Ostrogothos et Justinianum, Romam saepe esse misere afflictam fame et peste.

§. DCLXVII. Sequitur Prophetica tractatio: ubi primum locum tenet Apocal.; et in ea Liber *Sigillorum*: cujus III Sigillum cum ad nostram Periodum pertineat, videamus, quid contineat. Repraesentatur equus *niger*, et Sessor ejus bilancem tenens manu, qui de tritico, hordeo, oleo et vino pro jure et autoritate disponit; triticum et hordeum certo pretio vendens; et eos, qui oleum et vinum censebantur corrumpere, severe castigans. Licet enim vox e medio animantium prolata dixerit, *choenix tritici pro denario* etc. tamen facta Equitis iis verbis describi, clarum est vel ex ipsa statera, quam manu gestabat. Vox ergo illa e medio animantium prolata nihil aliud significat, ac tale quid ab Equite, Deo permittente, proferendum esse et agendum. Praeterea cum de oleo et vino tantum dicatur; *ne laeseris*, id ad triticum et hordeum quoque est extendendum; quemadmodum quod de tritici et hordei venditione habetur, referendum quoque ad oleum et vinum; licet pretium non definiatur. Stylus S. S. fert, membra, ad se referenda et secum conjungenda, saepe elegantiae causa disjungi. Ergo plena esset oratio: *triticum, hordeum, oleum et vinum nemo pro libitu sumat sibique vindicet; sed ad certam mensuram pro justo aliquo pretio sumat a me; choenicem e. gr. tritici pro denario* etc. Sic in *oleo* et *vino* quoque, quorum mensura et pretium brevitatis ergo non additur.

§. DCLXVIII. Emblema, sic intellectum, huc redit, A Statum populi respectu annonae fore calamitosum et afflictum: niger enim color expingere solet tristem et calamitosam conditionem. Cum autem mox de annona aga-

 tur,

tur, ejus praecipue respectu hoc est intelligendum, licet ulterius queat extendi.

B. Tristem eum Statum quoad annonam in eo fore situm, quod alimenta non essent promiscui usus, sed eorum aliquod erigeretur Monopolium, in cujus potestate forent omnia illa vitae subsidia, seu ad vitae sustentationem, seu ad ejus hilaritatem et splendorem; quod per *triticum* etc. significari, facile intelligitur.

C. Erigendum esse aliquod Tribunal, ut e *bilance* in manu equitis patet; penes quod esset mensuram definire, et pretium statuere, et curare, ne perdatur annona.

D. Occasionem Tribunalis publice erigendi praebiturum esse, quod manus undiquaque inferrentur in annonam, unoquoque sibi sumente eam rapiendi potestatem, adeoque metum esse, ne omnis periret annona, et dira fames ingrueret. Quod tum ex ipso Emblemate, tum e verbis, *ne laeseris*, elucet.

E. Media, quae ad annonam conservandam, ejusque usum concedendum, adhiberentur, fore tolerabiliora; tum quod denario venderetur choenix tritici, i. e. quantum alicui pro uno die sufficit, quia choenix unius diei laboris pretio quoque acquiri potest, ut a Doctis est observatum; tum quod laesio increpationibus et castigationibus passim praecaveretur.

§. DCLXIX. Haec sunt, quae Emblemate continentur; quod in genere recte demonstravit Cl. Vitringa, qui etiam evicit, non de corporali, sed spirituali annona, seu doctrina fidei et morum, capiendum esse: quare hac disputatione supersedeo, tantum spiritualis intellectus lineas ex mea ducam hypothesi.

A. Annona expingit Bona in externa Ecclesiae communione acquirenda, majoris minorisve pretii, magis minusve necessaria, seu ad vitam acquirendam et sustentandam, seu ad exhilarandam et celebriorem reddendam.

B. Haec Bona forent qui potestati suae subjicerent, eoque

que sibi Tribunal aliquod erigerent Ecclesiasticum, cujus foret, ea dispensare, et modum definire, quo ad usum eorum, seu communionem Ecclesiae, admitterentur: quod Tribunal quoque curaret, ne annona illa spiritualis laederetur.

C. Modum eum in eo situm fore, quod ad certam mensuram et pro certo pretio venderetur, prout in Tribunali Synodali fuerit definitum: quod elegans Emblema est definitionum Synodicarum de credendis vel faciendis, tanquam conditionibus, quibus homines admitterentur ad communionem Ecclesiae et Bonorum spiritualium.

D. Increpatio, *ne laeseris*, pertinet ad Excommunicationem, aliasque castigationes, quibus absterrentur homines ab illis definitionibus laedendis.

§. DCLXX. Haec si admittatur Hypothesis, difficile non erit, Characterem Periodi, ad quam hoc Sigillum referendum, hinc eruere: omnia enim in definitiones credendorum et faciendorum, tanquam unicam conditionem communionis Ecclesiae, ejusque Bonorum, a Synodis et Doctoribus publicis, tanquam Judicibus et Dominis fidei, faciendas exeunt. Quibuscum connexae sunt increpationes eorum, qui Canonibus Ecclesiasticis assurgere nolunt. Periodus ergo describitur, in qua per totam Ecclesiam nil magis ageretur, quam Fidem et Cultum Ecclesiae determinare, Canones condere, eorumque confessionem et observantiam severe exigere, nec sine ea aliquem admittere ad communionem Ecclesiae, Bona Ecclesiae sub ea tantum conditione dispensare, dissentientes severe increpare, excommunicare, et castigare; tamen sine Persecutionibus ad mortem. Haec quam accurate conveniant in Characterem Ecclesiae a. Sec. IV ad XI. e supra dictis, et ipsa historia, manifestum est. Quare plura non addo, nisi tantum, Equitem hunc collective sumendum esse, et plures tales repraesentare, qui Monopolium Veritatis erigerent, et suae Ecclesiae communionem ea ratione venderent: praeterea, fore

lites et dissensiones multas, cum quisquē increpar
qui censerentur laedere velle annonam, aut confes
et Canonibus suis nocere. Quae lites et ex eo e
quod occasionem vendendi annonam praebuerint pr
impetus in eam; unde metus caritatis ejus.

§. DCLXXI. Veniamus nunc ad *Epist.* IV Apo
Ecclesiam Thyatirae, Cap. II: 18 *seqq.* et videamus
Characterem Ecclesiae respectu Morum et Cultus di
ex ea Periodum Ecclesiae eorum respectu eruamus.
occurrunt in ea, quae huic scopo nostro inserviunt.

A. Quod laudentur in ea Ecclesia opera nonnu
Charitatis i. e. studii Religionis, ut ex *Ima* Epistol
et *ministerii*, sc. in egenis sublevandis; et *Patientiae*
in re Religionis urgenda, tum in laboribus subeun
posteriora opera dicuntur praecedentibus esse major

B. Quod Jezabelem sineret haec Ecclesia docere,
dentes seducere ad scortationem et Idolothyta; i. e.
stitionem et luxum haec Ecclesia sineret vires acq
et variis modis opem ferret, vel causam praeberet
casionem vitiis illis propagandis.

C. Quod, cum aliquo tempore in eo opere sine s
sipiscentiae fuisset Jezabel, Deus illam, et cum illa
siam, varie castigaverit, faceret id adhuc in po
Vid. Cl. Vitringa.

§. DCLXXII. Haec si attendantur, sponte duci
Periodum Ecclesiae, quae a Sec. IV. se extendit ad
quam haec quadrant.

A. Viguerunt tum passim opera illa laudabilia, et
aliquam Eclipsin passa esset Ecclesia Sec. VI et VII
ille resumtus est Sec. VIII et IX in initio; ut ulti
possint prioribus fuisse meliora. Quae omnia e di
pra clara sunt.

B. Nec minus verum, superstitionem et luxum in
in Ecclesiam, conniventibus multis, qui profunda S
ignorabant: de quibus in Commentatione Historica.

bel in Ecclesia docens vel in genere notat earum doctrinarum et morum inductionem in Ecclesiam, et propagationem, cum allusione tantum ad Jezabelem: vel Doctores aliquos earum doctrinarum exprimit, quales fuerunt hoc tempore plures: vel in specie Papas Romanos tanquam praecipuos fautores superstitionis et corruptionis; qui eo majore jure illo veniunt nomine, quatenus progressu temporis se in fidelibus occidendis, sicut Jezabel respectu prophetarum Jehovae fecit, et superstitione elata manu tuenda, tales se demonstraverint summa emphasi.

C. Quae de Castigatione habentur, et in praesente, et in futuro, ea pertinent ad Barbarorum invasiones in terras Christianorum, quae post VIII Sec. de novo maxime inceperunt, et vastationes longe lateque circumtulerunt; et adhuc Sec. IX, X, X. continuarunt: de quibus supra quoque egi.

§. DCLXXIII. Succedat *Epist.* V. Apocal., quae est ad Ecclesiam Sardicensem, Cap. III: 1 *seqq.* In qua depingitur Ecclesia, ut nomine tenus viva, sed re ipsa mortua, nonnullis languentibus, et a morte non longe remotis, paucis tantum sanis et latitantibus. Qui Characterès ex nostra opinione optime quadrant in Ecclesiam Seculi IX, X et XI. quando per Carolum M. reformata Ecclesia praeferebat in initio spem rei in melius mutandae, et species vitae conspicua fuit in devotione et Ritibus Religionis; et in Propagatione Euangelii per Gentes, quae Sec. X. obtinuit non spernenda; quando Papae quoque Sec. XI. jura Ecclesiae strenue coeperunt vindicare: sed vera Pietas plane erat extincta; superstitio et carnalitas per totum dominabatur Ecclesiae corpus: nonnulli cum devotione illa veram pietatem adhuc aliquo modo conjungebant, ut hic illic in Coenobiis; sed pauci erant a superstitione et corruptione puri. Unde orti sunt Waldensium, et Albigensium, coetus Sec. XII. Quae cum ex Hist. Eccl. nota sunt, et supra fusius deducta, verbo tetigisse suffi-

cit. Cl. Vitringa Epistolam hanc refert ad Ecclesiam
a Sec. XII. sese extendit ad Reformationem. Sed
quod pauci illi, qui vestes suas non taminarunt, h
currant ut occulti, et Ecclesiae adhuc membra; cun
fiat mentio aut separationis ab ea, aut Persecutioni
conatuum, quos pauci illi fecissent ad Ecclesiam ref
dam; quae omnia tamen Waldensium et similium su
teria. Contra, cum haec ipsa Ecclesia dicatur habere
nomina, innuitur, eos paucos adhuc fuisse cum illa l
junctos. Et in Epist. *seq.* mentio demum fit co
piorum ad Ecclesiam reformandam. Et quae de J
Domini superventuris, ni resipiscant, habentur, re
feruntur ad Plagas, quae a Sec. XII. infligi coeperu
clesiae Papali; de quibus suo loco. De illis Judici
ut futuris agitur, quum non demonstraverint resi
tiam.

§. DCLXXIV. Supersunt *Tubicinia*: perveni ad
quo repraesentatur Mons magnus ignivomus, vel to
neus, qui loco motus conjicitur in Mare, cum eo e
ut Mare sit versum in sanguinem, belluae marinae o
et naves destructae ad partem tertiam, ipso dein
sic quoque absorpto; quod quidem non additur ex
sed ex Emblemate colligitur. Pertinere id Emble
populos vastatores, qui sedibus suis excitati se in
Imperium effuderunt, easque clades ei intulerunt,
et ipsi sint extincti vel Mari comprehensi, demon
runt Launaeus et Vitringa. Sed qui in eo diffe
quod Cl. Vitringa restringat ad Gothos, qui post
Sec. III. se sub Gallo, Valeriano et Claudio, effu
in Imperium Rom., et a Claudio devicti vel absorpti
Launaeus implementum quaerat in Visigothis, Va
Ostrogothis, Gepidis etc. qui a Sec. V. se movere coe
Uterque hypothesi litans ita instituit. Verum cum
rum irruptiones Sec. III. praeludia fuerint multiplici
vasionum Sec. V. et *seqq.* et illae invasiones chara

illorum Seculorum respectu Judiciorum Dei in Christianorum Societates constituerint; mihi vix dubium est, quin irruptiones Sec. V. et *seqq.* directe intendantur. Prima non excluditur; sed praeludii tantum conspectum habet. Tubicinia pertinent ad Societates Politicas, in quibus est Ecclesia, adeoque ab eo tempore praecipue inceperunt, cum Romanum Imperium factum est Christianum; illa scil. Tubicinia, quae ad Rom. Imperium Ecclesiae Christianae pertinent, quorum *Imum* est nostrum; praecedens enim pertinet ad Ecclesiam Judaicam, ut partem Imperii Romani. Accedit, talia intelligi Judicia, quae Periodum aliquam characterizant, et sic per totam Periodum durant; quod obtinuit In invasionibus Barbarorum inde a Sec. V. Et tales invasiones in censum veniunt, quae sedes retinuerunt in Orbe Romano, donec absorptae, aut cum eo commutatae aut permixtae sint; seu per conversiones Populorum illorum, aut confoederationes cum Rom. Imperio; seu per destructionem illorum. Quae quam accurate in memoratas invasiones conveniant, facile in oculos incurrit; si ea, quae in Commentatione Hist. dixi, attendantur. Sed ne quis hic offendat, observandum, Montem hic collective sumi, et plures Populos, qui quasi agmine facto undiquaque irruperunt, complecti: ut fit saepe in Symbolis et Emblematibus. Nos ergo omnes eos Barbaros, qui Sec. V et VI. praecipue in Orbem Rom. invaserunt, intelligimus: ita tamen, ut sequentes non excludamus. Sed, quia a Sec. VII. coepit aliud Judicium Characteristicum, et Sec. V et VI. Populi quasi agmine facto irruperunt, eaque Secula hac parte characterizarunt, in iis praecipue pedem figimus. Reliqua quae ad intellectum Tubicinii pertinent, Autores cit. suppeditant.

§. DCLXXV. Pergo ad *Tubicinium* III. Apoc. VIII: 10, 11. quo in scenam producitur Meteorum facis ardentis, a similitudine *stella ardens* dictum, e supremo aere in terram delapsum, et longe lateque dispersum, fluvios et fontes per tertiam terrae partem adeo venenato amarore inficiens, ut multi ho-

mines inde coacti bibere occisi sint. Videamus, ant
de Emblematis applicatione dicam, quo illud nos duc
quae sint principia, secundum quae applicatio instituen
(1) Stella est Princeps, vel Doctor, vel potius ute
quod ab aliis jam observatum. (2) Stella e coelo lap
qualiscumque Doctor et Princeps est; sed qui divinam
tendit originem, qui creditus est venisse de Coelo. (3)
sa e Coelo dicitur, quatenus subito venit, et vehement
impetu. (4) Stella lapsa instar facis ardentis depingit
torem, qui qua Propheta et Princeps divinus se famosi
non tantum redderet; sed et qui accenderet terribiles
et immensum excitaret terrorem. (5) Lapsus in fluv
fontes expingit invasionem in terras, in quibus est ve
clesia; sive sint Ecclesiae vulgares, sive Matres Eccles
quales sedes Episcopales, quae comparantur recte cum
bus aquarum: aquae sunt Christiani, seu Populi veram
nam professi, seu ipsae Ecclesiae. (6) Infectio aquaru
nenato amarore per hunc lapsum denotat, lapsum Stella
cisse, ut tum immensa hominum strages extiterit, ut cum
bibunt venenatas, tum Ecclesiae fuerint pestifera i
doctrina, quae multis necem attulit.

§. DCLXXVI. Haec si attendantur, ducimur ad *Mu*
dem; (a) in quem omnia illa criteria quam accuratissim
veniunt, et unice. Ipse se jactavit Doctorem summ
coelitus missum, et gessit simul Principem; et utroqu
spectu comprobavit se hominibus: ipse subito et magn
petu se effudit in *tertiam* partem terrae, brevi tempor
gyptum, Africam, et utramque Asiam occupans: E
per omnia ea loca invasit, suasque pestiferas doctrinas
livit, multos infecit, plures occidit. Nec tantum
Ecclesias, aut fluvios, sed et Episcopales, fontes aquarum
rupit et vastavit. Haec Hypothesis sicut Emblemati sat
ut e dictis liquet, sic et eo se commendat.

A

(a) Vidi deinceps idem in mentem venisse Matt. Cott
Apoc. qui cum dictis conferri poterit.

A. quod Judiciis Dei, quibus imperium Rom., tanquam Societas politica Ecclesiae, afflictum est, merito accenseatur.

B. Tempori accurate conveniat: cum Sec. VII. ortus sit Muhammed, invasionibus Barbarorum fere finitis.

C. non sit alius casus eo tempore notabilior, qui Periodum hac parte characterizat.

§. DCLXXVII. Accedit, aliud subjectum demonstrari non posse, cui Emblema rectius conveniat. Launaeus cogitat de Papis, in specie Gregorio M. quod refutat Cl. Vitringa, qui explicat de Ario et Haereticis Sec. IV et V. Cui multa obstant quoque: inter alia.

א. Quod Arius et Haeretici non possunt dici Stellae lapsae e coelo, cum se pro divinis non venditaverint. Hic autem de Coelo Ecclesiae et Excommunicatione cogitare, nimis dilutum est.

ב. Arius et similes Haeretici pro causis haberi nequeunt sive doctrinae corruptae, sive motuum; quod eadem manserit Religionis confessio in Ecclesia; et quod Catholici quoque culpandi sint respectu motuum.

ג. Casus ille Haereticorum pertinet ad Fata Ecclesiae, qua talis; cum Tubicinia Judicia Dei in Societates Civiles contineant.

§. DCLXXVIII. Nunc consulendae forent V. T. Prophetiae, et inquirendum, num aliquid habeant ad Periodum hanc referendum? Sed paucis absolvere potero. *Primo* sub manus veniunt prophetiae, quae de Regibus vel destruendis vel convertendis agunt, ut Ps. II. CX. Jes. XLIX. LXII. et quae sunt similes. Verum licet sensum Propheticum ad Regnum Christi sub N. T. pertinentem non negem, nec et, quo minus speciale implementum hoc tempore censeatur fuisse, intercesserim: Vaticinia tamen illa in specie ad Periodum hanc directe referenda esse, non puto. Cujus rei duas nunc sufficit producere rationes: *altera* est, quod de hostium Ecclesiae destructione in genere et absolute loquantur Prophetiae: *altera* est, quod Regum subjectio et conversio etiam

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	Lin.	Leg.
61	28	puer
87	3	Juvaviae
199	8	Petri
278	12	*paraeneticus*
316	3	asylum, vel *Irmini* Dei aut herois co-lumna
[illegible]	23	ex *Scriptura sacra*
416	1	imposuit
586	15	*compendio*
655	24	Quorum

E. Divisio Terrae inter Tribus in mentem revocare potest Ecclesiae Christianae divisionem in Episcopatus et Metropolitanas Sedes, seu in Dioeceses per Rom. Imperium.

F. Corruptio Israelitarum et conformatio ad mores Canaaeorum se transferri patitur ad vitia et Superstitionem Christianorum, cum primas tenebant in Orbe, et terram tranquille possidebant.

G. Bellum intestinum inter Benjaminitas et Tribus reliquas repraesentare potest pugnas Christianorum inter se, cum Haereticos oppugnare, et de Primatu certare coeperunt

H. Populorum vicinorum continuae invasiones sub Judicibus, quae speciem praeferebant Judicii divini, apte expingunt Barbarorum irruptiones in Rom. Imperium: in specie Philistaei, qui prae aliis grassati sunt, possunt esse Saraceni et alii.

I. Reformatio Israelis, et Populorum vicinorum subjugatio per Davidem, nos ducit ad Caroli M. tempora, quibus simile quid contigit Christianis.

K. Divisio Israelis in Judaeos et Israelitas post mortem Salomonis, et utriusque Populi prolapsus ad Idololatriam et corruptionem, repraesentat Ecclesiae Christianae divisionem in duas Societates separatas et oppositas, Graecam et Latinam; quae divisio post Caroli et Ludovici tempora Seculo IX. praecipue coepit, et sine ulla vera unione semper continuavit. Sed utraque Ecclesia in eandem Idololatriam et corruptionem incidit, atque varia Judicia Dei ad emendationem experta est. Israelitae expingunt Orientalem, et Judaei Occidentalem Ecclesiam; uti ex utriusque Fatis colligitur: de quo post suo loco agemus Interea conferatur Cl. Vitringa ad Jes. Cap. XXX. et in Prolegom. ad Zach. Nobis dicta sufficiunt.









